




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
39 ME
53





DE INTERPRETATIONE

SCRIPTURARUM SACRARUM

LIBRI DUO

FRANCISCI XAVERII PATRITII

E SOCIETATE IESU

DE INTERPRETATIONE
SCRIPTURARUM SACRARUM

LIBER II

ΠΑΡΑΔΕΙΓΜΑΤΙΚΟΣ

« Domine Deus meus, ... sint castae deliciae meae scripturae tuae, nec fallar in eis, nec fallam ex eis » (Augustinus *Confession. L. XI. c.* 2. §. 3).





ROMAE

TYPIS IOANNIS BAPTISTAE MARINI ET SOCII

MDCCCXLIV



Commentatoris officium est, non quid ipse velit, sed quid sentiat ille, quem interpretatur, exponere. Alioqui, si contraria dixerit, non tam interpres erit, quam adversarius eius, quem nititur explanare (Hieronymus ad Pammach. ep. XLVIII al. L. §. 17).

Erat prophetia antiquis temporibus, et a prophetiae dispensatione nulla tempora cessaverunt; sed illa prophetia, quando in illa Christus non intelligebatur, aqua erat .... Tollitur insipientia, cum transieris ad Dominum, et, quod aqua erat, vinum tibi fit. Lege libros omnes propheticos, non intellecto Christo, quid tam insipidum et fatuum invenies? Intellige ibi Christum, non solum sapit, quod legis, sed etiam inebriat (Augustinus in Ioann. Tract. IX. §. 3).



Quid alter hic liber sit, quorsum priori adiectus, cur ΠΑΡΑΔΕΙΓΜΑΤΙΚΟΣ inscriptus, exposui inter ea, quae de toto opere sum praefatus. Sed nonnulla praeterea lectorem monitum esse iuvabit. — Horum unum est, quod, quum capita haec scripturarum sacrarum ita illustrare constituerim, ut ipsam verborum hebraicorum vim exprimerem, necesse etiam habui, quo id praestarem clarius, verbum verbo reddere, et latine ea vertere aliter, ac est vulgata ipsorum interpretatio, quae, non verba ipsa, sed sententiam dumtaxat refert quam saepissime. Eamdem autem ob rem, praesertim vero ut ii, qui hebraice nesciunt, loquutionis ipsius hebraicae vim aliquo pacto sentirent, id consilii cepi, ut constructionem quoque verborum atque ordinem, qui est in ipsis hebraicis sententiis, quas vertebam, servarem, ac retinerem, quantum fieri poterat, licet id non posset sine damno latinitatis, adeoque quin σολοικον saperet mea interpretatio. — Alterum est, quod vocibus hebraicis puncta vocalia, ut vocant, tunc solum adscribenda curaverim, quum primo illae occurrebant, aut aliae rationes ea adscribi flagitabant; id vero, ne typothetarum

imperitia opus retardaret. — Insuper, quum hae quaestiones eo spectent, ut exemplo sint rationis ac modi, quo regulas superiore libro traditas ad biblia interpretanda adhibeamus, opportune factum alicui fortasse videretur, si, ad quas regulas interpretationem exigebam, eas singulas suo loco nominatim indicassem; tamen, quo minus id facerem, prohibuere, non modo studium brevitatis metusque fastidii afferendi, sed etiam respectus iuvenum, quibus scribebam, quique longe maiorem capient ex his quaestionibus utilitatem, si ipsi per se regulas in iis habendis adhibitas veluti pervestigent, rationemque ac modum, quo adhibitae sunt, diligenter attendant, atque considerent. — Ex hoc autem illud consequitur, ut, qui has quaestiones, non legere solummodo, sed penitus intelligere iisque in studio sacrarum scripturarum iuvari, multo vero magis, qui eas modumque earum trutina pensare volent, nec non de ipsis interpretationibus vaticiniorum atque oraculorum, quas hoc libro edito exhibemus, iudicium facere, iis necesse sit priorem librum attente legisse totumque συστημα regularum eo contentarum apprime tenere. Ni id fiat, non dubito fore plerosque, quibus vel μεθοδος, quam in his quaestionibus sum sequutus, minus arrideat, vel minus probentur ipsae quoque hae quaestiones ipsaeque interpretationes bibliorum, quas legent, praesertim quum in ea inciderint, quae nova atque ad id indicta ipsis videbuntur. — Cur vero, secus ac quidam maluissent, ipsa patrum, quos testes sententiae meae citabam, verba referre omitterem, ex eo mihi caussa fuit, non modo quod cavere vellem, ne alter hic liber in maiorem molem, quam superior, excresceret, sed po-

tissimum quod, quum experimento didicerim, quantum emolumenti ex versandis patrum scriptis studia sacrarum literarum percipere soleant, harum studiosis id invidere nollem, imo vero eos cogere quodammodo, ut ipsi etiam perciperent. — Si quis autem illud mihi vitio vertere instituet, quod Protestantium tum vetustiorum tum recentiorum auctoritatem subinde adhibuerim ad confirmandas divinorum verborum interpretationes, quas propono, is, obsecro, relegat praefationem huius operis eaque, quae in libro superiore hac de re disputavi; praeterea vero consideret me in explicandis his bibliorum capitibus non alias interpretationes sectatum esse, nisi quae Catholicorum doctrinis maxime omnium forent consentaneae, de quibus bene eum mereri, qui iis ipsorum adversariorum testimonium conciliet, nemo, arbitror, negabit; nisi si plane desipere videri velit. Ceterum παντα δοκιμαζετε, το καλον κατεχετε.



DE INTERPRETATIONE

SCRIPTURARUM SACRARUM

LIBER II

ΠΑΡΑΔΕΙΓΜΑΤΙΚΟΣ

QUAESTIO I

De primis geneseos verbis: In principio creavit Deus caelum et terram (Gen. I, 1).

1. Quaestio, quam de primis geneseos verbis: *In principio creavit Deus caelum et terram*, aggredimur, non eo tendit, ut de universi creatione agamus, vel ea tractemus, quae sive philosophi sive theologi hac de re docent, aut disputant, sed ut horum verborum verum germanumque sensum assequamur. Nihil itaque in praesenti, an aeterna atque increata materies, an mundus aeternus sive ex omni aeternitate productus conditusve esse potuerit; solum quippe studebimus evincere Moysis sententiam hanc esse: Universum a Deo de nihilo productum, eique principiale aliquod tempus fuisse; nempe non aliam, quam quae patribus in aedes lateranas quarto convocatis fuit, ubi haec pronuntiarunt: *Creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, ... sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam (a).* Porro, quod volumus, plane conficiet attenta atque accurata inspectio duarum vocum, quibus Moyses exorsus est, בְּרֵאשִׁית בָּרָא, et quarum utramque primo separatim examinabimus,

(a) Concil. later. IV. cap. 1 Firmiter. Vid. *Vasquez* in Thom. 1. q. 61. art. 3. disp. CCXXIV. c. 4.

tum vero definiemus, quid simul iunctae in illa Moysis sententia significent. Ubi vero materiem nominabimus seu materiem informem, noveris nos nihil aliud velle significare nisi prima ipsa corporum elementa.

ARTICULUS I

De voce רֵאשִׁית *in universum.*

2. Si vocis רֵאשִׁית formam consideres, dices nomen denominativum eam esse, cui responderet masculinum רֵאשִׁי, quod quidem usitatum non est; etenim ראשי derivaretur a רֹאשׁ, sicut נָכְרִי a נֹכֶר, sicut עִתִּי a עֵת, sicut רַגְלִי a רֶגֶל. In bibliis tamen semper pro substantivo nomine habetur eo pacto, quo etiam a Graecis et a Latinis adiectiva neutra solent usurpari; quod enim neutro adiectivorum genere Graeci et Latini, id feminino enuntiant Hebraei. Vocis itaque huius vim ipsissimam redderes voce *capitale*, quae tamen in hanc notionem accepta Latinis ignota est. Totum autem id Aquilae auctoritate comprobatur. Hic enim, ut eum vocat Hieronymus, *contentiosus interpres, qui, non solum verba, sed etymologias quoque verborum transferre conatus est (a)*, talem sese exhibuisse iure credi potest, dum pro voce ראשית initio geneseos posita reddidit *κεφαλαιον*, quod adiectivum origine esse videtur a *κεφαλη* deductum, sicut ab *ἀγελη* est *ἀγελαιος*, a *βια βιαιος*, a *δικη δικαιος*, aliaque sexcenta, idemque adiectivum est in Ranis Aristophanis (*b*). Graecis autem hac forma adiectivis ea est vis, quae hebraicis in literam י desinentibus, quod ex nominibus gentilibus manifestum prorsus fit; graeca enim Ἰουδαιος, Ἑβραιος, Χαλδαιος sunt ut hebraica יְהוּדִי, עִבְרִי, כַּשְׂדִּי, et ipsa hebraica illorum populorum, quorum hebraei solum scriptores meminere, nomina, quibus ea forma est, ut חִוִּי, חִתִּי, יְבוּסִי, graeci interpretes verterunt Εὐαιον, Χετταιον, Ἰεβουσαιον, et similia horum.

(*a*) Ad Pammach. ep. LVII al. CI. §. 11.

(*b*) V. 878.

3. Salomon Iarchi scribit nomen hoc semper constructum, ut vocant, usurpari, quod falsum omnino est. Aliquando enim, non modo post illud nihil sequitur, quo cum construatur (*a*), sed nec sequi potest (*b*). Quin et pronomina suffixa interdum habet (*c*), adeoque et ה demonstrativum praescriptum, etsi id lateat in praepositione ל (*d*).

4. In universum autem haec vox, prout eius etymon docet atque usus, quem constanter habet in scripturis sacris, in quibus quinquagies occurrit, significat id, quod primum est sive tempore (*e*), sive caussa (*f*), sive loco, pretio, aut dignitate (*g*). Ut autem primum tempore significat, subiecta quoque huic vocabulo saepe notio est ipsum temporum initium (*h*), longe autem frequentissime primitiae sive proventuum (*i*), sive filiorum, id est, primogeniti, quos רֵאשִׁית אוֹן *primitias roboris* Hebraei solent appellare (*l*).

ARTICULUS II

De verbo בָּרָא *in universum.*

5. Primigeniam verbi בָּרָא notionem eam esse putant recentiores, quam retinet forma pihel huius eiusdem verbi et futurum vocali kesra affectum verbi arabici برا, quod Gesenius ita vertit: *praecidit, praesecuit, asciavit, polivitque* (*m*), adeoque eadem forma pihel etiam *fingere*, *effingere*, sonat eidem Gesenio. Verum non est, cur ad alia arabica confugiamus, praesertim quod ipsum verbum برأ, idem prorsus ac hebraicum ברא, habeant Arabes. Sed neque ex for-

---

(*a*) V. Genes. I, 1; Lev. II, 12.

(*b*) V. Is. XLVI, 10; Nehem. XII, 44.

(*c*) Num. XVIII, 12; Iob. XLII, 12; Eccl. VII, 8; Os. IX, 10.

(*d*) Nehem. XII, 44.

(*e*) Deuter. XXXIII, 21; Prov. IV, 7; Eccl. VII, 8.

(*f*) Prov. XVII, 14; Mich. I, 13.

(*g*) Num. XXIV, 20; I Sam. XV, 21; Iob. XL, 19; Dan. XI, 41; Am. VI, 1. 6.

(*h*) Deut. XI, 12; Iob. XLII, 12; Is. XLVI, 10; Ier. XXVI, 1; XXVII, 1; XXVIII, 1; XLIX, 34.

(*i*) Ex. XXIII, 19; Lev. II, 12; XXIII, 10; Num. XV, 21; XVIII, 12; Nehem. XII, 44; Ezech. XLIV, 30; Os. IX, 10; etc.

(*l*) Gen. XLIX, 3; Deut. XXI, 17; Ps. LXXVIII, 51; CV, 36.

(*m*) Thesaur. philolog. crit. sub rad. ברא.

ma pihel primigeniam huius verbi notionem colligere necesse est, tametsi notionem istam comprobare queat significatio formae pihel, in quantum haec verborum forma significationem quandoque habet illi oppositam, quae est formae kal. Ut demum non est, cur verbum hoc forma pihel ab Ezechiele (a) usurpatum vertas *fingere* aut *effingere*, quum percommode illud vertatur secundum communiorem formae huius significationem, ita neminem novi, praeter Gesenium, qui eo pacto vertere iubeat.

6. De ipsa autem vi ac notione formae kal haec certo possumus affirmare. Forma hac verbi ברא nullo modo significari rerum fictionem, dispositionem, aut elaborationem, ut sentire videtur Rosenmüllerus haec scribens: *Verbum* ברא omnino *eadem sumitur significatione, qua* עָשָׂה *et* יָצַר (b); id enim iis refellimus, quae inferius leguntur in genesi: אֲשֶׁר בָּרָא אֱלֹהִים לַעֲשׂוֹת, *quod creavit Deus, ut faceret* (c), ubi perspicis discrimen necessario poni inter ea verba. Gesenius sane, quamvis et ipse existimet verbum ברא synonymum esse verborum עשה *fecit* et יצר *finxit*, quod equidem de verbo עשה aliqua ex parte vere dictum puto, quatenus etiam *creare* est aliquid *facere*, discrimen tamen inter ea esse eadem illa loquutione confirmat, quam Ludovicum Dedieu (d) sequutus ita explicat: produxit faciendo, *id est, fecit novi quiddam producendo (e)*. Insuper, quod verbum ברא ea forma significat, uni Deo tribui a scriptoribus sacris, et tunc solum hoc verbum adhiberi, quum Dei opera commemorantur, sive ea, quae de nihilo producta, saltem quod ad ipsorum materiem, vere dici possunt, ut sunt caelum, terra, homines, animantia (f), sive prodigia (g), futurorum praedictiones (h), ac sublimiora quaedam beneficia (i); ideoque non aliam verbo huic notionem subesse, nisi actionem aliquam unius Dei pro-

---

(a) Ezech. XXI, 19 al. 24.
(b) Schol. in Genes. I, 1.
(c) Gen. II, 3.
(d) In h. l.
(e) L. c. 2.
(f) Gen. I, 21, 27; II, 4; Ps. LXXXIX, 13; CII, 19; Eccl. XII, 1; Is. IV, 5; XL, 28; XLIII, 1; LIV, 16; Am. IV, 13; etc.
(g) Ex. XXXIV, 10; Num. XVI, 30; Is. XLI, 20; Ier. XXXI, 22.
(h) Is. XLVIII, 7.
(i) Id. LVII, 19; LXV, 18.

priam. Praeterea nomquam nomen aliquod materiem designans, ex qua aliquid factum sit, huic verbo adnexum esse, quod tamen additur verbis עשה *fecit (a)*, יצר *effinxit (b)*; quo confirmatur ברא nequaquam idem esse ac *fingere* seu *effingere*. Quantum autem ex consideratis omnibus scripturarum sacrarum capitibus, in quibus verbum istud forma kal usurpatur, coniicere est, non male de eius significatione sensisse dicendi sunt Gesenius et Kocherus; placet enim, ac iuvat, in huiusmodi quaestionibus Protestantium recentiorum praesertim auctoritatem urgere. Gesenius quidem haec scribit: *Ex modo dictis abunde apparebit huius verbi usum in kal a significatione primaria*, quam ex arabica lingua et ex forma pihel, male tamen, ut dictum est (5), repetere solent recentiores, *prorsus diversum esse, idque magis de nova rei productione (c), quam de conformatione et elaboratione materiae, usurpatum esse (d)*. Kocherus vero: *Verbum* ברא *de illis, quae per omnipotentiam Dei quasi e nihilo mirabiliter existunt, adhiberi solet (e)*. At si verbum ברא de uno Deo dicitur, et productionem significat, iam ratio est, cur dicatur eius notio esse productio, quam unus Deus facere potest, id est, qua de nihilo aliquid creat. Cui rei, nisi confirmandae, illustrandae saltem illud facit, quod, quum verbum ברא simulque unum aliud aut plura verba in eadem sententia coniunguntur, quae operationem aliquam designent, ברא primo ponitur *(f)*, inque historia ipsa creationis, adeoque ipso eius initio, ubi primum Dei opus narratur, verbum illud adhibitum est, exinde vero alia verba.

7. Quaecumque autem ex scripturis sacris deprompta contra nostram sententiam de verbi huius notatione regeri possunt, facile dilues, ubi haec attendas. Res, quae de materia conditae atque effictae a Deo ipso sunt, si ipsius materiae, ex qua constant, rationem habeas, utpote de nihilo a Deo productae, et ipsas a Deo productas de nihilo dici posse, puta, corpora caelestia, terrarum orbem, animalia, plantas, hominesque ipsos, ut iam supra dictum est (6). Neque

---

(a) Gen. III, 21; etc.
(b) Ib. II, 7. 19.
(c) Vid. Gen. II, 3.
(d) L. c. not.
(e) Vindiciae sacri textus hebr. Esaiae ad XLVIII, 7.
(f) Gen. II, 3; Is. XLIII, 7.

reponas, quae artifices de ligno, de lapidibus, de auro, atque argento, similive materia, effingunt, ac formant, nec si ipsius materiae rationem habeamus, de nihilo producta nequaquam recte dici; artifices enim non ipsam materiam producunt. Quae ex materia et spiritu constant, ut sunt homines et, quae multorum sententia est, etiam animalia, de nihilo producta vere omnino dici, horum quippe nobilior pars ac potior attenditur (*a*). Ubi prodigia a Deo patrata referuntur, verbum illud usurpari, quia haec, ut scribit Kocherus, *per omnipotentiam Dei quasi e nihilo mirabiliter existunt* (*b*), sive, quia Deus in his patrandis illam ipsam exserit potentiam, quam in rebus de nihilo producendis, inque legibus naturae rerum constituendis, quibus per prodigia haec obrogatur, exserebat (*c*). Denique hoc verbum, sicut cetera omnia, in figuratis loquutionibus subinde adhiberi, ut est illud: *Cor mundum* בְּרָא *crea in me, Deus (d)*; quis enim non videat translatam hic esse loquutionem, atque poeticam imaginem, quae quidem omnem suam vim depromet, si verbo ברא notio sit *creare*, hoc est, *producere de nihilo.* Atque ad huiusmodi figuratas loquutiones referenda sunt ea, quae sacri vates de magnis quibusdam rerum innovationibus olim futuris tamquam de nova creatione cecinere (*e*).

8. Quae vero sive ex verbis κτίζω et ποιέω, quibus graeci bibliorum scriptores usi sunt graecique interpretes pro verbo ברא, sive ex verbo *creare*, quod reddiderunt interpretes latini, contra sententiam nostram proferri solent, aut possunt, non est, cur ea moremur. Ultro enim damus, neutri horum verborum, saltem ex origine sua, eam subesse notionem, quam adserimus verbo ברא; ea tamen pro hoc verbo reddita sunt, quia opportuniora nec Graeci habent nec Latini.

(*a*) Gen. I, 21. 27; etc.
(*b*) L. c.
(*c*) Is. IV. 5; etc.
(*d*) Ps. LI, 12.
(*e*) Ib. CII, 19; Is. XLIII, 7; LXV, 17. 18.

ARTICULUS III

De ambarum vocum significatione, quam habent in primo versiculo geneseos.

9. Sed iam de initio geneseos dicere oportet. Ex tribus notionibus vocis ראשית, quas retulimus (4), eam, qua aliquid loco seu dignitate primum significatnr, huic Moysis sententiae minime congruere, pro comperto est. An vero vox ista caussam hic designet, secunda quaestio erit. Quare superest, ut ordinem temporum voce hac significari dicamus, quae significatio ut obvia omnino est, ita eam interpretes omnes, quos novimus, si hierosolymitanum demas, qui בְּרֵאשִׁית vertit *in sapientia*, vel sequnti sunt, ut Onkelos, Ionathan ὁ ψευδώνυμος, vulgatus, samaritanns, arabs, vel sequuti esse putari iure possunt, ut syrns, qui ipsum vocabulum retinuit, alexandrini, qui id verterunt ἐν ἀρχῇ, Aquila, qui reddidit ἐν κεφαλαίῳ (2).

10. Salomon Iarchi (3) et Abraham Aben Ezra nomen hoc initio geneseos constructa forma esse contendunt, similemque syntaxim haberi, quae est in Oseae I, 2 et in Isaiae XXIX, 1 (*a*), quaeque supplenda est pronomine relativo אֲשֶׁר, ut fit in Levitico IV, 24, in I Sam. III, 13, in Ezechiele XXI, 35 (*b*). Id tamen negat David Kimchi, et recte quidem. Nam, quin forma grammatica huius nominis ullave alia ratio id credere suadeat, nec verisimile esse videtur Moysem ipso libri exordio anomaliam hanc rarissimam admisisse, cuius nullum aliud exemplum ipse suppeditat; nec huiusmodi ellipsim orationis series atque contextus ullo modo patitur. Quid enim sonarent verba Moysis? quae, si ellipsis illa accipiatur, latine reddenda forent: *In principio, quo creavit Deus caelum et terram, et terra erat inanis.* Voculam *et* hic redundare dixeris. Sed en aliud orationis vitium. Sique redundat, et verba *terra erat inanis* cum prioribus unam

---

(*a*) V. et Ps. LXXXI, 6; Ier. XLVIII, 36; Thren. I, 14; itemque Ier. II, 8; Ps. LXV, 5; CXXIX, 6.

(*b*) V. et Eccl. I, 7; XI, 3.

sententiam efficiunt, iam verbo ברא non erit ea significatio, quam esse superius comprobavimus (6), et inferius confirmabimus; quomodo enim terra iam fuisse, quidquid demum fuerit, dici potest, quum eam Deus produxit?

11. Quum itaque huius nominis forma nequaquam constructa sit, per illud vero ordo temporum designetur, quaeritur, utra huic insit significationum duarum, quae inesse possunt, quum ad temporum ordinem designandum usurpatur, an aliquid tempore primum significet, an vero temporis principium (4).

12. Aio, aliquid, quod tempore primum sit, ea voce significari minime posse. Si enim sic foret, verba illa geneseos alterutro horum modo vertenda essent. Vel PRIMUM *creavit Deus caelum et terram*, id est, *prima res creata a Deo* fuere caelum et terra. Vel PRIMO *creavit Deus caelum et terram*, id est, *prima actio Dei* fuit creatio caeli et terrae. Horum prius accipi nequit, obstat enim praepositio ב *in*, nam semper in scripturis sacris, atque in hoc versiculo peculiariter, vox ראשית vim habet nominis substantivi, ideoque secundum priorem interpretationem vertenda omnino esset *primum*, id est, *prima tempore res*, ac proinde praepositioni ב *in* locus nullus esse posset. Sed neque posterius, ea enim vox numquam alias pro adverbio usurpata est a scriptoribus hebraeis, quod tamen secundum posteriorem illam interpretationem fieri oporteret. Minime autem te praetereat, neutram harum notionum nomini illi tributarum sententiae Catholicorum de rerum creatione satis commode congruere, quum neutra excludat mundi aeternitatem; quia mundus a tota aeternitate creatus foret utique *prima res a Deo creata* et *prima Dei actio*, siquidem creari seu produci de nihilo non idem sit, ac prius fuisse nihilum, quod aeternae creationi repugnaret profecto, sed idem, ac de nulla alia materia esse productum.

13. Quamobrem propria notio istius vocis in illa Moysis sententia ea est, quam expressit interpres vulgatus eam vertens: *In principio.* Quumque absolute atque indefinite proferatur, nullo addito nomine vel subaudito tempus aliquod determinatum designante, dicenda est significare principium cuiuscumque temporis, seu momentum illud, quod primum omnium fuit, et quo ipsum tempus esse coepit.

14. Qua significatione posita et mundi aeternitas excluditur, et alia quaecumque res initium, ut aiunt, exsistendi habens ante mundum. Praeterea coniunctis huius et sequentis verbi ברא notionibus materia quoque aeterna caussa cadit, ac mundum nihil olim fuisse demonstramus ; si enim mundus initio omnium temporum de nihilo productus fuit, antea nihil hic fuerat, ac proinde neque eius materies erat.

15. De altera voce ברא ita Gesenius: *In disputatione de creatione ex nihilo a nonnullis ad nostrum etiam vocabulum provocatum est, quasi vel ex etymo et propria significatione eius colligi possit, non creationem ex nihilo, sed aeternae materiae conformationem in primo geneseos capite doceri . . . . Primo autem geneseos commate primam mundi eiusque rudis et indigesti creationem ex nihilo , reliqua primi capitis parte molis recens creatae elaborationem exponi, id rerum in tota hac sectione nexus satis perspicue docet (a).* Quae quidem verissime dicta sunt. Id enim credere compellit ipsa historiae huius natura ; nam , quum in ea origo rerum omnium narretur , oportebat a prima ipsarum productione, id est, a productione materiae, ex qua constant, narrationem inchoari. Id ipsa Moysis loquutio , qui, quum in consequentibus materiei conformationem explicans , non verbum ברא, sed alia, quae eam certo designant, usurpet , ideo narrationem exordiens verbo ברא , non autem aliis , usus esse putandus est , quia , non conformationem , sed productionem materiei , ut par erat , exponere vellet, quam verbum illud significat. Illa denique : *In principio creavit Deus caelum et terram* , nihil aliud significare possunt , nisi vel productionem materiae universae , vel eius conformationem. Etenim caelum , cuius in hoc versiculo mentio fit , vel locus est corporibus caelestibus eorumque motibus definitus , vel sunt ipsa corpora caelestia. At locum illum , quem Moyses רָקִיעַ , vulgatus interpres *firmamentum*, dixere (*b*) , Deus autem proprio nomine *caelum* vocavit (*c*), secunda die factum fuisse narrat idem Moyses (*d*). Corpo-

(*a*) L. c.
(*b*) Gen. I, 14.
(*c*) Ib. 8.
(*d*) Ib. 6-8.

ra vero caelestia die quarta formata sunt (*a*). Quare manifestum est verba illa de caelestium corporum ipsiusve caeli conformatione dicta esse non posse. Haec autem satis sunt, cur dicamus neque nomine terra in hoc eodem versiculo designari orbem ipsum ea forma, quam habet, et ad quam potius die tertia confictus fuisse putandus est (*b*). Quare, quum coniunctis caeli terraeque nominibus rerum universitatem Hebraei soleant appellare, in illa autem Moysis sententia nequeant nomina haec res universas conformatas designare, ipsam harum materiem significare dicenda ea sunt, verbaque Moysis de huius materiei productione ab eo esse prolata.

16. Itaque initio geneseos prima vox explodit universum aeternum, altera universum increatum aeternamque materiem, tertia universum sponte sua exsistens; tota autem Moysis sententia est: Ipso omnis temporis initio caelum et terram, id est, materiem universam de nihilo a Deo fuisse productam (*c*). Hanc porro sententiam Moysi revera fuisse eo etiam evincere possumus, quod non alia fuerit ceteris scriptoribus sive veteris sive novi testamenti. Universum quippe ab omni aeternitate exstitisse diserte satis negarunt Salomon, ubi narravit Sapientiam divinam fuisse *ante omnia opera Dei (d)*, adeoque *ante mare (e), et terras (f), et, quod tegit omnia, caelum (g)*; Isaias affirmans Dei omnipotentiam proditam esse ac manifestatam *ab initio* per ea, quae creavit (*h*); Siracides Dei operibus *initium* tribuens (*i*); Ioannes sententiam illam pronuntians: *In principio erat Verbum (l)*; Paulus denique docens Christum esse *ante omnes* (*m*) seu, ut graeca Pauli verba reddere suadet orationis contextus, *ante omnia*. Sed et de nihilo res fuisse productas legimus in libro secundo Machabaeorum (*n*) et in epistola, quam Paulus dedit ad Romanos (*o*). Nullam denique rem non a Deo esse

---

(*a*) Ib. 14-19.

(*b*) Ib. 9-13.

(*c*) V. *Hippolyt.* Comment. in Genes. apud *Gallandum* Biblioth. veter. patr. T. II. p. 477; *Philastr.* Haer. 95; *Caesar. Nazianz.* Dial. I. interr. 51; *Augustin.* De Genesi ad lit. L. I. cc. 6. 14. 15.

(*d*) Prov. VIII, 22 hebr.

(*e*) Ib. 24. 27 coll. Gen. I, 2.

(*f*) Ib. 25. 26 coll. Gen. I, 1.

(*g*) Ib. 27 coll. Gen. I, 1.

(*h*) Is. XL, 21 coll. 12-14. 18. 22. 25. 26. 28. Conf. XLV, 18. 21.

(*i*) Eccli. XVI, 26; XXIII, 29.

(*l*) Io. I, 1. Vid. nostras Quaestiones de evangeliis Tit. III. q. 5. art. 1-4.

(*m*) Coloss. I, 17.

(*n*) II Machab. VII, 28.

(*o*) Rom. IV, 17.

creatam aperte docent scriptor Sapientiae (*a*), Ioannes (*b*), et Paulus non semel in epistolis (*c*). Sed et Iudaeos verba Moysis in eum sensum, quem defendimus, olim accepisse atque adeo nunc accipere facile intelligimus, quum sententia haec de rerum creatione semper illis fuerit communis (*d*). Sed iam, quae nostrae interpretationi opponantur, expendamus.

ARTICULUS IV

Opposita diluuntur.

17. Quum Salomon, si Antonio Collinsio (*e*) fides est, mundum ex omni aeternitate exstitisse autumaverit, hoc ipsum autumasse Moyses dicendus est, ne scriptores sacros inter se committamus. Hanc autem sententiam Salomoni fuisse probat Collinsius prolatis ex libro ecclesiastae verbis illis: *Generatio praeterit, et generatio advenit, terra autem in aeternum stat (f).* Verum quis illud concoquat, quod verba *in aeternum stat* ita enarrentur, ut quae idem sonarent ac *exstitisse ex omni aeternitate?* Quis non videt *in aeternum* aliud omnino significare quam *ab aeterno?* imo vocem *aeternum* haudquaquam omnem aeternitatem designare, sed tempus utcumque diuturnum atque indefinitum, quae vis est vocis hebraicae לְעוֹלָם in illa enuntiatione usurpatae? Tum ipsum scriptoris propositum Collinsium abunde refellit. Aggreditur quippe ille demonstrare omnia fluxa esse, quaecumque in terrarum orbe sunt, aut geruntur (*g*). Huic vero rei confirmandae quid, quaeso, conducat subdere continuo terram exstitisse ab omni aeternitate? Sed longe alia est scriptoris sententia. Incipit enim effatum suum enucleare argumentum petens ab ipsius generis humani

---

(*a*) Sap. IX, 1.
(*b*) Io. I, 3.
(*c*) I Cor. VIII, 6; Coloss. I, 16 seqq.; Hebr. II, 10.
(*d*) V. *Brucker*. Hist. crit. philosophiae Per. II. P. I. Lib. II. c. 3. sect. 1 de philosophia Iudaeorum exoterica §. 2. nn. 31-34.
(*e*) Discours sur la liberté de penser p. 218 apud *Weith* Scriptur. sacr. propugnat. P. V. sect. 3. q. 4.
(*f*) Eccl. I, 4.
(*g*) Eccl. 1, 2. 3.

labe, aitque, ut sapientissime eius verba interpretatur Hieronymus (*a*): *Quid hac vanius vanitate, quam terram manere, quae hominum caussa facta est, et ipsum hominem terrae dominum in pulverem repente dissolvi?* Tum psaltes, ubi opera Dei et *facta* et *creata* esse docuit, haec statim addit: STATUIT *ea* IN AETERNUM *et in saeculum saeculi (b)*, declarans verba *in aeternum* per illa alia *in saeculum saeculi*, quae quid sonent, manifestum profecto est.

18. Gesenius (*c*) ait Moysis sententiae de rerum creatione adversari scriptorem Sapientiae (*d*), quod *graeca dogmata secutus aeternam materiam statuat.* Verum materiam numquam *increatam* aut *aeternam* dixit scriptor ille, sed ἀμορφῆν *informem* sive, ut vertit vulgatus interpres, *invisam*. Eius autem verba: *Omnipotens manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisa*, non magis probant putasse eum materiam esse aeternam, ac Siracidem terram ipsam aeternam putasse probent illa huius verba: *Deus creavit de terra hominem (e)*; atque ex his consequens solummodo fit terram exstitisse ante conditum hominem, ita ex illis solum consequitur ante orbem conditum exstitisse materiam. Sane nihil aliud est *creare* κοσμον *mundum de informi materia*, quam *materiam informem* διακοσμειν seu *conformare*; neque enim corpora ipsa, sed materiam, ex qua corpora compingeret, Deum de nihilo produxisse affirmamus. Nullum itaque negotium ab ipsis scriptoris illius verbis habemus.

19. Secus tamen est, si ad eius propositum atque consilium sententiam ipsam exegeris; neque enim negare tunc poteris difficultatem aliquam obiter legentibus verba illa facessere. Demonstrare quippe vult scriptor Sapientiae Deum potuisse nova forma feras in Aegyptios immittere (*f*) argumentum sumens ab eius omnipotentia; Deum vero omnia posse eo confirmat, quia *creavit orbem terrarum ex materia invisa*. At, siquidem credidit Deum de nihilo materiam pro-

---

(*a*) In Eccl. 1, 4.
(*b*) Ps. CXLVIII, 5. 6.
(*c*) Thesaur. philolog. crit. linguae hebr. et chald. ad v. ברא not.
(*d*) Sap. XI, 17 al. 18.
(*e*) Eccli. XVII, 1.
(*f*) Sap. XI, 18 al. 19.

duxisse, cur non potius hoc argumento usus est? Nonne id Dei omnipotentiam magis proderet, quod, inquam, materiem de nihilo, quam quod res omnes de materia, producere quiverit? Aut cur saltem non omisit illa verba *ex materia invisa*, quae probationis robur infirmare videntur?

20. Itaque in primis, velim, attendas κοσμον in illa sententia significare, non universum, sed orbem terrarum, ut vocem hanc vertit vulgatus interpres, quoties in Sapientiae libro ea occurrit. Et quidem recte vertere dicendus est. Ut enim certum est in plerisque capitibus huius libri in hanc notionem accipi vocem illam *(a)*, ita in reliquis nihil est, quod eam secus intelligere compellat *(b)*. Quo semel posito patet iam locum non esse quaestioni, cur scriptor non ex rebus de nihilo conditis probationum momenta sumat, sed imo, cur Dei omnipotentiam metiatur ex una veluti divinorum operum particula; quam sane quaestionem nihil nostra refert hic habere.

21. Sed, ne difficultatem declinare potius quam depellere videamur, primum aio neque ipsis Dialecticis id oneris imponi, ut potissima semper argumenta proferant, quum alia habent, quibus, quantum satis est, sententiam suam confirment; multo igitur minus aequum est tale onus imponi illi, qui argumentum oratorio potius quam dialectico stilo persequitur. Nec desunt, quae ex scripturis exempli caussa promamus, ad evincendum scriptores sacros tali lege se teneri minime putasse. Nam Deus apud Iobum, ut, potentia sua quanta sit, demonstret *(c)*, longa utitur descriptione duorum animalium ex innumeris, quae creavit *(d)*. Psaltes vero tamquam divinae omnipotentiae *(e)* argumentum haec narrat de Deo *(f)*: *Educens nubes ab extremo terrae, fulgura in pluviam fecit; qui producit ventos etc.* Plura, quae afferri possent, praeterimus, atque illud rogamus, ecquid vitio vertatur scriptori Sapientiae, quod simili argumentatione usus fuerit?

(*a*) Sap. II, 24; VI, 26; IX, 3; X, 1; XIII, 2; XIV, 6. 14; XVII, 20; XVIII, 24.

(*b*) Ib. I, 14; V, 20; VII, 17; IX, 9; XI, 22; XVI, 17.

(*c*) Iob. XL, 4; XLII, 2.

(*d*) Ib. XL, 10-XLI, 1-25.

(*e*) Ps. CXXXIV, 6.

(*f*) Ib. 7. 8. Vid. *Hilar.* in h. l.

22. Verum et illud contendo, opportunius orbis ex materia conditi, quam materiei de nihilo productae, meminisse scriptorem illum. Affirmat enim Deum potuisse νεοκτίστους *nove conditas*, id est, nova forma feras immittere in Aegyptios. Iam vero animalia, non de nihilo, sed de materia a Deo producta fuere, horumque κτίσις eius generis opus est, cuius est ipsa orbis conditio, utpote et ipse de materia conditus, non autem ut productio materiei universae, quam de nihilo Deus creavit. Melius igitur id genus opus, cuius est et ipsa conditio animalium, κτίσιν, inquam, sive *conditionem* et *conformationem* orbis, quam opus alterius generis, sicut foret productio materiei, ad probandum hic adhiberi, manifesto liquet; ut sensus sit, quod νεοκτίστους feras *condere* potuerit illa ipsa Dei manus κτίσασα τὸν κόσμον, quae orbem, et quidquid hic continet, adeoque et feras ipsas, condiderat sub universi primordia.

23. Sed alio praeterea argumento nostra haec interpretatio confirmari posse videtur. Ut plurium opinio fert, liber Sapientiae editus est Alexandriae, quo tempore Platonis doctrina in ea urbe iam obtinebat; illud saltem dubitatione caret, scriptorem ipsum doctrinam illam apprime calluisse, ut manifesto demonstrat Bruckerus (*a*), cui tamen minime damus scriptorem hunc Platonis quoque errores sectatum esse. Plato autem docebat quidem orbem a Deo conditum fuisse (*b*), *animalium vero condendorum curam inferioribus diis* permissam esse (*c*). Auctor itaque noster huic errori adversari velle putari merito potest, dum scribit, Deum ea ipsa manu, qua olim orbem, quaeque in eo sunt, adeoque et feras, condiderat, *nova* forma feras *condere* atque in Aegyptios immittere potuisse.

24. Quod attinet ad verbum ברא, sunt, qui negent, aut dubitent saltem, uti iam animadvertimus (5), an ea huic subsit notio, quam defendimus (6), hosque inter, quod iure mireris, Petavius noster (*d*) recensendus est. Hi autem quasdam loquutiones sive senten-

(*a*) De vestigiis philosophiae alexandrinae in libro Sapientiae. Miscell. berolinens. T. VI. n. III.

(*b*) *Bruck*. Hist. crit. philos. Per. I. P. II. L. II. c. 6. sect. 1. §. 25. nn. 11-14.

(*c*) Ib. n. 15. Vid. et §. 24.

(*d*) Dogmat. theolog. T. III. De opific. L. I c. 1. §. 8.

tias sacrorum librorum nobis obiiciunt, in quibus aiunt verbum illud nullo pacto id significare posse, quod dicimus. Quid his reponamus, quaque ratione sententias loquutionesque huiusmodi interpretemur, habes inter ea, quae superius docuimus (7.8). Attamen nonnulla ex iis, quae opponuntur, singillatim expendere non detrectabimus.

25. Ubi Moyses animalium aquatilium et volatilium creationem describit, sic loquitur: *Dixit etiam Deus*: *Producant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram sub firmamento caeli. Creavitque* וַיִּבְרָא *Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquae, . . . et omne volatile (a)*. At, si aquatilia, imo et volatilia, ex aquis producta sunt, pro comperto est haudquaquam de nihilo fuisse producta, ac proinde verbum ברא in hac enuntiatione usurpatum nullo modo idem valere, ac producere de nihilo. Attamen, quibus haec refellantur, minime desunt. Ac primo, quo res planior fiat, animadverte volatilium productionem, prout ea leguntur in hebraicis exemplaribus, aquis haudquaquam tribui. Attendas insuper simili ferme modo narrare Moysem productionem terrestrium animalium, scribit enim haec: *Dixit quoque Deus*: *Producat terra animam viventem . . . . Et fecit Deus bestias terrae (b)*; quare utramque narrationem simul examinabimus.

26. Nemo profecto non sentit loquutiones illas *producant aquae, producat terra*, translatas esse, et quamdam denominationem ac metonymiam in iis haberi; quare, quid ea significetur, quaerendum est. Neque enim, arbitror, cuiquam verisimile fiat Moysen ita aquis ac terrae animalium productionem tribuisse, tamquam si haec ab illis conficta et coagmentata, aut quadam veluti generatione ex illis integra atque perfecta, exorta fuerint. Imo neque terrae aut aquae mentio fit tamquam materiei, ex qua animalia constarent; mox enim Deus haec *creasse (c)* et *fecisse (d)* dicitur, non tamen de aqua aut de terra. Quamobrem aquae, ubi aquatilium creatio, terrae vero, ubi creatio terrestrium animalium narratur, patet mentionem fieri non

(a) Gen. I, 20. 21.
(b) Ib. 24. 25.
(c) Ib. 21.
(d) Ib. 25.

secus ac spatii caelum inter et terram, ubi volatilium creationem commemorat Moyses (*a*), nempe tamquam loci, in quo animalia haec vitam viverent; itaque *producant aquae reptile* et *producat terra animam viventem* explicanda esse secundum illa alia, ut sunt in hebraico exemplari: *et volatile volitet super terram contra firmamentum caeli*, idemque significare, ac *producantur in aquis, producantur in terra*. Ceterum, uti superius praediximus (7), animalia de nihilo a Deo producta vere dices ex ea parte, quatenus materiem ipsam, ex qua constant, Deus de nihilo creavit. Quod si eorum animam materiei expertem esse credas, potiorem quoque caussam habebis, cur illud affirmes.

27. Regeres forte illud, quamquam animalia de nihilo creata dici possint quod ad ipsorum materiem, videri tamen minus opportune minusque apte verbum ברא, quod prius Moyses semel usurpaverat ad universae solummodo materiei productionem enarrandam (*b*), denuo in eam notionem ab eo usurpari, ubi ipsam animalium creationem describit; narrare quippe videtur haec, qualia et quanta sunt, ἀμέσως de nihilo fuisse producta, non secus ac ipsam materiam universam. At, quod minus opportune verbum istud usurpetur, male quis inde concluderet non eam ipsi subesse notionem, quam dicimus. Tum, si ad Moysis consilium animum attenderis, facile perspicies eum perquam apte esse loquutum. Pentateuchum quippe versantibus manifestum fit summopere curasse Moysem, ut ab Aegypto Aegyptiorumque erroribus Israelitarum corda mentesque avocaret, atque abstraheret. Nemini autem notum non est animalia ab Aegyptiis divinis honoribus culta atque inter numina fuisse habita; qua in re quam proni fuerint Israelitae ad Aegyptios sectandos, vel una vituli aurei historia abunde demonstrat (*c*). Ut itaque periculum hoc a gente sua, quantum poterat, averteret Moyses, de animalium creatione loqui incipiens haec, quanta sunt, Dei opus esse verbis quam disertis edicere voluit, ideoque de nihilo ab eodem ipso, quod verissime dici potuit, producta fuisse narravit.

28. Nonnullae aliae scripturarum sententiae nobis obiici solent depromptae praesertim ex Isaia, quae sententiae nostrae de significatione

(*a*) Ib. 20 hebr.
(*b*) Ib. 1.
(*c*) Ex. XXXII.

verbi ברא adversari dicuntur. Praenuntiat Isaias hoc verbo adhibito fore, ut creet *Dominus super omnem locum montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem, et fumum et splendorem ignis flammantis in nocte (a).* Num vero haec de nihilo producenda fuisse putemus? Quidni? Nonne prodigiosa ista forent? Tum recolas, velim, quae de verbi huius usu in prodigiis commemorandis superius scripsimus (7). Verum, quod caput est, nihil in his habes, nisi poeticam imaginem felicitatis a Christo terris inferendae, quam hoc capite describit Isaias (*b*).

29. Nec gravius negotium faciunt illa alia vatis eiusdem: *Ego Dominus, et non est alter, formans lucem et* בּוֹרֵא *creans tenebras, faciens pacem et* בּוֹרֵא *creans malum (c).* Etenim *lucem* et *tenebras* voces translatas esse idemque valere ac *pacem* et *malum*, prodit parallelismus poeticus. Iam vero *malum*, id est, res malae quantum ad ipsarum materiem de nihilo productae a Deo sunt. Perquam autem opportune Deus hic inducitur, ut qui bona aeque ac mala de nihilo creaverit. Probandum enim est nullum alium praeter ipsum Deum esse, idque, ut Saadias non sine probabilitate autumat, adversus *veterem illam Orientalium, praesertim Persarum, opinionem de duobus divinitatibus, seu duobus primis rerum principiis, altero lucis, tenebrarum altero, quorum illud spectandum sit tanquam fons omnis laetitiae, bonitatis, felicitatis (Oromasden), hoc vero causa existat malorum, vitiorum, et confusionis omnis (Ahrimanen)... Ita negabit vates existere talia principia diversa, sed a Iova solo omnia effici, bona et mala (d),* ut qui res universas de nihilo creaverit. Qua in re Hieronymum omnino consentientem habemus (*e*).

30. At enim num praedictiones quoque rerum futurarum de nihilo productas dicamus? quandoquidem de quibusdam harum ita scripsit Isaias: *Nunc* נִבְרְאוּ *creata sunt, et non ex tunc (f).* Velim tamen, consideres haec non de ipsis futurorum praedictionibus scripta

---

(*a*) Is. IV, 5.
(*b*) V. *Rosenmüll.* Schol. in V. T. ad Is. IV, 2-6.
(*c*) Is. XLV, 6. 7.
(*d*) *Rosenmüller* in h. l.
(*e*) In Is. ad h. l.
(*f*) Is. XLVIII, 7. Vid. *Hieronym.* et *Rosenmüller.* ad h. l.

esse, sed de iis, quae futura praedicuntur, et voces *creata sunt* pro vocibus *praedicta sunt* usurpari. Ut enim in sacris libris prophetae aliique ea facere dicuntur, quae facta iam aut facienda futuraque narrant (*a*), ita et Deus in hoc Isaiae capite inducitur narrans ea a se creata esse, quae tamen solummodo praenuntiat se facturum. Verbum autem ברא hoc loco poetice atque ὑπερβολικῶς usurpatur ad Dei opera, quae praenuntiantur, extollenda, utpote in quibus Dei potentia, futurum erat, ut magnificentius proderetur, veluti si nova quaedam ea forent rerum creatio.

31. Illa vero ipsius Isaiae: *Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longe est, et qui prope, dixit Dominus, et sanavi eum (b),* quum *fructus labiorum* nil nisi verba esse queat, in hunc sensum accipienda esse videntur: *Renovabo verbum labiorum, quia sonabit in ore omnium: Pax, pax*, ut Kimchius, et cum eo Iarchius, Doederlein, et Rosenmüllerus, haec interpretantur. At quinam in his locus notioni illi, quam adserimus verbo ברא? Ille nimirum, quem indicat Hieronymus, aliter et longe melius haec ita explicans: *Quodque sequitur: Creavi fructum labiorum, hunc habet sensum: Implevi, quod pollicitus eram, . . . sive: Omnia tribui, quae antea promiseram. Quae est autem Domini pollicitatio? Pacem meam do vobis; pacem meam relinquo vobis. Et hoc est, quod nunc ait: Pacem super Pacem, non uni tantum genti, sed omni mundo (c).* Itaque *labia*, non hominum, sed Dei illa sunt, *fructus* autem horum *labiorum,* non ea, quae homines dicturi essent, sed quae Deus praedixerat. Neque sensus est ipsa verba creatum iri, sed quod verbis significatur, id est, bona *pacis* nomine designata, magnamque haec effectura rerum immutationem, quae nova veluti creatio haberetur (7). Sensum hunc orationis contextus omnino exigit; ea quippe verba cum praecedentibus ita colligata sunt in hebraico exemplari: *Vias eius (Israelis) vidi, et sanabo eum, et ducam eum, et reddam consolationes ei et lugentibus eius* בּוֹרֵא *creans proventum labiorum, pacem, pacem longinquo et propinquo, dixit Domi-*

(*a*) V. Ex. XX, 7; Lev. XIII, 3; Ier. I, 10; XV, 1; Ezech. XLIII, 3 hebr.; etc. Vid. *Rosenmüll.* ad Ier. I, 10.

(*b*) Is. LVII, 19.

(*c*) In h. l.

nus, et sanabo eum; ipso autem sermonis initio, post breve exordium haec dixerat Deus: *Veniat pax (a).* Designant itaque verba illa *creans proventum labiorum* modum, quo Deus ea praestiturus erat, quae pollicebatur, isque erat, ut *crearet proventum labiorum*, pacem videlicet, quam ore suo initio praenuntiaverat.

32. Facile etiam intelliges, quid sonent alia haec: *Ecce ego creo Ierusalem exultationem, et populum eius gaudium (b).* Describitur enim ingens quaedam ac beata rerum innovatio (7), ut apparet etiam ex his, quae ante illa leguntur: *Ecce enim ego creo caelos novos et terram novam etc. (c)*, novaque urbs novusque populus futurus praedicitur, quorum utrumque omni ex parte Dei ipsius opus haberetur, sicut ea, quae de nihilo a Deo creata sunt.

33. Supersunt expendenda verba illa Siracidae, quibus Sapientia de se loquens inducitur: *Ab initio et ante saecula creata sum (d)*, in quibus nullo modo verbo *creari* notio subesse potest *produci de nihilo*. Quod quidem ultro damus; at nihil ex hoc contra sententiam nostram de verbo ברא, quum ignoremus quodnam hebraicum verbum fuerit a Siracide usurpatum et a graeco interprete versum ἔκτισέ με, quod latinus transtulit *creata sum*. Imo, quum Siracides videatur sententiam hanc descripsisse ex libro Proverbiorum (e), ubi est verbum קָנָנִי, quod etiam graece versum est ἔκτισέ με, verisimile fit idem verbum hebraicum adhibitum etiam a Siracide fuisse.

QUAESTIO II

An prima vox geneseos verti possit: In Filio.

1. Quum nomine ראשית initio geneseos Dei filium designari patrum quorumdam sententia fuerit, eam silentio praeterire minime oportet. Etsi vero non omnia argumenta, quibus illam confirmant, aequi ponderis sint, non desunt tamen inter ea, quibus non leve momentum probationis inest.

(a) Is. LVII, 2.
(b) Id. LXV, 18.
(c) Ib. 17.
(d) Eccli. XXIV, 14.
(e) Prov. VIII, 22.

2. Etenim illud, quod nulla ratione quispiam refellat, certum est, nomini huic in illa sententia posse hanc notionem subesse. Eo quippe nomine, non modo tempus, sed etiam caussa quandoque significatur (*a*). Filium autem Dei, Verbum, inquam, aeternum, rerum omnium creatarum caussam esse nos docuerunt scriptores, non modo novi testamenti, sed et veteris, sive quum omnia per ipsum creata fuisse pronuntiant (*b*), sive quum ipsum nomine *principio* designant (*c*), adeoque et την ἀρχὴν της κτισεως *principium creationis (d)* operumque a Deo factorum (*e*) diserte vocant. Eccur itaque hic idem Dei filius aeternumque Verbum nequiverit commemorari eoque nomine vocari, ubi ipsa rerum omnium primordia ipsamque conditionem Moyses narrare aggreditur, ut vox בראשית idem valeat ac *per principium*, id est, *per filium*, *per Verbum?* Praepositio ב hanc quoque vim habet, ob quam בית העזר *beth auxilii* vocari solet (*f*). Sed et graeco ἐν et latino *in*, quae interpretes pro hebraico ב reddiderunt initio geneseos, vis eadem quandoque est, neque in scripturis sacris solummodo (*g*), sed et in aliis libris (*h*); quare Theophilus Antiochenus de primis geneseos verbis haec scripsit: Ἐν ἀρχῃ, . . . τουτεστι, δια της ἀρχης *In principio, . . . id est, per principium (i).*

3. Neque modo non est, quod vocem ראשית ita exponere vetet, sed etiam sunt, quae interpretationem istam tueantur. Atque illud primo considerandum est, quod non uno ex capite congrua narrationi illi atque conveniens futura erat mentio Verbi divini. Si enim *omnia per ipsum et in ipso creata sunt (k)*, si ipsum est ἡ ἀρχη της κτισεως *principium creationis (l)*, num non id, ubi historia creationis texitur, fuerat edicendum? Si ceteri bibliorum scriptores, ubi creationis opus ὥσπερ ἐν παροδῳ commemorarunt, Verbi mentionem mi-

(*a*) Quaest. I. n. 4.

(*b*) Ps. XXXIII, 6 hebr.; Prov. VIII, 30 coll. 22-29 hebr.; Sap. IX, 1; Io. I, 3; I Cor. VIII, 6; Eph. II, 10; Coloss. I, 16. 17; Hebr. I, 2; II, 10.

(*c*) Coloss. I, 18; Apoc. XXII, 13.

(*d*) Apoc. III, 14.

(*e*) Prov. VIII, 22.

(*f*) V. Ios. X, 11; I Sam. XVII, 47; II Sam. XVI, 13; Ps. XXXIII, 6; Thren. II, 19; etc.

(*g*) I Reg. XVII, 47; Hebr. I, 1.

(*h*) *Thucyd.* L. VII. c. 11; *Xenoph.* Cyrop. L. I. c. 6. §. 29. Lipsiae 1828; *Propert.* L. II. eleg. 7. v. 52.

(*i*) Ad Autolyc. L. II. §. 13.

(*k*) Coloss. I, 16.

(*l*) Apoc. III, 14.

nime omisere (*a*), non eius meminerit Moyses, ubi ipsam rerum omnium creationem describit? Si Christus est, ut scribit Augustinus, *propter quem factae sunt scripturae (b)*, sique *omnis . . . . scriptura divina, quae ante scripta est, ad praenuntiandum adventum Domini scripta est (c)*, nonne is ipso scripturarum initio nominetur, praesertim vero quod illic primum eiusdem ipsius opus referatur?

4. Aliam rationem huius rei suggerunt ea, quae deinceps in hoc eodem geneseos capite sequuntur. Moyses enim narratione sua persequens cetera Dei opera, quibus is materiam de nihilo creatam in varias rerum formas digessit, scribit ea facta fuisse *Deo dicente*, singulis operibus verba illa praescribens: *Dixit Deus*. Iam vero, inquit Augustinus, *Patre loquente dicitur Verbum, quod filius est (d)*. Alii etiam patres hoc pacto verba illa exponunt, ut significent Deum per Verbum ea fecisse, quae facta ab eo narrantur; ita inter ceteros Irenaeus (*e*), Theophilus Antiochenus (*f*), Tertullianus (*g*), Athanasius (*h*), Gregorius Nyssenus (*i*). Si itaque Moyses narravit Deum per filium materiam digessisse, totamque hanc rerum universitatem ordinasse, veri prorsus simile videtur eumdem narrasse etiam ipsam materiam per filium a Deo fuisse productam, quum non minus productio haec, quam dispositio illa, filii opus fuerit.

5. Sed Augustinus dignus omnino est, qui rem hanc explanans audiatur. Rogat is (*k*): *Cur ita dictum est: In principio fecit Deus caelum et terram, et non dictum est: In principio dixit Deus: Fiat caelum et terra?* Duo autem respondet, quorum alterum ita est: *In eo, quod scriptura narrat: Dixit Deus: Fiat, intelligamus Dei dictum incorporeum in natura Verbi eius coaeterni revocantis ad se imperfectionem creaturae . . . In qua conversione et formatione, quia* creatura *pro suo modo imitatur Deum Verbum, hoc est, Dei filium semper patri cohaeren-*

(*a*) LL. cc.
(*b*) In Ps. CXXXVII. §. 9.
(*c*) De catechizand. rudib. c. 4. §. 8.
(*d*) De Genesi ad lit. L. I. c. 5.
(*e*) Adv. haeres. L. IV. c. 32 al. 52. §. 1.
(*f*) Ad Autolyc. L. II. §. 13.
(*g*) Adv. Praxeam c. 7.
(*h*) Cont. Arianos Or. II. §. 31.
(*i*) Adv. Iudaeos Testimonior. I.
(*k*) De Genesi ad liter. L. I. c. 3. §. 8.



tem plena similitudine et essentia pari, qua ipse et pater unum sunt, non autem imitatur hanc Verbi formam, si aversa a creatore informis et imperfecta remaneat, propterea filii commemoratio non ita fit, quia Verbum, sed tantum quia Principium est, cum dicitur: In principio fecit Deus caelum et terram; exordium quippe creaturae insinuatur adhuc in informitate imperfectionis, continuo enim haec adduntur: *Terra autem erat inanis et vacua*, id est, informe quid. *Fit autem filii commemoratio, quod etiam Verbum est, eo, quod scriptum est: Dixit Deus: Fiat*, quia materies informis *formam capit, et fit perfecta creatura,* Deo illud dicente. *Ut per id, quod Principium est, insinuet exordium creaturaé exsistentis ab illo adhuc imperfectae, per id autem, quod Verbum est, insinuet perfectionem creaturae revocatae ad eum, ut formaretur inhaerendo creatori, et, pro suo genere, imitando formam sempiterne atque incommutabiliter inhaerentem patri (a).* Horum summa est, ideo initio historiae commemorari filium Dei, solum ut Principium est, non autem ut Verbum, quia solum de ipsa materiei informis productione agitur, non de rerum perfectione; sicut in iis, quae sequuntur, commemoratur, ut Verbum est, quia materiei conformatio rerumque perfectio narratur, qua creatura *pro suo modo imitatur Deum Verbum.*

6. Sed et ceteri scriptores utriusque testamenti huic explanationi vocis בראשית plane suffragari videntur, non modo quia, ut superius (2) dictum est, nefas est credere sententiam Moysi fuisse aliam ea, quam scriptores illi de filio Dei rerum omnium principio habuere, sed etiam quia veri omnino simile fit ex ipso Moyse sententiam hanc illos hausisse. Cuius quidem rei argumenta sufficiet ex uno alterove loco veteris testamenti deprompsisse.

7. Psaltes rerum creationem canens haec protulit, sicut leguntur in exemplari hebraico: *Ipse dixit, et fuit (b)*, id est, Deo dicente res esse coeperunt. Quinam autem non perspiciat verba haec eum a Moyse esse mutuatum, et respondere illis: *Dixit Deus: Sit... Et fuit (c)?*

(a) Ib. c. 4. §. 9.
(b) Ps. XXXIII, 9.
(c) Gen. I, 3. 6. 14 hebr.

Iam vero ita creationis narrationem psaltes exorsus est: *In verbo Domini caeli facti sunt (a)*. Quare haec illis aliis geneseos verbis videntur plane respondere, quibus historiam creationis exorsus est Moyses: *In principio creavit Deus caelum*.

8. Aliud argumentum suggerit Salomon, ubi Sapientiam ipsam se laudantem inducit (*b*). Sapientia haec nequit ea esse, qua homines praediti sunt, utpote quae ante res omnes conditas, nedum ante homines, se fuisse narrat (*c*). Neque enim illa מִקַּדְמֵי אֶרֶץ (*d*) idem valent, ac *ab antiquissimis terrae aetatibus*, ut ea vertunt nonnulli, etsi sensus iste adversetur iis, quae mox sequuntur (*e*), sed, ut recte sensit Schultens, ab anterioritatibus terrae . . . *Illa* anteriora terrae *haud dubie absolutam . . . aeternitatem exprimunt (f)*. Quamvis porro initio illius capitis (*g*) ita illa eadem Sapientia nominetur, ut nihil aliud esse videatur nisi unum ex iis, quae Deo sunt attributa, attamen, quod etiam apud Paulum fieri videas (*h*), Sapientia οὐσιωδῶς ex improviso transmutatur in ὑπόστασιν; talia enim ipsa de se loquitur, quae vel nulli nisi divinae ὑποστάσει queant convenire, vel huic magis quam alii rei cuicumque conveniant, utpote filio Dei apprime propria deque eo dicta ab aliis scriptoribus sacris. Atque illud primo in universum considera, quod ea sermonis parte, de qua agimus, Sapientia, ut scribit Rosenmüllerus, *se se mortalibus commendat . . . ut . . . creatoris omnipotentis alumnam (i)*. Etenim verbo קָנָנִי, pro quo interpres vulgatus reddidit *possedit me*, sicut Aquila reddiderat ἐκτήσατό με, alexandrini autem interpretes ἔκτισέ με, vetusque latinus *creavit* vel *condidit me (k)*, vera ac germana notio non est simpliciter *possidere*, quod potius verbo נָחַל aut בָּעַל significatur, sed aliquid sibi *comparare*, *acquirere*, atque *ita* demum *possidere*, idque non solum *emptione*, sed et *productione (l)*, adeoque et *generatione* sive proprie dicta (*m*) sive μεταφορικῶς (*n*). Iam

(*a*) Ps. XXXIII, 6.
(*b*) Prov. VIII.
(*c*) Ib. 22 seqq.
(*d*) Ib. 23.
(*e*) Ib. 26.
(*f*) In h. l. Vid. Quaest. I. n. 16.
(*g*) Prov. VIII, 1.
(*h*) I Cor. II, 6. 7 coll. 8.
(*i*) In Prov. VIII Argument.
(*k*) Prov. VIII, 22.
(*l*) Genes. XIV, 19. 22; Psalm. CXXXIX, 13.
(*m*) Gen. IV, 1
(*n*) Deut. XXXII, 6.

vero, ut minus commode haec verbi illius notio congrueret cum sapientia Deo attributa, quum nullo pacto eam *sibi comparando* Deus *possedisse* dici possit, ita commode prorsus dicitur Deus קָנוֹת *generando possidere* Sapientiam ἐνυπόστατον, id est, filium suum, sicut Heva filio in lucem edito dixit: קָנִיתִי *possedi hominem (a)*. Filium Dei *ex patre natum* credere profitemur, sapientiam vero Deo attributam ex Deo natam dicere nemo nostrum audeat; quomodo ergo talem se ipsa dicens a scriptore sacro inducatur (*b*)? Ioannes de filio Dei haec scribit: *Verbum erat apud Deum (c)*, quae, vix dubitem, an is desumpserit ex hoc Proverbiorum capite, ubi Sapientia ait de se: *Et eram apud eum (d)*, utpote a Deo patre distincta, sicut continuo addit: *Et eram . . . . coram eo (e)*, quae quisque intelligit an sapientiam οὐσιωθῆ sonent. Nomen אָמוֹן, quod verbis *et eram apud eum* continuo adiungitur, sententiae nostrae perbelle facit. In eo vertendo discrepant interpretes. Alexandrini enim putarunt nomen hoc idem significare ac אָמָן *opifex*, et pro eo reddiderunt ἁρμόζουσα *adaptans*, quibus consentiunt syrus et vulgatus; hoc autem epithetum aeque congruit tum sapientiae οὐσιώδει tum ὑποστάσει. Verum Aquila reddidit τιθηνουμένη *alumna*; nam, ut animadvertit Rosenmüllerus, *quum verbum* אָמַן *Iesai. LX*, 4 *de* LIBERORUM GESTATIONE *dicatur, indeque . . . .* אֹמֶנֶת GESTATRIX *puerorum sit Ruth IV*, 16, *nostrum* אמון *plures* NUTRICIUM *interpretantur, sed ita, ut alii active id capiant de* PAEDAGOGO *seu* GERULO *liberorum, alii vero passive de infante, qui gestatur, seu nutritur. Et id quidem omnium optime huc quadrat (f)*. Ita etiam ante Rosenmüllerum sensere Io. Henricus Michaelis (*g*), Albertus Schultens (*h*), aliique, atque putarunt huc spectasse Ioannem, quum Christus ab eo vocatus est *unigenitus filius, qui est in sinu patris (i)*. His vero obsistit Gesenius, aitque nomen אמון dictum quidem hoc loco esse *de Sapientia hypostasi (k)*, significatione tamen passiva esse

(*a*) Gen. IV, 1.
(*b*) Prov. VIII, 24. 25.
(*c*) Io. I, 1.
(*d*) Prov. VIII, 30.
(*e*) Ib.
(*f*) Schol. in Prov. VIII, 30.
(*g*) Biblia hebr. cum brevib. annotat. ad h. l.
(*h*) In h. l.
(*i*) Io. I, 18.
(*k*) Thesaur. philol. crit. ling. hebr. et chald. ad h. v.

non posse, id enim forma ipsa nominis grammatica minime fert (*a*). Verumtamen ipse in suum Thesaurum philologicum criticum, qui nondum totus in lucem editus est, recepit nomina מָרוּחַ *contritus*, נָקוֹד *punctis distinctus*, neque inde exclusit חָמוֹץ *oppressus*, omisit tamen מָשׁוּחַ *illitus (b)*, etsi ipsum Ieremiae caput, quo nomen hoc legitur, indicet, non quidem ubi nomina explicat a מָשַׁח deducta, sed ubi ipsam radicem illustrat (*c*), veluti si משוח verbum foret, non autem nomen. Si itaque nomen illud אמון sit *alumnus* sive *puer, qui sinu gestatur*, facile dabis longe verius eo vocari potuisse divinam ὑπόστασιν, quam sapientiam Dei οὐσιώδη. Quod praeterea confirmatur iis, quae continuo sequuntur, et quae simul alia etiam ratione comprobant sententiam nostram. Quum enim Sapientia dixerit se ab omni aeternitate apud Deum fuisse, nobisque se repraesentaverit velut puerum, quem Deus ipse sinu gestaret, statim haec subdit: *Et eram deliciae quotidie* (*d*); cuiusnam vero *deliciae* nisi ipsius Dei, in cuius sinu ea morabatur? Haec autem nonne gemina sunt eorum, quae non semel Deus de Christo pronuntiavit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*e*)?

9. Quae si ipse consideres, satis, arbitror, tibi constabit, quam parum haec ipse Rosenmüllerus expenderit, quum ita scripsit: *Quod si vero expendas, nullo indicio in hoc Sapientiae sermone eam prodi ut personam quandam vere existentem et sublimiorem, neque audaciorem figuram esse, quam quae genio Orientis conciliari possit, deinde infra IX*, 13 כְּסִילוּת stultitiam *simili vatis licentia personam induere, omnis sane disputatio de filio Dei*, substantiali, *quam vocant barbare*, sapientia, *sponte concidit* (*f*). Nec equidem negabo, si totus hic Sapientiae sermo solummodo *audacior* quaedam *figura* foret, posse hanc cum *genio Orientis conciliari*. Sed ecquid figuras poeticas sensumque translatum

(*a*) Vid. *Gesen.* Lehrgeb. §. 120. n.° 3.
(*b*) Ier. XXII, 14.
(*c*) Thesaur. ad h. v. n.° 1.
(*d*) Prov. VIII, 30.
(*e*) Matth. III, 17; XVII, 5; Is. XLII, 1.
(*f*) Schol. in Prov. VIII, 22.

comminiscamur, ubi proprius verborum sensus apprime constat, imo ubi quaedam loquutiones, sicut hoc loco fieri vidimus, si in sensum translatum accipiantur, vel nihil significabunt, vel etiam quid absurdum? Illa autem stultitiae prosopopoeia alio prorsus modo se habet. Nec enim stultitia ipsa loquens inducitur, sicut inducitur ipsa Sapientia, sed quaedam *mulier stulta et clamosa, plenaque illecebris, et nihil omnino sciens (a)*, quae tribus versiculis orationem suam totam absolvit. Tum fatear ingenue me minus assequi, quid incongrui atque absoni in eo sit, quod personae verae et proprie dictae ficta quaedam persona, filioque Dei, ut qui patris sapientia habetur, et vocatur (*b*), hominum stultitia opponatur, quandoquidem huic eidem Dei filio, ut qui lux est, tenebras opponere Ioannes veritus non est (*c*); quod si regeras tenebras istas nihil esse nisi homines erroribus ac fidei defectu laborantes, scias quoque stultitiam a Salomone descriptam esse ipsos homines stultos.

10. Patres, qui Sapientiam hanc a Salomone commemoratam sensere divinam personam esse, habes plurimos, ad quos enumerandos vix pagina sufficeret; ab Athenagora (*d*) enim ad Augustinum (*e*) plusquam viginti recenseas.

11. Itaque Sapientiae nomine hic divina ὑπόστασις, hoc est, Dei filius, loquens inducitur, qui et a Paulo *Sapientia* vocatur (*f*), quod Rosenmüllerum fugisse putandum est, quum scripsit, quod eo *cognomine Iesus numquam insignitur (g)*. Commemorat Sapientia, filius, inquam, Dei, opera creatoris, seque simul vocat רֵאשִׁית דַּרְכּוֹ *principium viae eius* (*h*). Ut autem illorum operum enumerationem, quae deinceps fit, manifesto patet exscriptam esse ex genesi, ita vix credibile est aliunde, quam ex initio geneseos, desumptam fuisse illam appellationem. Quo semel posito Salomon quoque iis adnumerandus foret, qui senserunt בראשית significare *in filio* seu *in Verbo*.

12. Quid vero, quod hunc vocis illius sensum a maioribus sibi traditum Iudaeos veteres accepisse putare est, quandoquidem interpres

(*a*) Prov. IX, 13.
(*b*) I Cor. I, 24. 30.
(*c*) Io. I, 4. 5.
(*d*) Legat. pro Christian. §. 10.
(*e*) Doctr. chr. L. I. c. 34. §. 38; etc.
(*f*) I Cor. I, 24. 30; II, 7 coll. 8.
(*g*) L. c.
(*h*) Prov. VIII, 22.

hierosolymitanus eam vertit בְּחוּכְמָא *in sapientia?* Quam quidem nequaquam eam esse, quae Deo οὐσιώδης est, sed divinam ὑπόστασιν ita nuncupatam, pro comperto est; nomen enim ראשית, pro quo *sapientia* redditur, posteriorem hanc (2), nullo autem modo illam priorem, potest significare. Quod si malis dicere interpretem hanc nominis istius significationem didicisse ex libro Proverbiorum (8. 10), quia et ipse putaverit tum Moysem tum Salomonem de eodem *principio* esse loquutos, non repugnabo, quum ita quoque illius auctoritate iuvemur.

13. Patres vero, qui expresse docuerunt verba *in principio* de filio Dei dicta esse, habemus Theophilum Antiochenum (*a*), Clementem Alexandrinum (*b*), Origenem (*c*), Marium Victorinum Afrum (*d*), Evagrium (*e*), Augustinum (*f*), forte etiam Iustinum (*g*), Methodium (*h*), Athanasium (*i*), et Philastrinm (*k*), quibus nec Tertullianus (*l*), nec Hilarius (*m*) repugnant, imo nec Ambrosius (*n*), nec Hieronymus (*o*), qui in hunc quidem sensum verba illa accipi posse concedunt, non tamen κατὰ ῥητόν. His vero accensere non dubitem eos, qui Verbum expresse *Principium* appellant, ut Iustinus (*p*), Tatianus (*q*), vel alio nomine haud dissimili, ut Athenagoras (*r*), Tertullianus (*s*), quique idem ipsum Verbum *manum Dei* vocant, ut Irenaeus (*t*), Methodius (*u*), Victorinus Petabionensis (*v*), scriptores Recognitionum (*x*) et Clementinorum (*y*), Athanasius (*z*). In coemeterio Callisti visitur titulus loculi, in quo pro usitata illa clausula: *In pace et in Christo*, haec alia legitur: *Dormit in*

(*a*) Ad Autolyc. L. I. §. 3; L. II. §§. 10. 13.
(*b*) Stromat. L. VI. §. 7.
(*c*) In Genes. hom. I. §. 1.
(*d*) De generat. div. Verbi §. 27.
(*e*) Consultat. Zacchaei christiani et Apollonii philosophi L. II. c. 3.
(*f*) De Genesi ad lit. L. I. c. 3. §. 8; c. 4. §. 9; c. 6. §. 12.
(*g*) Apolog. I. §. 59.
(*h*) De creatis apud *Photium* cod. CCXXXV. §. 8.
(*i*) De incarnat. §. 3.
(*k*) Haer. XCV.
(*l*) Adversus Hermogen. cc. 19. 20 coll 18 et adv. Prax. cc. 6. 7.
(*m*) In Ps. II. §. 2.
(*n*) Hexaem. L. I. c. 4. §. 15.
(*o*) Quaestion. in Genes. I, 1.
(*p*) Dial. cum Tryph. §. 62.
(*q*) Orat. cont. Graec. §. 5.
(*r*) Legat. pro Christian. §. 10.
(*s*) Adv. Hermog. c. 20.
(*t*) Haeres. L. III. c. 21 al. 31. §. 10; L. V. c. 15. §§. 2. 3.
(*u*) L. c. §. 7.
(*v*) In Apocalyps. XI, 1.
(*x*) L. VI. §. 7.
(*y*) L. XI. §. 22.
(*z*) Lib. de incarnat. et cont. Arian. §. 12.

pace et PRINCIPIO (*a*), qnod adiungere poteris testimoniis patrum, qui Verbnm expresse *Principium* dixere.

14. Unum fortasse huic sententiae opponere quis posset. Si verba *in principio* significant *in filio* aut *in Verbo*, videtnr concidere argumentum ex verbis illis desnmptum ad refellendam creationem rerum aeternam, quod in qnaestione superiore urgebamns (*b*). At, esto, concidat, non ideo ipsa δογματος illius veritas periclitabitur; quorum enim auctoritas haec eadem verba in hunc sensum accipere suadet, iidem docent res omnes praeter Deum esse olim coepisse. Imo hac ipsa de caussa nihil argumento illi deperire putandum est, si voces *in principio* in eum sensum accipiamus. In tantum enim hanc interpretationem defendimus, in quantum patres atque, ut videtur, etiam scriptores sacros ea habet auctores; ideoque non alio pacto Dei filium *Principium* a Moyse vocari credendnm est, nisi quo iidem hi patres scriptoresque id snnt interpretati. Hi vero docent ideo illum vocari *Principium*, non modo quia materies universa in speciem atqne ordinem per ipsum digesta est, sed etiam quia ipsam hanc materiem, quae nihil prius fuerat, de nihilo Deus per ipsnm filium creavit. Igitur filins Dei a Moyse *Principium* dicitur, non modo quia *omnia per ipsum* FACTA *sunt (c)*, nec solnm quia per eum Deus *creavit*, UT ESSENT *omnia (d)*, sed *quia* EX NIHILO *fecit illa Deus (e)* per ipsnm Verbum, quae nihil olim fuerant; at, qnae ita de nihilo exstitere, patet ea aeterna esse non posse, sed esse coepisse. Quae quum ita sint, voces *in principio*, etiam ut Verbum divinum significant, argumento esse possunt ad universum aeternum explodendum.

15. Ceterum, an hanc vocum *in principio* significationem sequi praestet, quam alteram, de qua qnaestio prima fuit, definire securus non ausim; etsi, qunm posterior haec omnino certa atque explorata non sit, fatear me priorem praeferre, utpote magis obviam magisque communem. An autem maiore ratione is facturus sit, qui utramque verbis illis subesse dixerit, non difficulter comperies, si vel ntramque simul componere tentaveris, vel eam qnaestionem recolueris, quam de unico aut multiplici scripturarum sacrarum sensu literali alias habuimus (*f*).

(*a*) Apud *Fabrettum* Inscription. pag. 553. n.° 41.

(*b*) Quaest. I. n.° 16.

(*c*) Io. I, 3.

(*d*) Sap. I, 14.

(*e*) II Mach. VII, 28.

(*f*) L. I. c. III. q. II.

QUAESTIO III

De Hevae et serpentis colloquio (Gen. III, 1-5).

1. Ea, quae Moyses Hevam inter et serpentem transacta retulit (*a*), interpretes de schola Rationalistarum μυθοις adnumerant (*b*), Caietanus μεταφορικα esse putat (*c*), Io. Iahn historica, ita tamen, ut merum Hevae somnium hoc fuerit (*d*). Alii alias de his sententias tulere, quas vide sis apud Pererium (*e*). Nos vero cum Catholicis fere omnibus affirmamus, neque μυθον, neque μεταφορικα, neque somnia, sed rem vere gestam, ut gesta reipsa fuit, a Moyse narrari. Quamobrem refellenda nobis primo sunt argumenta Caietani et Iahni; tum vero, quod affirmamus, comprobabimus, quo simul Rationalistarum sententia, quantum satis est, explodetur, neque enim nunc locus est iis omnibus expendendis ac refellendis, quae pro illa Gablerus (*f*) longo sermone disputavit.

ARTICULUS I

Sententia Caietani.

2. Caietanus ita scribit: *Non fuit igitur sermo vocalis, sed sermo internae suggestionis, quo diabolus serpere venenosa cogitatione incepit*; *et eodem sermonis genere universus iste dialogus inter serpentem et mulierem intelligendus est (g)*. Duplici porro argumento haec tuetur.

3. Primum est, *serpentis* nomen diabolo factum congruere loquutioni auctorum sacrorum. Id enimvero ultro accipimus. At nihil aliud eo comprobatur, quam hoc ipsum per se vocabulum *serpens*, omni reliqua narratione seposita, sententiae Caietani minime adversari.

(*a*) Gen. III, 1-5.

(*b*) *Eichhorn's* Urgeschichte herausg. mit Einleit. u. Anmerk. von *D. Ioh. Philip. Gabler* II Th. I B. S. 137-252.

(*c*) In h. l.

(*d*) Append. hermen. Fasc. II. pp. 206-231.

(*e*) In Genes. L. VI init.

(*f*) L. c.

(*g*) L. c.

4. Alterum est, sententiam hanc rerum, quae hoc loco narrantur, adiunctis consonare. At id pernegamus. Pluribus tamen id evincere conatur Caietanus. Etenim, inquit, si verus serpens fuisset, falso diceretur *callidior cunctis animantibus (a)*. Sed attendas in vulgata interpretatione verbum *erat* utique ita accipi posse, ut significare videatur calliditatem illam serpentum generi propriam fuisse; exemplar tamen hebraicum habere verbum הָיָה, quod sonat *fuit*, ita ut ea calliditas seu versutia illi uni tribuatur tamquam exserta in eo, quod tunc gessit, sensusque sit, illum serpentem illa versutia usum esse, qua nullum aliud ex animalibus. Neque opponas ה praescriptum nomini נָחָשׁ *serpens*, quod, quum nequeat hic designare singularem aliquem serpentem, de nullo enim hactenus loquutus fuerat Moyses, designet necesse est ipsum genus, ut grammatici loquuntur, collective. Ne, inquam, id opponas; nam singularem serpentem, non autem serpentum genus, eo articulo designari patet, quum ille ipse dicatur cum Heva esse loquutus; neque ideo contra leges grammaticas articulo hoc peccatum est, quum propter alias rationes, quas te docebunt grammatici (*b*), tum quia aetate illa sub ipsam rerum omnium creationem singulae animantium species singula tantum ex utroque sexu capita complectebantur, ut veri similius esse videtur.

5. Quibus positis concidit illud quoque, quod ait Caietanus, ideo *talem* dici serpentem, ut intelligamus de vero serpente sermonem minime haberi. At enim nonne ad hunc ipsum finem serpens ille loquens inducitur? Quin respondeam, unum rogabo, num ad hunc ipsum finem dicatur asina Balaami loquuta esse (*c*)? Verum, reponit, id prodigialiter evenisse Moyses diserte docet (*d*), qui tamen in eo, de quo quaerimus, *insinuavit nullum intervenisse miraculum*. Rectius tamen haec verba ita disposuisset Caietanus: *non insinuavit ullum intervenisse miraculum*; hoc enim alterum verum est, non illud prius. At num, quoties miraculum quis refert, disertis verbis nos admoneat, opus est, miraculum id fuisse? Quasi vero non res ipsa per

(*a*) Gen. III, 1.
(*b*) Vid. *Gesen.* Thesaur. philolog. crit. ling. hebr. et chald. T. I. p. 360.
(*c*) Num. XXII, 28. 30.
(*d*) Ib.

se id aperte loquatur. Tum neque ceteri scriptores sacri (*a*) hac lege se teneri putarunt. Denique, si diabolus serpente interprete usus est, nullum sane miraculum contigit, quod Moyses referret.

6. Quod deinde Caietanus opponit, poenas, non serpenti, sed diabolo inflictas a Deo tunc esse, inferius examinabimus. Diabolum autem, ut ille scribit, bestiis ideo comparari, quia *ex peccato redactus est in ordinem bestiarum*, refutatione non indiget, quum vix credibile sit tanto viro verbum hoc excidere potuisse. Denique, quod nihil narretur, de adventu serpentis ad mulierem, nihil de horrore, quo illa viso serpente perculsa est, ut se se simili aspectu perculsum Moyses narrat (*b*), nihil de ipsa loquens animal obstupescente, quid haec officiant historiae veritati, quisque comperit. Quid enim? num singula quaeque rerum adiuncta referat, oportet, historicus, quominus de historiae veritate dubii haereamus?

ARTICULUS II

Sententia Iahni.

7. Nunc ad Iahni sententiam veniamus. Hanc priusquam ipse aperiat, iubet nos omnium interpretationum, quibus historia illa a diversis exposita est, oblivisci, omnesque, quibus animus praeoccupatus est, opiniones amandare, ac nosmet totos in simplicem illum atque puerilem hominis recens conditi statum reducere (*c*); ita demum animi sui sensus nobis pervios futuros, suaeque interpretationis veritatem compertum iri. Haec praefatus ad interpretationem ipsam aggreditur. Atque illud ante omnia nos docet, primos generis nostri parentes, etsi adulto corpore, ea tamen mentis conditione fuisse, qua infantes pueri, seu qua homines extra omne hominum ceterorum consortium in silvis atque inter feras adulti esse solent; quamobrem, inquit, *res in somnis oblatas opinabantur reapse actas esse (d).*

(*a*) Vid. ex. gr. IV Reg. II, 8. 14; IV, 1 - 7. 41; V, 9 - 14; etc.

(*b*) Ex. IV, 3.

(*c*) Op. cit. pp. 207. 208. 229.

(*d*) Ib. p. 206.

Hoc autem posito, sententiam suam promit: *Hoc loco narrari somnium, . . . quod protoparentes, utpote infantes, a re vere acta discernere nondum didicerant, et hinc narrabant, prout opinabantur reapse accidisse (a).* Huiusmodi autem somnio occasionem oblatam ex eo, quod, ut videtur, *suspicio haec alias in mente mulieris videntis serpentem vorare fructum hunc sine noxa orta* fuerit, videlicet *Deum invidere hominibus hanc perspicaciam,* quam iis, qui pomum comedissent, serpens futuram praedixit, *et hinc fructum arboris interdixisse (b).* Qui autem fieri potuerit, ut Moyses tamquam rem vere gestam somnium referret, ita explicat: *Somnium . . . protoparentes, utpote infantes, a re vere acta discernere nondum didicerant, et hinc narrabant, prout opinabantur reapse accidisse (c). Illa, quibus in prima infantia aut adolescentia sua actis . . . vehementius commoti fuerant, alia, quam qua primitus perceperant, ratione narrare non poterant. Haec illo infantili modo concepta narratio, etsi lingua temporis progressu ditata, mansit qualis erat,* id est, qualis primo ab Heva habita fuerat, *et per Methuschelachum (Mathusalam) et Noachum (Noe) propagata est ad Abrahamum, et demum in linguam quoque hebraicam transiit, minutiis quidem fortasse quibusdam (uti Gen. III, 1 serpentem fuisse astutissimum animal, et Deum dixisse, quae Gen. III, 22-23 leguntur) aucta, in rei summa autem immutata et depravata non fuit (d).*

8. Tria vero potissimum sunt in toto hoc Iahni sermone, quae animadversionem merentur, puerilis illa primorum parentum conditio, mulieris somnium, modus denique, quo huius rei historia ad posteros transmissa atque a Moyse narrata dicitur.

§. I

De puerili primorum parentum conditione.

9. Manifesto enim liquet totum istud commentum de tali primorum parentum infantia, ne dicam feritate, eo tendere, ut alterum

(a) Ib. p. 217.
(b) Ib. p. 219.
(c) Ib. p. 217.
(d) Ib. p. 207.

ipsius eiusdem Iahni commentum de colloquio Hevam inter et serpentem in somnis habito veri fieret similius; ea quippe re posita evincere ille conatur nequivisse Hevam somnium a vigilia distinguere. Ipsum vero Iahnum somniasse equidem putarem, quum omnia haec est commentus. Nam Adamum et Hevam prima illa aetate pluribus omnino notitiis fuisse destitutos, iisque praesertim, quas longa solum rerum experientia ingerere adultis potest, credere non diffitear, imo veluti pueros iure meritoqne haberi potuisse, si animi vitaeque integritatem moresque simplices atque innocuos spectes, qua de re, lege, quae Prudentius Maranus productis patrum testimoniis praefatus est in edendis scriptis Iustini (*a*); illud tamen contendam, quod Iahn nullo pacto refelleret, animam et mentem ea vi ac facultate praeditas illis fuisse, qua, non in pueris, sed in adultis esse conspicimus. Frustra vero Iahn facta congerit (*b*), quibus comprobet homines etiam adultos, qui omni humana institutione et conversatione caruere, a feris brutisque minimum distare. Ecquis enim credat tales generis nostri parentes a Deo conditos, talesque ex ipsius creatoris manibus prodiisse, non autem ea animi ac mentis perfectione, quae perfectioni corporis responderet? Idque eo vel minus credibile fit, quo facta a Iahno relata plus comprobant, quam ipse vellet; eos videlicet, qui in silvis atque inter feras adolevere, non modo ferinis moribus praeditos esse, humanisque cognitionibus destitutos, (quo sane confirmatur, quod Iahn contendit, quodque ipsi ultro damus, homines, ut nunc sunt, aliorum cura atque institutione indigere, queis humanitus vivere addiscant), sed et nullius ferme eruditionis esse capaces, cultumque omnem humanum refugere atque respuere, quod, arbitror, de primis parentibus credere neque Iahn esset ausus.

10. Attendas insuper, quod istiusmodi homines brutis similes succreverint, imo et ab hominum consortio, humanisque moribus, omnique vivendi ratione, quae hominum est, adeo, ut narratur, plerumque abhorruerint, non ideo accidisse, quia ab hominum societate divulsi adoleverant, sed quia a pueris ferina, ut ita dicam, institutione educati ferarum mores imbiberant necessario. Num vero quid cum

(*a*) Opp. *Iustini* Praef. P. II. c. 5.

(*b*) Op. cit. pp. 209-212.

horum conditione commune aut simile primorum parentum conditio ac status habere videatur?

11. Sed, esto, tales hos prima illa aetate fuisse, quales Iahn sibi confingit, certo tamen constat, quod etiam palam faciunt narratiunculae ab eo descriptae, illos sola experientia duce aut solo duorum, quot erant, consortio ex bruta hac conditione emergere minime potuisse. Indiguere proinde institutione divina, ut ipse Iahn affirmat (*a*), quae eos ad mores humanos effingeret, formaretqne, humanoqne modo vivere atque agere edoceret. Verum eccur pntemus institutionem hanc paullatim ac veluti particulatim habitam a Deo fuisse, non autem potius, simul ac eos creavit, perfectam absolutamque, quantum satis erat, ut hominum more viverent, agerentque?

12. Pessime vero Iahn arguitur peccasse, dum integram primorum parentum naturam ad eam, qua nunc sumus, exigere, beatamque illam, qua erant, conditionem *his tristibus miseriae humanae exemplis (b)* metiri adortus est.

13. Ceterum, commentum hoc totnm de puerili illorum statu nullius momenti esse ad evincendnm Hevam somniando sibi cum serpente colloqui visam esse, mox perspiciemus (16-18).

§. II

De mulieris somnio.

14. Novimus subinde contingere, ut somnium, tantisper saltem dum minus animnm attendimus, a re vere gesta discernere nequeamus, ac dubitemus, num somniando an vigilando aliquid egerimus, aut dixerimus, aut cogitaverimus; sique praesentia adsint somnii adiuncta, puta, personae, quibuscum colloqui somniabamus, difficilius dubitationem illam depelli. Quare id ipsum Hevae contingere potnisse non negaverim, idque eo facilius, quo magis illa, quippe recens condita, omni rerum experientia adhuc destitnebatur. At securos nos hic mittere, num res fieri potuerit, ubi rem factam esse vehementer est per-

(*a*) Ib. p. 213. (*b*) Ib. p. 212.

negandum, idque ut optima ratione negetur, sufficere, quod nulla ratio in Moysis narratione sit, quae suadeat credere factum, ecquis non sentiat?

15. Sed neque desunt, quae falsnm omnino illud esse commonstrent. Nam, si mulier se cnm serpente confabulatam esse somniaverat, qnorsum illud exordium huius somnii narrationi praescriptum: *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus, quae fecerat Dominus Deus,* quo ratio et caussa rei tamquam vere gestae assignatnr serpentis illius versutia? Aut qua veritate ipsa narratio cnm hoc exordio connectitur per illa verba *qui dixit ad mulierem,* sive, ut sunt in codice hebraico, *et dixit ad mulierem*, quae produnt loquutum Hevae fuisse illum ipsum serpentem, de cuius versutia in exordio dictum est?

16. Neqne enim haec dissolvas, si dicas totam narrationem ipsi Hevae deberi, quae gestum vere credidit, quod somniaverat. Nam, quatenus narrationem hanc Hevae acceptam referri oporteat, paulo infra videbimus (21 seqq.). Interea rogo, num credibile cuiquam fiat, nescisse Hevam tale somninm a re vere gesta distinguere? Vel enim iam noverat serpentes aeque ac cetera animalia loquela destitui, vel nondum. Si nondum noverat, nosse procul dubio debuit postquam senuerat, et ea saltem aetate errorem, qni in suam narrationem irrepsisset, emendare, ita ut narratio haec emendata posteris transmitteretur. Merito enim ridendus est Iahn, dnm ipsum haec regerere audimus: *Protoparentes . . . . consequente etiam tempore . . . . illa, quibus in prima infantia aut adolescentia sua actis . . . . vehementius commoti fuerant, alia, quam qua primitus perceperant, ratione narrare non poterant (a).* Quid enim? num longa nongentorum annorum aetas satis non erat, ut tandem illi animadverterent serpentes, sicnt et animalia cetera, non modo minime loqui, sed nec loqui posse neque ratiocinari, quo errorem dedocerentur, agnoscerentque nil nisi somnium esse potuisse, quod vere gestnm prius putassent? Ecquodnam huius rei simile nsquam gentium evenisse memoriae proditum est, ut, quae monstra quis prima aetate somniaverat, somnia esse iam senex non de-

---

(a) Ib. pp. 206. 207.

prehenderit? Sin autem Heva, quando cum serpente colloqunta est, noverat iam serpentes aeque ac cetera animalia loquela destitui, edicat Iahn, qui factum sit, ut etiam tale colloquium somnium esse expergefacta non continuo sentiret? Quia, inquit, nil monstrosum somnianti mirum est (*a*). Ast oppido mirum est vigilanti, atque adeo, ut ipsa una monstrosa species manifestissimum somniorum indicium habeatur. Quamobrem, si narratio haec, de qua agimus, talis adhuc manet, qualem Heva eam habere solebat, quum nulla inde somnii suspicio legentibus ingeratur, neque ipsi Hevae ingesta fuisse dicenda est; quae tamen suspicio, siquidem ea somnians colloquium illud habuisset, quominus ipsi ingereretur, quum fieri non potuerit, liquet Hevam, non somniando, sed vigilando cum serpente esse colloquutam.

17. Quod autem Iahn primos parentes, quum ea, quae hoc loco narrantur, evenere, adeo infantes pueros fuisse nobis persuadere conatur, ut ex una hac puerili eorum indole error ille derivatus credi tuto possit, quam inepte faciat, nemo, qui sapit, non intelligit. Num enim, qui, non modo Dei (*b*), sed et generis a se propagandi (*c*), et mortis (*d*), notitiam adepti iam fuerant, qui iam agriculturam exercere (*e*) diversaque animalium genera dignoscere (*f*) noverant, qui iam loqui animique sensa verbis aperire didicerant (*g*), qui denique vel somniantes, ut apparet ex Iahni interpretatione, seriem illam sermonis servare, quod vix doctissimus quis posset, argutulamque illam dubitationem excogitare valebant, quam in Hevae et serpentis colloquio reperimus, hos, inquam, somnium a vigilia discernere nequivisse credamus?

18. Demum cur poenae inflictae serpenti, si hunc sibi noxae fuisse Heva somniaverat solummodo? Nempe, inquit Iahn, quia *simili modo reprehendere et castigare, imo etiam verberare, solemus animata et inanimata, quae occasionem infantibus praebuerunt, ut ipsi se per illa laederent, atque tali castigatione innocentium animatorum et inanimatorum solatium quodpiam parvulis, qui se per illa*

(*a*) Ib. p. 217.
(*b*) Gen. I, 28-30; II, 15-17. 19. 22; III, 1-5.
(*c*) Ib. I, 28.
(*d*) Ib. II, 17.
(*e*) Ib. II, 15.
(*f*) Ib. II, 19. 20.
(*g*) Ib. II, 19. 20. 23. 24; III, 1-5. 9-13; etc.

laeserant, suppeditamus. Hac ratione Deus, ut pater, in solatium protoparentum, qui non erant nisi infantes adulti, reprehendit serpentem, et in speciem poena afficit, quae reapse non est poena (a). Sed, licet iste agendi modus minime Deum dedecuisset, an enim decuerit, apprime dubitarem, non magis tamen assequerer, qui haec cohaereant cum Iahni sententia, quod totus iste eventus eo solum tenderet, ut parentes generis nostri docerentur *similes . . . suggestiones in speciem amicas, quales in somnio percepit mulier, nunquam defuturas, verum reputandas esse hostes infensissimos, qui impugnandi, amoliendi, et delendi sunt*; nec non *quibuscumque adlectationibus et illecebris non esse inconsiderate cedendum, sed resistendum, et etiam eos, qui ad transgressionem invitant, esse poena dignos*; quodque *hac via usus rationis practicae seu facultatis de moralitate actionum iudicandi excitatus fuit, ut homo sui ipsius et actionum suarum fieret iudex (b).* Non, inquam, dispicerem, quo pacto magnificis hisce doctrinis, quibus Deus illos instruere atque imbuere curabat, respondisset ille agendi modus, quo is hac in re usus esset, hoc est, puerilis ille veluti iocus ac ludicra illa poena in serpentem dicta; multoque minus, quorsum Deus, dum eos ad *usum rationis practicae* excitabat, errorem tamen, quem ipsis somnium obiecerat, quin eriperet, confirmaret potius lusu illo in serpentem usurpato. Quis denique putet huiusmodi doctrinam, qua primo Deus hominis animum instituebat, totam uni somnio fuisse superstructam?

19. Duas tamen adhuc commento huic ratiunculas suggerit Iahn. Nonne enim rem sic habere, ut ipse scribit, *ex Gen. II, 21 - 23 liquido apparet (c)*, ubi modus describitur, quo de costa ex dormiente viro avulsa prima mulier condita fuit? Num aliud quid vere gestum, quam ipsius viri somnium, id fuerit? At quinam nos docuisset id dormiente viro factum esse? Nonne ipse Adam? Si autem is sciebat se tunc dormiisse, compertum quoque profecto habuit se illud somniasse, siquidem vere gestum non fuerit; nisi forte, iam non

(a) Op. cit. pp. 222. 223.
(b) Ib. pp. 229. 230.
(c) Ib. pp. 206. 207.

puerum infantem, sed adeo bardum atque hebetem eum autumet Iahn, ut, quae certo noverat in somnis sibi visa esse, vere tamen gesta arbitraretur. Qui igitur fieri potuit, ut, non veluti somnium illud referret, sed ita narraret, ac si re ipsa contigisset?

20. De interrogatione a serpente habita (a) ita Iahn pronuntiat: *Haec interrogatio, non solum supponit falsum, sed etiam adeo inepta est, ut nec diabolo, ut quipiam volunt, ... conveniat; sed, quo ineptior est, eo manifestius prodit hoc loco narrari somnium (b).* Verumtamen quid diabolum mentientem aut fallentem miremur? Imo cur non quandoque etiam ineptire credatur? Ceteroquin haec interrogatio, quantumvis inepta Iahno videatur, Dei tamen consilio opportunissima fuit, quandoquidem mulier, ut huic responderet, et mendacium refelleret, necesse habuit ipsum Dei praeceptum apertius enarrare, quo *praevaricatio esset inexcusabilis*, inquit Augustinus, *neque ullo modo dici posset, id, quod praeceperat Deus, oblitam fuisse mulierem (c).*

§. III

An ista narratio adhuc ea forma sit, qua ex ore ipsius Hevae prodiit.

21. Pauca iam dicere oportet de modo, quo historiam hanc ad posteros transmissam esse Iahn arbitratur. Quum enim contendat somnium narrari, obstet autem, quod nihil tale prodat ipsa narratio, imo quaedam in hac sint, quae probant somnium nequaquam illud fuisse, puta, ipsum narrationis exordium: *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus (d)*, hoc sibi quaerit effugium, ut affirmet somnium non prodi, quia *haec illo infantili modo concepta narratio . . . . mansit qualis erat (e)*, id est, qualem eam habuit Heva, quae somnium narrabat, tamquam rem vere gestam; illa vero, quae videntur somnium omnino explodere, haudquaquam

(a) Gen. III, 1. §. 38.
(b) Op. cit. p. 217.
(c) De Genesi ad lit. L. XI. c. 30.
(d) Gen. III, 1.
(e) Op. cit. p. 207.

mulieris verba esse, sed ideo hoc loco legi, quia *minutiis quidem fortasse quibusdam (uti Gen. III, 1 serpentem fuisse astutissimum animal . . . .) aucta* narratio, etsi *in rei summa . . . . immutata ac depravata non fuit (a).* Rem vero sic habere, *non solum haec infantilis, primae illi hominum aetati adprime conveniens, ratio narrandi, et ipsa quoque somniorum ut rerum vere peractarum descriptio, sed etiam insignis linguae paupertas, nominum praesertim pluralium penuria, ac perfrequens collectivorum usus, testatur (b).*

22. Nimis in longum quaestio haec protraheretur, si ea omnia refellenda sumerem, propter quae Iahno *infantilis* visa ac dicta est ea ratio narrandi, quae est in primis tribus capitibus geneseos. Satis sit monere in universum, vix ullum inter ea esse, cuius simile quid apud aliquem alium e scriptoribus sacris seriorum etiam aetatum non reperias. Puerilia sunt Iahno, quae narrantur, Adamum et Hevam post culpam admissam audita voce Dei se abscondisse (*c*), eos veritos esse, ne nudi coram Deo se sisterent (*d*), serpentem poena ad eorum solatium fuisse mulctatum (*e*). At nonne legimus Ionam, quod nollet Deo obtemperare, navem conduxisse, *ut fugeret in Tharsis a facie Domini (f)?* Nonne Deus sacerdotes hac lege adstrinxit: *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua (g)?* Nonne lex mosaica iubebat (*h*), non modo noxae dedi animalia, quae nocuissent (*i*), aut quibuscum flagitium quis admisisset (*k*), sed ea quoque interfici, quorum domini culpa tenerentur (*l*)? Quod si forte plura huiusmodi in prisca illa historia congesta compareant, quae puerile quid sapere videntur, id non ad narrandi rationem pertinere, sed ad ipsam materiem; agitur enim de prima ipsa aetate primi hominis, quem sane, quod ad multa, non secus ac puerum instituendum fuisse atque erudiendum non negamus.

(*a*) Ib.
(*b*) Ib.
(*c*) Gen. III, 8. Vid. *Iahn* ib. p. 221.
(*d*) Gen. III, 10. Vid. *Iahn* ib.
(*e*) Gen. III, 14. Vid. *Iahn* ib. p. 222.
(*f*) Ion. I, 3.
(*g*) Ex. XX, 26.
(*h*) Vid. *Rosenmüll.* in Ex. XXI, 28.
(*i*) Ex. XXI, 28.
(*k*) Lev. XX, 15.
(*l*) Deut. XIII, 15. Vid. et Ios. VII, 25; I Reg. XV, 3.

23. Deinde quaero, num in hac narratione se se prodat illa *insignis linguae paupertas*, quam Iahn sibi visus est deprehendere? *Nominum praesertim pluralium penuria* narratio haec laborat. At vero nonne eadem, ac nominum, verborum quoque pluralium ratio est, quorum tamen penuriam neque Iahn huic geneseos capiti vitio vertet? Num autem nomina pluralia adhibenda fuerant, ubi, non de pluribus, sed de uno aliquo sermo erat? Nam, ubi plura in ista narratione commemoranda sunt, utique pluralia nomina, non secus ac verba, usurpantur (*a*). An *perfrequens collectivorum usus* dici queat, qui hic est, ac linguae paupertatem arguat, quisque per se poterit iudicare; equidem frequentiorem non autumo, quam aut patiatur indoles sermonis hebraici, aut reliquae pentateuchi partes ceteraque bibliorum volumina prae se ferant. Ut enim de illo uno dicamus, quod Iahn in exemplum profert, de nomine, inquam, עֵץ, quod *arborem (b)* significat, hoc autem loco pro omnibus Paradisi arboribus simul nominandis adhibitum est, animadvertas semper in scripturis hoc idem usurpari, quoties de arboribus omnibus alicuius regionis aut agri sermo est (*c*). Item עָלֶה (*d*) *folium* pro plurali nomine עָלִים adhibuere psaltes (*e*), Ieremias (*f*), et Ezechiel (*g*); imo eodem modo a Salomone (*h*) et ab Isaia (*i*) adhibitum esse docet ratio similitudinum, quae ex eo ab illis ducuntur.

24. Sed, quod caput est, ea sermonis penuria et paupertas, si qua in hac narratione proderetur, tribuenda profecto foret linguae hebraicae, qua narratio scripta est, non vero priori illi linguae, quam, ut eam fuisse autumat ipse Iahn (*k*), ab hebraica diversam Heva loquebatur, quum eam historiam narraret. Iam vero nemo, arbitror, divinabit, quo pacto ex penuria et paupertate sermonis hebraici concludere possemus, narrationem, de qua quaerimus, talem hactenus,

---

(*a*) Vid. Gen. III, 5. 6. 7. 8. 14. 16. 17. 19.

(*b*) Gen. III, 1. 2. etc.

(*c*) Vid. Lev. XXVI, 4. 20; XXVII, 30; Is. X, 19; Ier. VII, 20; Ezech. XXXIV, 27; XXXVI, 30; Ioel. II, 22; Ps. CXLVIII, 9; Eccl. II, 5; Nehem. IX, 25.

(*d*) Gen. III, 7. Vid. *Iahn* ib. p. 220.

(*e*) Ps. I, 3.

(*f*) Ier. VIII, 13; XVII, 8.

(*g*) Ez. XLVII, 12.

(*h*) Prov. XI, 28.

(*i*) Is. I, 30; XXXIV, 4; LXIV, 5.

(*k*) Ib. p. 207.

id est, iisdem verbis conceptam immutatamque mansisse, qualis ab Heva, quae sermone alio utebatur, habita fuit; inde enim hoc unum colligere licet, historiam istam prima ipsa hebraeae linguae aetate in hanc fuisse translatam.

25. Praeclaram porro propriae sententiae defendendae rationem adinventam Iahno gratulamur, qui narrationis huius partes sententiae illi adversantes, veluti *minutias quasdam* historiae primigeniae superadditas, explodit.

ARTICULUS III

Communis Catholicorum sententia.

26. Si haec, quae in genesi leguntur, neque simplex cogitatio, neque mulieris somnium fuere, nisi Rationalistis credere malis μυθον fabulamque narrari, quod non hic locus est refellendi, sed ubi sacrorum scriptorum veritas defenditur, rem esse vere gestam sentias, oportet. Quum autem quaestionis de huius rei veritate veluti cardo in eo vertatur, serpens ne fuerit, an diabolus, an serpens a diabolo actus, quo cum Heva loquuta est, discors quippe est patrum atque enarratorum opinio, quodnam illorum verius nobis videatur edicemus, idemque comprobabimus. Nimirum, quin verus serpens ille fuerit, actus tamen a diabolo, nullo modo dubitare nos sinunt totius narrationis adiuncta (*a*).

27. Nam in historia conscribenda metaphoris uti quidem licet ad ea nominanda, quae prius vocata iam proprio nomine fuerant; ad ea vero, quorum prius nulla mentio iniecta est, illud poetis licebit fortasse, sed non historico, siquidem is nolit animi sui sensa lectorem latere, vel aenigmata illi proponere, nec sane quidquam tale scriptores sacri unquam commiserunt. Iam vero in hac narratione, qui Hevam est alloquutus, serpentis nomine constanter vocatur, nomen autem diaboli neque in narratione ipsa, neque antea, neque postea, vel semel exhibet liber geneseos.

(*a*) Vid. *Sherlock* L'usage et les fins des prophéties trad. de l'anglois T. II. Supplém. à la II Dissert. pp. 318 suiv. Paris 1754.

28. Insuper, quod Moyses exordiatur a comparatione instituta inter serpentem et cetera animalia (*a*), quod exordium istud cum reliqua narratione tam arcte connexum sit, ut liqueat manifesto (15), qui cum Heva sermonem habuit, non alium fuisse, quam illum ipsum serpentem in exordio memoratum (*b*), quod denuo in narrationis decursu cum animalibus ceteris serpens componatur (*c*), quod eae poenae serpenti dictae sint, quae huic uni belluarum generi competere queant (*d*), ubi conferre iuvat haec alia bibliorum capita: Gen. XLIX, 17; Ps. LV, 7; LXXI, 9; LXXII, 9; LXXIII, 13. 14; XC, 13; Is. LXV, 25; Mich. VII, 17, quod poenae istae, siquidem ἀμέσως diabolo ipsi dictae forent, per metaphoras enuntientur, id vero minus apte fieri videatur post poenas viro et mulieri enuntiatas sermone proprio, quod denique Deus ipse ita egerit, atque loquutus fuerit, ut qui verum et proprie dictum serpentem illum existimaret (*e*), haec, inquam, omnia nonne talia esse videntur, quae secus, ac dicimus, cordatum quemque sentire vetent?

29. Quae contra dici possent, facile intelliges ex disputatis, quomodo sint refellenda. Si quis autem miretur belluae, quae culpam admittere nequit, poenas inflictas, et tamquam poenam ea irrogata esse, quae naturalia ipsi forent, audiat is Augustinum: *Tota ista sententia figurata est, nec aliud debet ei scriptoris fides narrationisque veritas, nisi ne illam dictam fuisse dubitemus. Quod enim positum est: Et dixit Dominus Deus serpenti, verba sola scribentis sunt, haec exigenda sunt per proprietatem. Hoc ergo verum est, dictum est serpenti. Iam cetera verba Dei sunt, quae libero lectoris intellectui relinquuntur, utrum proprie an figurate accipi debeant* (*f*). Quare συμβολικα haec fuisse putanda sunt, prout inferius (*g*) explicabimus, non secus ac ea, quae hirco fiebant die festo expiationum (*h*), quaeque Christus in sterilem ficum dixit, atque egit (*i*). Ceterum, non Israelitarum solummodo (22),

(*a*) Gen. III, 1.
(*b*) Ib. 2 coll. seqq.
(*c*) Ib. 14.
(*d*) Ib. 14. 15.
(*e*) Ib.
(*f*) De Genesi ad lit. L. XI. c. 36. §. 49.
(*g*) Quaest. IV. nn. 6. 9.
(*h*) Lev. XVI, 20-22.
(*i*) Matth. XXI, 19.

sed et aliarum quoque gentium legibus noxae damnata et quibusdam veluti poenis mulctata novimus animalia, ex quibus nocumentum aliquod captum est, imo et ipsa inanima (*a*). Neque absonum aut inauditum est tamquam poenam alicui irrogari, quod naturale est. Sic Adamo poenam inflictam legimus, futurum, ut terra spinas et tribulos ipsi germinaret (*b*), quae tamen germinatura fuisset etiam, si Adamus non peccasset; Hevae vero dictum est: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui (c)*, quae quidem hominis naturae propria sunt.

30. Quod si serpens vere ille fuit, dubitatione quoque vacat a diabolo actum eum fuisse. Neque enim Deus graviore poena belluam ratione carentem, quam hominem, affecisset (*d*); neque, quod praedictum legimus in exemplari hebraico, futurum, ut olim mulieris proles caput contereret, non serpentibus quibuscumque, sed ei, qui mulierem decepit (*e*), in illum ipsum serpentem cadere poterat; neque verbum אֵיבָ (*f*) vocesque ex eo derivatae inimicitias unquam significant, nisi inter eos, qui ratione praediti sunt. Tum homines ad malum patrandum propellere (*g*) et decipere (*h*) diaboli est, non serpentum. Praeterea quam frigidum, quam ineptum, imo, dicam enim aperte, quam indignum Deo, visum fuisset, dum universum genus humanum Deo ipso iudice in crimen vocabatur, et capitis vitaeque condemnabatur, rei tantae tantulam reculam intermiscere, ut in unum animalculum sententia, quae cuiusdam veluti lusus speciem prae se ferret, ab ipso eodem summo numine pronuntiaretur. Quid denique, quod serpens iste loquebatur, et ratiocinabatur (*i*), quodque eum Deus tamquam ratione utentem est alloquutus (*k*)?

31 Quae affirmamus, parallelismus inter hunc aliosque scripturarum sacrarum locos plane comprobat. Si enim nomen serpentis at-

---

(*a*) Vid. *Plutarchum* in Solone, *Demosthenem* Orat. cont. Aristocrat., et *Pausaniam* in Atticis pp. 43. 53, apud *Rosenmüllerum* Schol. in Ex. XXI, 28.

(*b*) Gen. III, 18.

(*c*) Ib. 16.

(*d*) Conf. Gen. III, 14.15 cum 16-19.

(*e*) Gen. III, 15.

(*f*) Ib.

(*g*) Ib. 4. 5.

(*h*) Ib. 13.

(*i*) Ib. 1 -5.

(*k*) Ib. 14. 15.

tendas, hoc ipso diabolum vocari videas a Paulo, qui haec scribebat: *Timeo autem, ne* SICUT *serpens Hevam seduxit astutia sua,* ITA, id est, serpentis illius opera, nempe diaboli, *corrumpantur sensus vestri (a)*, et a Ioanne, in cuius apocalypsi post narratas *insidias* a *dracone* instructas *in mulierem* et *filium ejus (b)* haec leguntur: *Et proiectus est draco ille magnus*, SERPENS ANTIQUUS, *qui vocatur* DIABOLUS *et* SATANAS *(c)*; itemque haec: *Et apprehendit (angelus) draconem*, SERPENTEM ANTIQUUM, *qui est* DIABOLUS *et* SATANAS *(d)*. Si attendas serpentis crimen, criminis huius diabolum accusari deprehendes; id enim sonant illa sapientiae verba: *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum (e)*, atque illa Christi: *Ille homicida erat ab initio (f)*. Si denique poenam attendas serpenti dictam, eam diabolo fuisse irrogandam disces ex illis Pauli verbis: *Deus autem pacis* CONTERAT SATANAM *sub pedibus vestris (g)*.

32. De patrum numero nobis hac in quaestione diserte adstipulantur Barnabas (*h*), Theophilus Antiochenus (*i*), Origenes (*k*), Archelaus Episcopus Chascarorum (*l*), Antonius (*m*), Basilius (*n*), Epiphanius (*o*), Chrysostomus (*p*), Augustinus (*q*), Theodoretus (*r*); quibus forte accensendi sunt Iustinus (*s*), et Ambrosius (*t*). His autem patribus omnibus vetustior est libellus de Ascensione Moysis, de quo haec scripsit Origenes: *In Ascensione Moysi, cuius libelli meminit in epistola sua apostolus Iudas, Michael archangelus, cum diabolo disputans de corpore Moysi, ait a diabolo inspiratum*

(*a*) II Cor. XI, 3.
(*b*) Apoc. XII, 4.
(*c*) Ib. 9.
(*d*) Ib. XX, 2.
(*e*) Sap. II, 24.
(*f*) Io. VIII, 44.
(*g*) Rom. XVI, 20.
(*h*) Ep. §. 12.
(*i*) Ad Autolyc. L. II. §. 28. Vid. et §. 33.
(*k*) De princip. L. III. c. 2. §. 1.
(*l*) Disput. cum Manete §. 33.
(*m*) Ep. XVIII.
(*n*) Hom. IX Quod Deus non est auctor malor. §. 9.
(*o*) Haer. XXXVII al. XVII. §. 8 coll. 1.
(*p*) In Genes. hom. XVI. §§. 1. 2; XVII. §§. 6. 7.
(*q*) De Genesi ad lit. L. XI. c. 36.
(*r*) In Genes. quaest. XXXI.
(*s*) Dialog. cum Tryph. §. 102. Sed conf. §§. 91. 94.
(*t*) De paradiso c. 15. §. 73 coll. c. 2. §. 9.

serpentem causam exstitisse praevaricationis Adae et Evae (*a*). Qui vero aperte contra dicant, nescio, an inter patres quemquam reperias praeter unum scriptorem Anagogicarum contemplationum in hexaemeron, quem Anastasium Sinaitam esse putant; hic enim videtur omnino sentire, nequaquam historica esse, sed ἀλληγορούμενα, quae legimus in illa narratione (*b*), idque confirmat argumentis ex Irenaeo petitis, quae tamen utrum Irenaei sint nec ne, merito dubitatur (*c*).

33. Quae ex Aegypti monumentis (*d*), ex Graecorum fabulis (*e*), et ex libris veterum Persarum (*f*), ad historiam hanc illustrandam produci possunt, lege ea apud Rosenmüllerum (*g*). Nos unam nominum convenientiam attendemus. Λαδων enim nomen serpentis, quem malis aureis in horto Hesperidum custodiendis graeca poesis praefecit, اهرمن *Ahriman*, quo nomine vocabant Persae principem geniorum malorum, quem narrabant serpentis figura indutum primos homines ad peccandum impulisse, vocem denique עָרוּם, qualem serpentem fuisse scribit Moyses, quod ad etymon, mire consonant. Nam ערום *proprie significat* descalptum, detritum *(uti ex Arabum philologis multis ostendit Eberard Scheidius ad h. l. p. 47. seqq.), unde metaphorice usurpatur tam de* nudo, *quam de* longo rerum usu subacto, *et* rebus probe trito *quasi et* decorticato *homine* (*h*). Item Λαδων ex eadem radice ortum videtur ac ληδος dorice λαδος *vestis detrita*, quod, ut Eustachius sentit, derivatum est a λειος *levis*, ut sunt, quae *terendo* talia fiunt. Denique nomen *Ahriman* persice cadens, literisque gutturalibus inter se permutatis, voci illi hebraicae, aut saltem uni eidemque radici, ac vox ista, originem suam debere prorsus videtur.

(*a*) L. c.

(*b*) Bibliothec. patrum T. IX. p. 910. Lugduni 1677.

(*c*) Vid. opp. *Iren.* edit. *Massuet.* pp. 338. 343.

(*d*) Vid. *Norden* T. II. p. 125. Paris 1795.

(*e*) Vid. *Spanhem.* not. ad *Callimach.* p. 670.

(*f*) Zendavesta apud *Rosenmüller.* Schol. in Gen. III, 1.

(*g*) Schol. in Genes. III, 1. 7.

(*h*) *Rosenmüll.* l. c.

QUAESTIO IV

De protoevangelio (GEN III, 15).

1. Deus sententiam ferens in serpentem, qui Hevam deceperat, illa simul protulit verba, quae, quum futura generis humani redemptio iis primum fuerit praenuntiata, *protoevangelium* nomen sortita sunt.

2. Ioannes Iahn cum suo illo commento de primorum parentum infantia (*a*) communem huius oraculi interpretationem pervertere conatur, atque haec scribit: *Qui a se impetrare potest, ut non solum omnium huius loci interpretationum et omnium recentiorum notionum et idearum obliviscatur, sed etiam illum infantilem, simplicissimum, et perpaucis notionibus instructum animum protoparentum nostrorum induat, in loco Gen. III*, 15 *non aliud reperiet, nisi quod oppositum est illi somnio Gen. III*, 1-5 *(b)*. Quae vero in eo habentur, *primam*, inquit, *constituunt praeparationem ad morale regnum Messiae, et hoc sensu locus iste merito dici potest protoevangelium . . . Disertam autem Messiae promissionem rudis ille et incultus, qualis erat hominum primitivorum, animus non cepisset, nec illis vetustissimis temporibus aderant verba, quae ipsam apte exprimerent, et intelligerentur, neque erat quidquam huius generis cognitum, cui compararetur, ut igitur nec propriis nec impropriis verbis commode annunciari, nec, quacumque ratione expressa esset, aliquatenus percipi potuisset (c)*. Ita Ioannes Iahn Catholicus.

3. At longe secus Thomas Sherlock Anglicanus in suo libello anglico, cui titulum fecit: De usu deque finibus prophetiarum, qui expositionem illius oraculi, in quo universam vaticiniorum omnium veluti compagem esse superstructam demonstrare aggreditur, ad eam sen-

---

(*a*) Vid. Quaest. III. nn. 9-13. Vid. sup. Quaest. III. nn. 14-20.
(*b*) App. hermeneut. Fasc. II. p. 229.
(*c*) Ib. pp. 230. 232.

tentiam, quam Catholici vulgo sequuntur, sapientissime exegit (*a*). Huius autem explanationis summa praeter propter haec est.

4. Post piaculum a primo homine admissum humanaeque naturae labem inde consequutam alterutrum Deo praestandum supererat, ut vel hominem restitueret, vel sineret aeternum perire. Horum prius facere sibi Deus proposuit. Et re quidem vera, si posterius maluisset, nonne id una cum ceteris poenis, utpote omnium gravissimam, homini denuntiasset?

5. Tale autem Dei consilium innotesceret homini, oportebat. Ita enim illud perficere decreverat, ut homo, studiis veluti cum eo coniunctis, in salutem suam procurandam et ipse incumberet, praesertim vero ipsi Deo pro illata iniuria satisfaciendo. Id autem ut homo exsequeretur, spe veniae a Deo exorandae et felicioris vicis tandem adfuturae erigendus erat et confirmandus. Verum, quo spem istam certo conciperet, haudquaquam satis futura fuisset consideratio divinae excellentiae et bonitatis, multo autem minus illarum miseriarum, in quas se cum universa posteritate praecipitem egerat. Noverat quippe se se Deum sibi habere offensum, latamque in se ab eo sententiam, ex qua nihil nisi mala impendere sibi intelligebat; sentiebat se ex felici illa ac ferme caelesti naturae conditione excidisse, qua prius erat, et, quinam hunc casum effectus consequerentur, iam experiebatur; quae omnia, quin illi spem addere possent, apta potius fuisse videntur ipsi ad desperationem adducendo. Non ergo alia via ad certam spem poterat excitari, nisi si Deus ipse consilium illud suum ei patefaceret.

6. Verum, quod huc pertineat, in nullo alio bibliorum capite reperias; in isto autem, quod explanamus, id esse quaerendum, res ipsa clamat. Nihil autem huiusmodi praeferre possunt, quae viro ác mulieri dicta sunt, quum poenas tantum ea sonent, quas ambo daturi erant. Quae vero poenae serpenti sunt dictae, utique tale aliquid possunt praeferre, imo praeferunt reapse. Etenim his ipsum unum serpentem Deum plectere voluisse veri minus simile videri iam superius (*b*) animadvertimus, quum praeterea pateat earum nonnullas serpenti ne-

---

(*a*) L'usage et les fins des prophélies trad. de l'anglois T. I. Disc. III. pp. 113 suiv. Paris 1754.

(*b*) Quaest. III. n. 30.

quaquam congruere (a), ut postea demonstrabimus (9 seqq.), potissimum autem quum certo constet eum a diabolo actum fuisse (b); hinc, quae in illud animal prolata est sententia, in ipsum diabolum eam fuisse prolatam, quaeque serpenti veluti poenae inflictae sunt, συμβολικα esse, eaque his significari, quibus diabolus fuerat plectendus, multo meliore cum ratione credere est. Quum autem saepe contingat ita aliquem noxae dedi, ut id in bonum eius cedat, qui noxam cepit, hoc ipsum hic factum esse defendimus; idque eo vel maxime, quod nulla alia poena videatur diabolus plecti potuisse, qui iam suppliciis sempiternis cruciabatur, nisi ut tandem in cassum ea cederent, quae in hominum genus fuerat molitus, suisque e faucibus praedam hanc nobilissimam ademptam doleret, idque homo unus praestaret, a quo foret devincendus. Talis nempe sententia illa atque illa poena fuere, ex quibus homo intelligeret, diabolum de victoria sua nequaquam perpetuo laetaturum, sed fore, ut huius servitute solutus tandem in libertatem ipse vindicaretur, illudque reciperet, quod ab eo victus amiserat. Ipse, inquam, Adam ipsaque Heva, non autem solum eorum posteri; secus enim ecquid promissio illa ipsos primos parentes iuvisset? Atque ita tandem spem iis ingestam, qua erecti et confirmati responderent consilio et curis misericordis Dei, suamque salutem una cum illo procurarent.

7. Haec autem omnia leviore negotio tibi se se probabunt, si consideres, in tota hac historia, adeoque in iis, quae Deus dixit serpenti, non modo nihil esse, quod nequeat componi cum nostra interpretatione, sed quaedam apprime huic consonare, imo horum nonnulla in alium sensum commode accipi non posse.

8. Atque illud in primis attendere est, quod eam historiam perlegentibus palam continuo fit, quam aliter cum viro et muliere tunc egerit Deus, ac egerit cum serpente, Peccat enim homo, inque Dei offensionem incurrit. Deus tamen prior ipsum veluti amissum quaerit, amice vocat, leniter interrogat, excusare se sinit (c); at nihil huiusmodi serpenti conceditur. Homini malum Deus minime dicit, dicit ta-

(a) Ib.
(b) Ib. 30. 31.
(c) Gen. III, 9-13.

men serpenti (*a*). Homini nullae aliae poenae infliguntur, nisi quae mutatam prioris conditionis vicem naturaliter consequerentur; serpenti vero peculiaris quaedam indicitur poena, caput eius conterendum esse, et quidem ab uno ex illo ipso hominum genere, cui perniciem fuerat machinatus (*b*). Hominem denique Deus solatur victoria illa praenuntiata, quam tandem hosti ereptam esset adepturus (*c*); serpenti damnationis solatium nullum exhibitum. Quin imo post iudicium peractum Deus eo usque in hominis cura sollicitum se se ostendit, ut agat etiam de indumentis ipsi conficiendis (*d*). Quibus omnibus ecquis non sentiat Deum eam erga hominem, longe sane aliam quam erga serpentem, voluntatem prae se tulisse, ut quem illius misereret non modo, sed qui insuper minime passurus esset illum perire, imo ad laetiorem vicem eum esset servaturus? Si enim secus foret, quorsum haec omnia? Eccur, denuo enim quaeram, leviores aliae inter poenas, quas daturus erat, non autem, quae omnium maxima eum maneret, homini denuntiatae?

9. Sed iam ad verba ipsa veniamus, quibus diabolus sub symbolo serpentis damnatus est, et de quibus ita scribit Augustinus: *Nunc ergo, quod serpenti dicitur, et ad eum, qui per serpentem operatus est, utique refertur, procul dubio figuratum est*; *nam in his verbis tentator ille describitur, qualis generi humano futurus esset (e)*. Illa vero duobus versiculis continentur (*f*). Quorum prior ea habet, quaè proprie convenire serpenti possunt, diabolo autem solum συμβολικῶς, posterior, quae, licet non sine metaphoris, utpote quia serpentem Deus his proxime alloquebatur, melius tamen ac verius diabolo ipsi congruere eique dicta fuisse, non una ratio persuadet; haec autem ratio simul confirmat etiam priora illa in eumdem hunc utique συμβολικῶς fuisse prolata. Id quidem demonstrasse nobis satis est, priora illa esse συμβολικα; quaenam autem horum symbolorum sit significatio, rogare poteris patres aliosque scriptores, qui haec explicuerunt, puta, Augustinum (*g*) et Cornelium a

(*a*) Ib. 14.
(*b*) Ib. 15.
(*c*) Ib.
(*d*) Ib. 21.
(*e*) De Genesi ad lit. L. XI. c. 36. §. 49.
(*f*) Gen. III, 14. 15.
(*g*) De Genesi contra Manichaeos L. II. c. 17. §. 26; c. 18. §. 27.

Lapide (*a*). Posteriora vero, de quibus praecipua quaestio nobis est, paucis expendemus, ut leguntur in hebraicis codicibus.

10. Siquidem haec diabolum minime attingerent, non aliud significarent, nisi futurum fuisse, ut ipse ille serpens Hevam morsu appeteret, atque Heva vicissim hunc ipsum eo horrore prosequeretur, quo homines huiusmodi belluas prosequi solent; nec tamen illum perimeret, id enim ab Hevae progenie praestandum. Quae quidem sententia quam frigida foret atque ieiuna, nemo non sentit. Neque reponas, haec de toto serpentum genere deque omnibus mulieribus dicta esse. Falso enim id reponeres, quum ille, quem Deus alloquitur, et mulier, quam commemorat, ab eorum ipsorum progenie expresse secernantur.

11. Insuper, si haec foret illorum verborum sententia, cuiquam suboriatur, necesse est, dubitatio, cur mulier et mulieris semen solummodo commemorentur, non autem potius vir aut homo in universum, quum, non unam mulierem, sed universum genus humanum serpens ille perdiderit. Futile quippe est, quod respondent nonnulli, ideo mulierem commemorari, non virum, quia, non hunc, sed illam serpens deceperit. Etenim hoc ipso peius in virum peccasse putandus est, quod non ipsum directe aggressus sit, quo consilium suum contra eum initum difficilius fortasse perfecisset, sed, muliere prius, utpote debiliore, in fraudem adducta, per hanc illum leviore negotio irretiverit. At dubitatio omnis omnisque difficultas plane diluetur, si intelligas in diabolum haec proferri, eique praedici, sicut una mulier ea fuerat, per quam solam homini exitium ipse attulerat, ita mulierem unam futuram, quae sola, id est, absque viro, eum pareret, qui perniciem in diaboli caput converteret, hominemque restitueret. Quod vero haec ita, neque aliter, intelligere oporteat, verba ipsa singillatim perpensa persuadebunt.

12. Etenim vox hebraica אֵיבָה *inimicitias* quidem sonat apud scriptores sacros, numquam tamen alias, quam quae intercedunt inter eos, qui ratione praediti sunt.

13. Has vero inimicitias Deus semet suscitaturum praenuntiat, veluti si de insigni quodam opere ageretur, quod peculiari ipsius Dei

---

(*a*) In h. l.

cura ac studio perficiendum foret. Id vero si mutuum illud Hevae et serpentis odium esse dixeris, sententiam oppido frigidam haberemus, eoque frigidiorem, quo grandioribus verbis enuntiatam.

14. Quid autem sibi volunt illa: *Inter te et inter mulierem?* Num uni Hevae serpens ille noxius atque odiosus futurus erat, non vero etiam Adamo? Sin haec generatim dicta esse contendas, num mulieribus solummodo, non autem et viris, odiosum ac noxium serpentum genus futurum praedici putabis? Nonne mulieres ceterae comprehenduntur iis verbis, quae continuo sequuntur? At, si in neutrum sensum commode accipi ea possunt, superest, ut quaeramus, cuinam et quanam de muliere dicta sint. Nimirum, si in serpentem minime quadrant, quem tamen Deus directe alloquitur, credere necesse est dicta esse ei, qui ope serpentis scelus illud patravit, inque eo veluti latebat, et cuius vicem serpens, tamquam eius symbolum, repraesentabat, ipsi, inquam, diabolo. Mulieris vero nomine, si neque Heva neque ceterae mulieres in universum designantur, idque etiam ideo, quia non magis his, quam Adamo ceterisque viris, inimicitiae cum diabolo futurae essent, singularis aliqua mulier κατ' ἐξοχήν designari putanda est, illa nimirum, quae in exercendis inimicitiis, quas ipse Deus eam inter interque diabolum se se suscitaturum promittit, mulieres omnes omnesque viros antecelleret. Neque obest articulus adhibitus ante vocem הָאִשָּׁה, ob quem ea alicui videatur vertenda, non γυνή τις *mulier quaedam (una donna)*, sed ἡ γυνή *ea mulier (la donna)*, quo non alia designari dicenda esset nisi Heva. Etenim attende, quae scripsit Gesenius: *Quaesitum est, et ab aliis pernegatum, ab aliis affirmatum, num articulus definitus aliquando pro indefinito poni possit? Respondendum est: nunquam articulum definitum pro indefinito positum recte dici posse; multas tamen notiones ab Hebraeis definite cogitari et exprimi, quae in lingua graeca, germanica, gallica*, idemque dicas de italica, *indefinite accepta articulo carent (a)*. Huius, de quo agimus, geminum prorsus habes in celebri Isaiae vaticinio de virgine paritura (*b*); vox enim הָעַלְמָה articulum illum ante se positum

(*a*) Thesaur. philolog. crit. linguae hebr. et chald. ad liter. ה n.° 2.

(*b*) Is. VII, 14.

exhibet; reddenda tamen foret παρθενος τις *virgo quaedam (una vergine)*, etsi interpretes alexandrini verbatim ἡ παρθενος reddiderint, *sicut illud* אשה reddiderant της γυναικος. Ceterum talem esse illorum verborum sensum, qualem dicimus, ea, quae continuo sequuntur, magis ac magis confirmant.

15. *Et inter semen tuum et inter semen eius.* Haec, inquam, primo produnt satis manifesto superiora verba nec de universo serpentum genere nec de omnibus mulieribus dicta esse posse (*a*). Praeterea *semen mulieris* non universum genus humanum hic significat, sed virum unum, ut alias quoque (*b*). Numquam enim hominum genus hac appellatione vocatum reperimus apud scriptores sacros, sed potius *natos mulierum* (*c*); unus tamen aliquis alicuius feminae filius *semen eius* vocatus ab illis est (*d*). Quumque collectivum est nomen istud, si pronomen aliquod sequatur sive primitivum sive possessivum, quod ad ipsum nomen pertineat, pronomen hoc plurali numero semper effertur (*e*); in hac autem sententia pronomen הוא *ipse* nomini illi subditur. Demum, si quaeras, cur is, de quo sermo est, non viri, sed *mulieris semen* nominetur, num potiorem rationem excogites, quam quod ille foret, quem virgo una esset paritura? Neque, hoc posito, inde illud consequitur, quod huic interpretationi ridicule satis opposuit Io. Iahn, *etiam semen serpentis de quopiam insigni nato serpentis . . . exponendum esse* (*f*); quum συμβολικα sint, quae serpenti dicuntur, nec *semen serpentis* legamus in illa sententia, sed *semen tuum*, id est, diaboli, qua appellatione homines improbos commodissime hic designari patet, non secus ac in aliis quibusdam scripturarum capitibus (*g*). At enim, reponit ille, *Messias, non hos, sed diabolum expugnasse dici-*

(*a*) Conf. I Sam. XX, 42.

(*b*) II Sam. VII, 12 coll. 13; I Par. XVII, 11 coll. 12.

(*c*) Iob. XIV, 1; XV, 14; XXV, 4; Eccli X, 22; Matth. XI, 11; Luc. VII, 28.

(*d*) Gen. IV, 25; I Sam. I, 11.

(*e*) Gen. XV, 13; XVII, 8. 9; Ex. XXX, 21; Lev. XXI, 17; IV Reg. XVII, 20; Nehem. IX, 2; Ier. XXIII, 8; XXX, 10; XXXIII, 26; XLVI, 27; Ezech. XX, 5.

(*f*) Append. hermeneut. Fasc. II. p. 230.

(*g*) Io. VIII, 44; Act. XIII, 10; I Io. III, 8. 10.

tur (a). Ita scilicet. Sed neque Deus *semen diaboli* a *semine mulieris* expugnandum praedixit, sed solum inimicitias futuras inter utrumque ; homines autem malos , qui alias diaboli progenies nuncupantur, inimicos Christi et esse, et haberi, et in bibliis vocari, incompertum Iahno fuisse non equidem suspicarer.

16. Auctoritates alicuius momenti, quae certo suffragentur interpreti vulgato pro hebraico הוא pronomen femininum *ipsa* reddenti, paucas habemus. Sunt vero testimonia Ambrosii (*b*), Augustini (*c*), Gregorii (*d*), aliorumque patrum latinorum sequioris aetatis; item vetus interpretatio operum Flavii Iosephi (*e*) Rufino male tributa (*f*), quae tamen hac in re discrepat ab ipso graeco exemplari. In veteri quoque interpretatione operum Chrysostomi legimus *ipsa*, etsi ille scripserit αὐτος (*g*). Moyses Maiemonides, quod sane mireris, haec scripsit : *Sed mirandum magis est, quod serpens cum Eva coniungatur, hoc est, semen illius cum huius semine, caput et calcaneus, quod* ILLA *(Eva) vincat ipsum (serpentem) in capite, et ille (serpens) vincat* IPSAM *in calcaneo* (*h*). Duo codices hebraici in bibliotheca vaticana habent הִיא (*i*). Alius ex bibliotheca Io. Bernardi de Rossi habet הוּא (*k*). Item habet codex unus Onkelosi in hac eadem bibliotheca (*l*). In Hexaplis editis a Montfauconio adnotatum est : ἄλλος · αὐτη (*m*). Plenissime vero de hac voce disseruit Io. Bernardus de Rossi (*n*). Ceterum Bellarminus docet nos *editionem vulgatam varie habere, quosdam codices habere* IPSE, *nec esse contra vulgatam editionem, si convincatur debere legi* IPSE *vel* IPSUM (*o*).

17. Verbum שׁוּף , quod bis occurrit in hac enuntiatione, multimodis versum est ab interpretibus. Omnes tamen istas interpretatio-

---

(*a*) Ib.

(*b*) De fuga saeculi c. 7. §. 43.

(*c*) De Gen. ad liter. L. XI. c. 1. §. 1; c. XXXV. §. 49; Enarral. in Ps. XXXV, 13; XLVIII, 6; CIII, 26; De Gen. contra Manich. L. II. c. 18. §. 28.

(*d*) In Iob. L. I. c. 36. §. 53.

(*e*) Antiquit. L. I. c. 3 al. 1. §. 4.

(*f*) Vid. *Fontanini* Vita Rufini L. II. c. 16.

(*g*) In Genes. hom. XVII. §. 7.

(*h*) More nebochim P. II. c. 30 interprete *Buxtorfio*.

(*i*) Apud *Kennicott*. nn. 227. 239.

(*k*) Var. lection. App. ad h. l.

(*l*) Ib.

(*m*) Ad h. l.

(*n*) L. c.

(*o*) De verbo Dei L. II. c. 12.

nes facile revocabis ad duas potissimas, quarum una est *conterere* seu *conculcare*, altera *latenter observare* seu *insidias struere*. Vulgatus interpres velut incertus inter utramque prius in unam mox in alteram notionem verbum illud accepit, id tamen toti sententiae longe accommodatius. De hoc quoque verbo, lege, quae disserit Io. Bernardus de Rossi (*a*), eaque confer cum Scholiis Rosenmülleri (*b*).

18. Porro haec quoque sententia, ob illam ipsam rationem superius allatam (15), serpentes universos complecti nequit. Quod si ad illum pertineret, qui Hevam decepit, nemo divinaret, cur is, non ab ipsa Heva, sed ab aliquo ex eius filiis interimendus, cur in hunc, non autem in illam, insidias structurus praediceretur, quomodo denique fieri potuisset, ut quantum verba in eum sensum accepta sonarent, huic Hevae filio tunc serpens ille insidiaturus esset, postquam is caput ipsi contrivisset. Contra vero nullum negotium horum verborum interpretatio nobis facesset, si his victoriam, quam de diabolo Christus referret, atque insidias fraudesque, quas in Christi regnum atque asseclas diabolus olim moliretur, praenuntiari intelligamus. Haec enim aptissime loquutionibus illis enuntiantur. Nam *conterere* seu *conculcare aliquem* sacris scriptoribus admodum usitata loquutio est (*c*), nec insolens *conterere* seu *conculcare caput alicuius* (*d*), idemque valet, quod adversarios devincere et contemptui habere. *Observare* autem aut *impetere calcaneum alicuius*, apud scriptores illos, adversariorum est insidias struentium (*e*), qui propterea dicuntur alios עָקֹב (*f*), quod proprie est *calcem tenere* (*g*); hinc vocibus ex hac radice derivatis notio illa, qua *insidias* sonant (*h*). Quae

(*a*) L. c.

(*b*) In h. l., et in Ps. CXXXIX, 11, et in Iob. IX, 17.

(*c*) Iud. V, 21; Ps. LV, 2. 3; Eccli. IX, 10; Is. XIV, 25; XVI, 4; XXVIII, 3; LXIII, 3. 6. 18; Ier. L, 26; Ezech. XVI, 6. 22; Dan. VIII, 7. 10; Hab. III, 12; I Mach. XV, 40; Rom. XVI, 20.

(*d*) Ps. LXVII, 22; CIX, 6; Eccli. XXXVI, 12; Am. II, 7; Hab. III, 13.

(*e*) Gen. XLIX, 19 collat. interpret. LXX et *Saadia*; Ps. LV, 7.

(*f*) Gen. XXVII, 36; Ps. XLIX, 6 hebr., de quo consule *Rosenmüllerum*; Ier. IX, 4.

(*g*) Os. XII, 4, de quo consule *Rosenmüllerum*, et conf. Gen. XXV, 25 et XXVII, 36.

(*h*) Ios. VIII, 13; IV Reg. X, 19; Ps. XL, 10; Ier. XVII, 9; Os. VI. 8. Vid. *Rosenmüller*. in Ios. et Ier. ll. cc.

translatae loquutiones aptius quoque hic usurpari censendae ideo sunt, quia sub symbolo serpentis res agitur; quandoquidem et magnum quid putaretur ab Hebraeis, ut apparet ex sacris libris, huiusmodi belluas earumque capita conculcare (*a*), et nativum belluis hisce sit aliis insidiari ac nocere *morsu calcaneorum (b)*; sic Nicander de chelydro canebat: Ἤτοι ὅτ' ἐν χωλῆπος ἢ ἐν ποδὸς ἴχνεϊ τύψῃ (*c*), Ovidius vero: *Decidit in talum serpentis dente recepto* (*d*).

19. Patres, qui nobiscum sentiant, paucos quidem habemus, sed omnino vetustos, Irenaeum (*e*), inquam, Cyprianum (*f*), et forte Iustinum (*g*). Tum vetus Iudaeorum πατροπαράδοσις in hac interpretatione nobis ex ea parte suffragatur, quatenus creditum ab illis est, quae in serpentem a Deo dicta fuere, futurum fuisse, ut Messiae aetate implerentur. Hoc enim diserte narrant bini ex illorum popularibus, Ionathan, inquam, ὁ ψευδώνυμος et interpres hierosolymitanus (*h*). Nec secus sensisse videtur Onkelos scribens haec actum iri inter serpentem et inter unum ex filiis mulieris; sic enim sunt eius verba: *Et inimicitiam ponam inter te et inter mulierem, et inter filium tuum et inter* FILIOS *eius.* IPSE *erit reminiscens tui, quod fecisti ei a principio, et tu eris observans eum in finem.* Male in bibliis polyglottis loco verborum *inter filios eius* redditum est *inter filium eius.*

20. Quod si ea legas, quae Ioannes scripsit in apocalypsi de praelio, quod draco, id est, *serpens antiquus (i)*, iniit contra mulierem (*k*) reliquosque *de semine eius (l)*, de insidiis in mulieris filium ab eo instructis (*m*), de victoria Christo parta ob cladem draconi illatam (*n*), quomodo denique, etiam *postquam vidit draco*, *quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, . . . et abiit facere praelium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Iesu Christi (o)*,

---

(*a*) Ps. LXXIII, 13. 14; XC, 13; Luc. X, 19.
(*b*) Gen. XLIX, 17.
(*c*) Ther. v. 424.
(*d*) Metam. L. X. v. 10.
(*e*) Adv. haeres. L. III. c. 23 al. 38. §. 7; L. IV. c. 40 al. 78. §. 3.
(*f*) Testimonior. adv. Iud. L. II. §. 9.
(*g*) Dial. c. Tryph. §. 100.
(*h*) In h. l.
(*i*) Apoc. XII, 3. 9.
(*k*) Ib. 7. 13. 15.
(*l*) Ib. 17.
(*m*) Ib. 4.
(*n*) Ib. 10. 11 coll. 8. 9.
(*o*) Ib. 13. 17.

etsi haec non ad amussim neque omni prorsus ex parte cohaereant cum nostra protoevangelii interpretatione, senties tamen haec capiti illi geneseos bene respondere, ideoque putasse Ioannem oraculum illic descriptum de Christo dictum fuisse; simulque intelliges, quam belle Io. Iahn haec pronuntiaverit: *In novo foedere, in quo aliunde plura veteris foederis loca ad Messiam* ADCOMMODANTUR (verbum sagaciter olfacito), *nullus tamen huius loci usus occurrit (a).*

21. Sed, et illa alia Iahni verba superius relata (2) quanti valeant, iam pronum est aestimare. Num merito iubeat nos *omnium huius loci interpretationum et omnium recentiorum notionum et idearum* oblivisci, ut sententiam assequamur. Num reipsa quis horum omnium oblitus *in loco Gen. III, 15 non aliud reperiet, nisi quod oppositum est illi somnio Gen. III, 1 - 5*; id vero est *perpetua inimicitia et hostilitas inter mulierem et serpentem, illiusque et huius posteros (b).* Num sensus, quem definit, ille sit, quo solum *locus iste merito dici potest protoevangelium.* Quis porro eum ferat, sive dum contendit, non modo improbabilem esse, praeter eam, quam urget, aliam quamcumque illorum verborum significationem, sed neque ullam aliam esse posse, quia primi parentes nostri inepti erant ad ea percipienda, quae Deus de Christo illis praenuntiasset, sive dum, ut ista pervincat, caussatur rude atque incultum illorum ingenium, sermonis, qualis tunc erat, penuriam, defectum rerum cognitarum, quae metaphoras ad sublimiora illa edicenda suggererent, quasi si haec Deo obstarent, quominus eorum, quae loquebatur, sententiam audientibus perviam efficere posset. Sed pudet in his catholici hominis deliramentis refellendis diutius immorari.

22. Si cui dubitatio suboriatur, cur, non directe homini ipsi, sed potius serpenti vel diabolo Deus ea praedixerit, quae ad hominis labem reparandam pertinebant, ratio in promptu est. Etenim, quum haec simul et homini saluti ac felicitati, et diabolo dolori ac perniciei, essent futura, quumque ambos poena mulctari tunc oporteret, ut peropportuna ea erant, quae diabolo praenuntiarentur, ita minus quidem opportunum fuisset homini ipsi directe promitti; quem tamen

---

(a) Append. hermen. Fasc. II. p. 230. (b) Ib. p. 229.

quum spe salutis Deus erigere vellet (5), sapientissimo consilio rem ita gessit, ut ei spes haec ingereretur eo ipso sermone, quo in diabolum sententia ferebatur.

QUAESTIO V

De gentibus universis per Abrahami, Isaaci, et Iacobi progeniem sospitandis (Gen. XII, 3; XVIII, 18; XXII, 18; XXVI, 4; XXVIII, 14).

1. Quae primum Abrahamo (*a*), tum huius filio Isaaco (*b*), ac demum nepoti Iacobo (*c*), promissa a Deo fuere, tria complectuntur, ingentem posteritatem, dominium Chanaanitidis, et bona per ipsos perque eorum progeniem universis gentibus adventura; quae bona quinquies Deus illis pollicitus esse narratur, ter quidem Abrahamo, semel Isaaco, itemque semel Iacobo, his verbis, quae subdimus.

(*d*) וְנִבְרְכוּ בְךָ כֹּל מִשְׁפְּחֹת הָאֲדָמָה

(*e*) וְנִבְרְכוּ־בוֹ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ

(*f*) וְהִתְבָּרְכוּ בְזַרְעֲךָ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ

(*g*) וְהִתְבָּרְכוּ בְזַרְעֲךָ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ

(*h*) וְנִבְרְכוּ בְךָ כָּל־מִשְׁפְּחֹת הָאֲדָמָה וּבְזַרְעֶךָ

2. Quaenam autem horum verborum sententia sit, sive quid boni tres illi eorumque progenies omnibus mundi populis praestituri essent, disputatione hac edisseremus, atque demonstrabimus praedici salutem a Christo ex trium illorum stirpe exorituro universis hominibus afferendam.

(*a*) Gen. XII, 2. 3. 7; XV, 5. 7. 18; XVIII, 18; XXII, 16-18.
(*b*) Ib. XXVI, 3. 4.
(*c*) Ib. XXVIII, 13-15.
(*d*) Ib. XII, 3.
(*e*) Ib. XVIII, 18.
(*f*) Ib. XXII, 18.
(*g*) Ib. XXVI, 4.
(*h*) Ib. XXVIII, 14.

§. 1

Expenduntur ipsa verba.

3. Ab ipsis itaque vocibus exordiamur, in quarum explanatione Ioannes Iahn nobis plane assentitur (a), quem et in toto hoc oraculo enarrando a sententia nostra non nimis abludere licet gratulari. Ac primo, si quinque illa geneseos capita inter se compares, intelliges verissime Iahnum haec scripsisse: *Ex hac collatione liquet 1 ultimam Gen. XXVIII, 14 Iacobo datam promissionem esse ceteris uberiorem et clariorem; nam* בך PER TE *diserte explicatur praeposito* VAU *exegetico per* ובזרעך ET, *id est*, NEMPE PER PROGENIEM TUAM, *quae expressio etiam in tertia Abrahamo Gen. XXII*, 18 *facta, et demum in quarta Isaaco Gen. XXVI*, 4 *repetita promissione substituitur expressionibus* בך PER TE *et* בו PER EUM, *quae in prima et in secunda promissione leguntur. Adparet II permutari* כל גויי הארץ OMNES GENTES TERRAE *Gen. XVIII*, 18; *XXII*, 18; *XXVI*, 4 *cum* כל משפחת האדמה OMNES FAMILIAE TERRAQUE *Gen. XII*, 3; *XXVIII*, 14, *ut* ארץ *non possit exponi de sola regione posterorum Abrahami, Isaaci, et Iacobi, uti etiam oppositio posterorum huius familiae patriarchalis docet. Patet III formam septimam* niphal נברכו *in prima, secunda, et quinta promissione Gen. XII*, 3; *XVIII*, 18; *XXVIII*, 14 *permutari cum forma quinta* hithpahel התברכו *in tertia et quarta promissione Gen. XXII*, 18; *XXVI*, 4; *utramque igitur formam huius verbi prorsus idem valere (b).*

4. Nunc autem singillatim voces has perpendamus. Dubium non est formae niphal quorumdam verborum reciprocam vim subesse, ut נִשְׁמַר *custodivit se ipsum*, נִכְבַּד *illustrem se exhibuit (c)*, contra vero formam hithpahel esse passivam, ut הִתְפַּקֵּד *recensitus*

(a) Append. hermeneut. Fasc. II. pp. 198 seqq.

(b) L. c.

(c) Vid. *Gesen.* Lehrgeb. § 68. n.° 2 *b*.

est, הִשְׁתַּכַּח *oblivioni traditus est (a)*. Utramque autem hanc formam verbi בָּרַךְ *prorsus idem valere*, ut scripsit Iahn (*b*), etiam Gesenius sensit, imo et vetustiores interpretes, alexandrini, vulgatus, syrus, Onkelos, Ionathan ὁ ψευδώνυμος, sensere, qui uno eodemque verbo utramque in his oraculis vertendis expressere. Quaestio tamen est, passivum an reciprocum significatum hic habeant. Interpretes omnes praedicti passivis verbis ad utramque exprimendam usi sunt; atque ita fieri debere censuit olim Gesenius (*c*), qui tamen mutata sententia significationem reciprocam una cum Iahno (*d*) nuperrime praetulit (*e*). Verum, utrumvis eligas, eadem erit istorum oraculorum interpretatio. Etenim ipsi harum vocum radici notio omnino est *bene* alicui *dicere*, quod vel laudando fit, vel fausta adprecando, eamque latinum *precor* confirmat, quod una cum nomine *prex* ab hac voce semitica originem ducere videtur. Atque ad hanc notionem ceteras diversis verbi illius formis subiectas facile est revocare, adeoque illam, quae *genu flectere* est, id enim apud Orientales aeque ac apud nos fieri mos est, atque olim fuit, in solemnioribus precationibus et Dei laudationibus; in omnibus autem linguis verba huiusmodi reperire est, quae, dum unum significant, ad aliud, quod simul fieri solet, significandum transferantur, ut, exempli gratia, apud Graecos προσκυνέω, *adoro* et *supplico* apud latinos (*f*), quod sane non mirabitur, qui novit verba quaedam adeo frequenter atque constanter ad alia transferri, ut primigenium significatum plane exuant (*g*). Quum itaque ברך sit *bene dicere*, voces ונברכו et והתברכו reddi poterunt vel cum vulgato interprete *et benedicentur*, vel *bene sibimet dicent*, id est, *fausta sibimet adprecabuntur*, *adeptaque gratulabuntur*.

5. Qui vero *mutuam* actionem his vocabulis significari autumant, eaque reddunt *bene sibi* INVICEM *dicent*, quia similis vis est formis niphal et hithpahel quorumdam verborum, a Iahno iam refutati (*h*)

(*a*) Vid. ib. §. 71. n.° 3 *a*.
(*b*) L. c.
(*c*) L. c.
(*d*) Op. cit. p. 201.
(*e*) Thesaur. philolog. crit. ling. hebr. et chald. ad v. ברך.
(*f*) Vid. nostr. Quaestion. de evangel. Tit. XIII. q. 10. art. 1 edit. lithograph.
(*g*) Vid. L. I. n.° 218.
(*h*) Op. cit. pp. 199. 200.

plenius etiam hac ipsa disputatione refutabuntur. Neque eos iuvat id, quod legimus Iacobum Iosepho filio dixisse: Per te יְבָרֵךְ benedicet *Israel dicendo: Ponat te Deus sicut Ephraim et sicut Manasse (a)*; ab re enim hoc esse patet vel ideo, quia nullum verbum forma pihel, qua est vox יְבָרֵךְ, mutuam actionem designat, in hoc autem Iacobi sermone mutuam actionem designari, non quidem per verbum ipsum, sed per totam sententiam, cui insuper ipsa formula subditur, qua Israelitae sibi invicem bona essent adprecaturi. Tum numquam alias in eum sensum voces illas novimus usurpatas.

6. *Benedictio autem*, ut recte animadvertit Iahn, *in omnibus his locis spectatur in effectu, et venit pro beatitudine, quam Deus largietur (b)*, ut verba illa idem valeant, ac *prosperari*, sive *de sua prosperitate sibi gratulari*. Nam verbum ברך tum forma kal *(c)*, ex cuius notione manat notio formae niphal, tum forma pihel *(d)*, cuius notio notionem formae hithpahel definit, ipsam felicitatem, quam quis alicui adprecatur, sonat quam saepissime. Hanc autem esse verbi vim in his oraculis patet manifesto. Neque enim sensus est Abrahami posteros aut sibimet aut ceteris gentibus bene esse precaturos. Non, inquam, sibimet, qui enim bene precaturi erant, aperte secernuntur a posteris Abrahami (9); non ceteris gentibus, quod sane nec verba significare possunt, nec unquam hi consueverunt facere, nec res adeo grandis haec fuisset, ut eam Deus Abrahamo praenuntiaret, ac polliceretur, idque inter alia longe maiora tantoque cum apparatu. Sed neque potest sensus esse, futurum, ut gentes ceterae sibimet ipsae felicitatem adprecentur, quam Abrahamo eiusque posteris esse noverant, quum Israelitarum nomen, quoadusque res eorum stetere, vix ultra finitimas gentes permeaverit, neque eorum regnum, quod attinet ad gloriam atque potentiam, unquam potuerit cum Aegyptiorum, Assyriorum, Chaldaeorum, Medorum, Persarum, Graecorum, ac Romanorum, imperiis comparari, ut hi sibi Israelitarum sortem praeoptarent, quos imo contemptui plerumque habuere; Abraham vero, Isaac, et Iacob, eccui tandem gentium olim cogniti erant?

(a) Genes. XLVIII, 20 hebr.
(b) Op. cit. pag. 197 not. 199.
(c) Deuter. XXVIII, 3-6; etc.
(d) Gen. XXIV, 1; XXX, 27; etc.

Sensus itaque sit, oportet, per Abrahamum perque huius progeniem gentibus omnibus tale bonum adventurum, quo felices eae forent, quodque iure ac merito in votis haberent, sibique adprecarentur (*a*).

7. Particulam ב *in*, quae habetur in vocibus בך *in te*, בו *in eo*, בזרעך *in semine tuo*, quisque comperit idem valere ac latinum *per*, quum caussam significat; qua de re, ea lege, quae diximus in secunda quaestione (*b*). Cur autem gentibus omnibus per Abrahamum, per Isaacum, per Iacobum, bene futurum esse dicatur, ut unica potest afferri ratio, ita haec optima est; scilicet quia ex illis Christus erat exoriturus.

8. Nomine זרע *semen* singularem quoque hominem subinde designari alias affirmavimus (*c*). Quum autem bona alia prorsus nulla ceterae gentes per Abrahamum perque eius posteros consequutae sint praeter illa, quibus Christus ex Abrahami stirpe progenitus eas cumulavit, liquet profecto, ut nihil est, quod prohibeat, quominus nomen illud in his oraculis Christum significet, ita percommode in hunc sensum accipi posse; idque etiam suadet vis ἐξηγητικη, quae inesse videtur particulae ו vocabulo בזרעך *in semine tuo* praepositae in postremo quinque oraculorum (3). Neque tamen interpretationi nostrae minus bene foret, si alios quoque Abrahae posteros, eos, inquam, quibus inter Christi proavos locus est, nomen illud complecteretur. Nam, quum Abrahamo praedictum est: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae (d)*, appellatione *seminis* Isaacum quoque et Iacobum comprehendi coniicere est ex iis, quae horum utrique Deus praedixit gemina eorum, quae praedixerat Abrahamo (*e*); non secus ac Iacobum quoque una cum reliquis Isaaci posteris hoc eodem *seminis* nomine designatum a Deo fuisse, quum dixit Isaaco: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae (f)*, credere suadent ea, quae ipse Deus ipsi Iacobo praenuntiavit (*g*). Quare eo vocabulo forte omnes, quos diximus, indicantur. Non tamen, inquam, minus vera erit nostra interpretatio; uno enim atque eodem pacto per hos Abra-

(*a*) Conf. Agg. II, 8.
(*b*) Quaest. II. n. 2.
(*c*) Quaest. IV. n. 15.
(*d*) Gen. XXII, 18.
(*e*) Conf. l. c. cum Gen. XXVI, 4; XXVIII, 14.
(*f*) Genes. XXVI, 4.
(*g*) Conf. l. c. cum Gen. XXVIII, 14.

hami posteros, ac per ipsum Abrahamum, per Isaacum, perque Iacobum, salus atque felicitas humano generi parta est, quum aeque ex omnibus istis Christus originem duxerit.

9. Ipsae loquutiones *omnes gentes terrae* et *omnes familiae terrae* evincunt vocibus ארץ et אדמה *terram habitabilem* significari, sive peculiarem, id est, regionem aliquam, sive universam, id est, terrarum orbem. Verum hae voces, prorsus ut vox latina *terra*, quum regionem peculiarem designant, aliquid adiectum habent, quo talis significatio definiatur, puta, אֶרֶץ כּוּשׁ *terra Aethiopiae (a)*, אֶרֶץ זָבַת חָלָב וּדְבָשׁ *terra fluens lacte et melle (b)*, אַדְמַת יִשְׂרָאֵל *terra Israel (c)*, אַדְמַת יְהוָֹה *terra Domini (d)*, aut saltem definitur totius sermonis adiunctis (*e*). In hisce autem oraculis nihil adiectum est vocibus ארץ atque אדמה. Sed neque Chanaanitidem, cuius antea mentio facta est, possunt eae significare. Tunc enim *gentes terrae* forent vel Israelitae Abrahami posteri, qui regionis illius potiti sunt, vel Chananaei. At *gentes terrae* diserte secerni videmus ab Abrahami posteritate, quum per hanc fausta illis futura praenuntientur; Israelitae igitur nequeunt eae esse. Chananaei a posteris Abrahami deleti sunt, quin boni quidquam ab iis receperint. Sunt itaque *gentes terrae* ipsum genus humanum, et ארץ atque אדמה universus orbis terrarum.

10. Quae quum ita sint, ipsa horum oraculorum verba iam nos docent bonum aliquod ex Abrahamo eiusque progenie universo hominum generi adventurum oraculis his praenuntiari.

§. II

Quod verba haec complectuntur, est praecipuum omnium, quae Abrahamo, Isaaco, et Iacobo, promissa sunt.

11. Hoc autem praecipuum esse inter ea omnia, quae Deus illis Israelitarum patribus pollicitus est, facile dabis, ubi totam seriem ac modum harum promissionum earumque adiuncta diligenter considera-

---

(*a*) Gen. II, 13.
(*b*) Ex. III, 8.
(*c*) Ezech. VII, 2.
(*d*) Is. XIV, 2.
(*e*) Vid. Ex. I, 7; Is. XV, 9; etc.

veris. Videas enim Deum primo veluti in summa haec polliceri, tum diversis temporibus singula paullatim enucleare, postremum vero omnium illud, de quo agimus, idque non nisi Abrahami fide atque obedientia gravissimis ac difficillimis experimentis antea sibi plane probata, foedere interposito, ac iureiurando adhibito, quae omnia patet eo pertinuisse, ut tandem oraculum illud Abrahamo diceret: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae (a)*, idque, quod eodem hoc oraculo praenuntiabatur, in caussa fuisse, cur Deus haec omnia ageret, ac se praestiturum polliceretur. Sed, magis distincte ac distribute totum id exponamus, oportet.

12. Deus itaque, priusquam aliquid Abrahamo promitteret, rem apprime gravem et factu difficilem, ut exsularet a patria, ei imperavit (*b*), cuius rei veluti mercedem ea, quae mox polliciturus erat, rependeret. Subdidit deinceps haec (*c*), verum in universum et subobscure, fore, ut in gentem magnam cresceret Abraham, gloria et felicitate grandi uteretur, atque per eum omnes homines prosperarentur, quin tamen ei manifestaret, ubi aut quando, quomodo aut quatenus, ea esset praestiturus. Quum Abraham obtemperasset, pervenissetque, quo iussus fuerat (*d*), obedientiae praemium recepit certior factus illam ipsam regionem, quam Deo iubente petierat, suis posteris obventuram (*e*), quo prior promissio (*f*) iam clarescere coepit; nondum tamen sive regionis amplitudo, sive ratio aut aetas, qua illud contingeret, commonstrata Abrahamo est. Ut autem is ex Aegypto, quo tetenderat, illuc remeavit (*g*), seque a Loti societate seiunxit (*h*), amplitudinem hanc regionis possidendae (*i*) simulque gentis ex eo oriturae multitudinem (*k*) a Deo doctus est. Aliquo post tempore, quum Abraham cum Deo veluti expostularet ἀπαιδείαν suam eius pollicitationibus non bene respondere (*l*), Deus dubitationem hanc depulit, modumque aperuit, quo promissa complerentur, praedicens filium Abrahamo oriturum (*m*). His auditis quum Abraham signa petiisset,

(*a*) Gen. XXII, 18.
(*b*) Ib. XII, 1.
(*c*) Ib. 2. 3.
(*d*) Ib. 4-6.
(*e*) Ib. 7.
(*f*) Ib. 2. 3.
(*g*) Ib. XIII, 1-4.
(*h*) Ib. 5-12.
(*i*) Ib. 14. 15. 17.
(*k*) Ib. 16.
(*l*) Ib. XV. 2. 3.
(*m*) Ib. 4.

quibus promissiones confirmarentur (*a*), Deus necessaria ad foedus ineundum parare eum iubet (*b*), edicit tandem tempus ac modum, quo gens ex Abrahamo exoritura illius regionis potiretur (*c*), atque ita Dei promissiones, quod attinet ad posteritatem et dominium Chanaanitidis, plane declarantur; tum demum has foedere confirmat (*d*) iis ritibus adhibitis, quos in foederibus faciendis Chaldaei (*e*), aliaeque gentes (*f*), atque ipsi Israelitae (*g*), adhibuere, id est, victimarum mactatione (*h*) et transitu inter dissectas victimas (*i*). Quando autem Deus initium promissionum implendarum Isaaci ortu facere voluit, foedus antea initum ratum se habere semel atque iterum affirmavit (*k*), illudque se cum Abrahami quoque posteris servaturum (*l*), quantus horum numerus futurus esset, quater repetiit (*m*), praedicens insuper, quod nondum fecerat, regiam dignitatem ab eis obtinendam (*n*), Chanaanitidem, quam proprio nomine tunc primo designavit, se eis daturum denuo edixit (*o*), foederis notam ipsis Abrahami et posterorum corporibus imprimendam imperavit (*p*), ac tunc demum ortum Isaaci in annum alterum decrevit (*q*), illius videlicet inter Abrahami liberos, in cuius progenie ea omnia impleri debebant, quae Abrahamo promissa fuerant (*r*), aperteque promisit cum illo sibi foedus permansurum, quod cum ipso Abrahamo eius patre pepigerat (*s*).

13. Hactenus hisce omnibus, quae retulimus, id actum a Deo est, ut prior illa promissio (*t*) clareret ex ea parte, quatenus attingebat ipsam Abrahami posteritatem ditionemque, qua posteritas haec Chanaanitidem erat obtentura; at ne unum quidem verbum Deus ultra fecerat de posteriore promissionis parte, quae circa gentes omnes ver-

---

(*a*) Ib. 8.
(*b*) Ib. 9.
(*c*) Ib. 13-16.
(*d*) Ib. 18.
(*e*) Vid. *Cyrill. Alexandr.* In Iulian. L. X circa finem.
(*f*) Vid. *Dict. Cretens.* ὁ ψευδῶν. De bello troi. LL. I. II. V, et *Bochart.* Hierozoic. L. II. c. 33.
(*g*) Ier. XXXIV, 18. 19 coll. Deut. XXIX, 11. 12.
(*h*) Gen. XV, 10.
(*i*) Ib. 17.
(*k*) Ib. XVII, 2. 4.
(*l*) Ib. 7.
(*m*) Ib. 2. 4. 5. 6.
(*n*) Ib. 6.
(*o*) Ib. 8.
(*p*) Ib. 10-14.
(*q*) Ib. 16. 19. 21.
(*r*) Ib. XXI, 12.
(*s*) Ib. XVII, 19. 21.
(*t*) Gen. XII, 2. 3.

sabatur. Id vero tertio *(a)* ex quinque oraculis superius (1) descriptis facturus erat; secundum (*b*) enim haudquaquam novum oraculum fuit a priore distinctum, sed potius simplex prioris commemoratio. Quare, secundo omisso, ad tertium veniamus.

14. Deus itaque, postrema illa promissionis suae verba: *Atque in te benedicentur universae cognationes terrae* (*c*), Abrahamo explanaturus, prius eius fidem atque obedientiam tentare voluit (*d*), re, quae patri amantissimo dura omnium maxime accideret, imperata, ut ipsemet manu sua Isaacum filium hostiam Deo immolaret (*e*), illum scilicet filium, quem veluti unicum summopere diligebat (*f*), et ex quo promissam sibi posteritatem exspectare doctus ab ipso Deo fuerat (*g*). Id quum Abraham iam iam exsequeretur (*h*), Deus eum pergere vetat (*i*), egregiam eius virtutem commendat (*k*), ac iurat per semet (*l*) hanc se remuneraturum (*m*) ea praestando, quae ipsi e patria profecto fuerat pollicitus (*n*), et quorum, cetera quidem pluries repetierat, pleneque declaraverat (12), postremum vero nunc primo repetit, ac tandem declarat illis verbis: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae* (*o*), id est, per progeniem ei futuram ex illo ipso filio, quem fuerat immolaturus (*p*). Deus enim eadem haec adeoque ipsissimis hisce verbis Isaaco postea promisit (*q*); eadem vero reapse promisisse comperimus ex caussa, cur se ea facturum dixit, ut impleret, quae iureiurando spoponderat Abrahamo patri (*r*), huiusque obedientiam remuneraret (*s*). Demum Iacobo Isaaci filio haec ipsa promittens ait: *Et benedicentur* in te et in semine tuo *cunctae tribus terrae*, verbis *in te* per verba *in semine tuo* declaratis (3). His autem oracula omnia Abrahamo dicta concluduntur, nec unquam ultra cum eo Deus loquutus dicitur.

(*a*) Gen. XXII, 18.
(*b*) Ib. XVIII, 18.
(*c*) Ib. XII, 3.
(*d*) Ib. XXII, 1. 12.
(*e*) Ib. 2.
(*f*) Ib.
(*g*) Ib. XVII, 16; XXI, 12.
(*h*) Ib. XXII, 10.
(*i*) Ib. 12.
(*k*) Ib.
(*l*) Ib. 16.
(*m*) Ib. 16. 18.
(*n*) Ib. XII, 2. 3.
(*o*) Ib. XXII, 18.
(*p*) Conf. ib. XXI, 12.
(*q*) Ib. XXVI, 4.
(*r*) Ib. 3 coll. XXII, 16.
(*s*) Ib. XXVI, 5 coll. XXII, 16-18.

15. Iam vero, si quaeras, cur tanto cum apparatu postremum hoc oraculum editum fuerit, aut quorsum spectarent ea omnia, quae in eo edendo dicta aut gesta sunt, aliud, quod respondeatur, non suppetet, nisi tunc novum aliquid atque insigne Abrahamo praedictum esse longeque priores promissiones antecellens. Neque enim illa omnia pertinuisse putanda sunt ad promissiones tunc repetitas sive de ingenti posteritate, sive de Chanaanitide possidenda, quum haec Deus, non modo iam prius et quidem pluries promisisset, sed plane declarasset iam, ac foedere sanxisset. Neque verisimile est Deum, ut priores has promissiones ratas faceret, exegisse ab Abrahamo atque ipsummet praestitisse longe maiora et graviora, quam exegerit, aut praestiterit, ut easdem illas primo haberet. Neque erat, cur, quae olim Deus diserte atque iterato spoponderat, ita ut nulla iam de iis suboriri posset dubitatio, haec iureiurando confirmaret. Neque pro filio aris imposito ea Deus mercedis ac praemii loco rependere poterat Abrahamo, quae iam alias foedere etiam inito promissa ei debebat. At in eo oraculo id solummodo novum est, quod postremam promissionum partem, hoc est, verba: *Atque* in te *benedicentur universae cognationes terrae (a)*, tandem Deus explicuerit, docueritque modum, quo illud foret implendum, videlicet per Abrahami progeniem, haec loquens: *Et benedicentur* in semine tuo *omnes gentes terrae*. Quare haec, quibus Deus ultimo Abrahamum alloquutus promissiones omnes omniaque oracula huic dicta conclusit, ipsa, inquam, promissio de prosperitate gentibus universis per Abrahami progeniem adventura, illud quoque est, ad quod cuncta, quae modo (14. 15) enumeravimus, postremi oraculi adiuncta grandisque apparatus pertinuere.

16. Quum autem omnia haec oracula, hae promissiones omnes, omnia demum horum adiuncta, uti praedicta (12-14) considerantibus palam est, ordine quodam et continua serie ita apta inter se sint atque connexa, ut priora posterioribus veluti viam complanare, posteriora vero prioribus accrescere videantur, optima profecto ratio haec est, cur dicamus ea prorsus omnia, quae Deum inter interque Abrahamum transacta veluti sunt, ad id pertinuisse, quod postremis illis

---

(a) Gen. XII, 3.

Dei verbis designabatur. Et re quidem vera, si illa ad temporariam atque terrestrem Abrahami huiusque progeniei felicitatem praecipue spectassent, puta, ad posterorum multitudinem et dominium Chananitidis, Deus longe minus praestitisset iis, quibus haec, foedere facto, iuratoque iureiurando, ac tanto denique apparatu, fuerat pollicitus, quam aliis, quibus nihil prorsus unquam promiserat, puta, Persis, Graecis, Romanis, omnesque illae promissiones tam sancte confirmatae iam a pluribus aetatibus incassum cecidisse dicendae forent, quo pertinent illa Pauli: *Si enim, qui ex lege, heredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio* (a).

17. Quae quum ita sint, liquet, quod affirmavimus, verbis illis: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae*, significari praecipuum omnium eorum, quae Abrahamo, Isaaco, et Iacobo, promissa a Deo fuere, idque aliquid esse longe maximum atque excellentissimum, quod (15) merito Deus foedere inito ac iureiurando se impleturum confirmaret, quodque ut polliceretur, iure Abrahami fidem atque obedientiam difficillimis rebus praeceptis antea experiri vellet, quod demum mercedis ac praemii loco, praesertim pro Isaaci filii immolatione, Abrahamo rependeret.

§. III

Bona hominum generi per Christum obventura verbis illis praedicta sunt.

18. His autem positis vix credibile fit reperiri, qui dubitare pergant, an re vera oraculis illis ea bona praenuntiarentur, quae Christus, ex Abrahami, Isaaci, et Iacobi, stirpe exortus, gentibus universis erat allaturus.

19. Et, siquidem res nobis esset solummodo cum iis, qui non diffitentur se in scripturis sacris rerum futurarum praedictiones deprehendere, id, quod volumus, levi negotio vinceremus. Sunt enim vaticinia quaedam, quae, praesertim si in eum sensum accipiantur, qui

---

(a) Rom. IV, 14.

omnium maxime obvius est, sique per se ipsa considerentur seorsum a reliquo sermone et a quibuscumque rerum, temporum, ac personarum, adiunctis, nihil praeter Christum queunt significare. Tale, exempli caussa, est illud: *Foderunt manus meas et pedes meos . . . Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem (a)*, illudque aliud : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium (b)*. Huiusmodi etiam ea sunt, quae nunc enarramus. Christus quippe ille unus fuit, qui cunctis omnino gentibus bonum, quo nullum maius esse potest, attulit, adeo ut de nemine unquam nisi de Christo vere potuerit haec sententia pronuntiari : *Benedicentur in ipso omnes tribus terrae (c)*. Quin imo, quaecumque Christus hominum generi praestiturus erat, si quis, quo magis praecise fieri potest, sermone complecti voluisset, opportunioribus, quam illa sint, verbis uti nequivisset. Quamobrem, quum Christus ex Abrahami, Isaaci, et Iacobi, progenie esset oriturus, quod notum plane est, et aliis sacrorum scriptorum testimoniis comprobatur, quum verba illa, ut est eorum sensus maxime obvius, de nullo alio vere quam de Christo proferri potuerint, quum bona, quae Christus in homines collaturus erat, aptissime verbis illis exprimantur, quum denique neque in ipso sermonis contextu neque in aliis bibliorum paginis ratio ulla compareat, cur ea de Christo dicta fuisse negemus, haec, inquam, omnia satis superque sunt, cur credamus, atque affirmemus, Christum oraculis illis sive bona ab eo afferenda fuisse reipsa praenuntiata.

20. Attamen praesto etiam sunt rationum momenta, quibus hoc ipsum iis persuadeamus, qui veras et proprie dictas futurorum praedictiones in scripturis haberi non facile credunt. Narrent enim ii nobis, ecquid aliud boni ex Hebraeorum gente ad ullam gentium ceterarum, nedum ad omnes, unquam dimanarit, aut in posterum dimanaturum ipsi sperent fortasse? quas neque scientiis, neque literis, neque artibus, Hebraei unquam iuverunt, sicut tamen aliae, uti Graeci, et Romani, iuvisse merito feruntur; quarum imo non paucas internecione delevere.

(a) Ps. XXI, 17. 19.
(b) Is. VII, 14.
(c) Ps. LXXI, 17.

21. Insuper, quum Christus ex trium illorum sanguine foret progignendus, imo quum hac ipsa de caussa, quod nemo, arbitror, negabit, unum inter homines omnes Abrahamum Deus selegerit, huiusque posteros unos ex gentibus universis peculiari prorsus ratione sibi addictos devotosque esse voluerit, num veri simile cuiquam videatur Deum, qui tam grandia Abrahamo, Isaaco, et Iacobo, promiserit, et, quidquid gloriosum iis futurum erat, praenuntiarit, illud unum, quod non modo haec omnia immane quantum antecelleret, sed quo aliquid gloriosum magis nec homini accidere nec excogitari quidem potuisset, ut ipsius Dei, si ita loqui fas est, fierent consanguinei, Deumque ipsum inter posteros suos recenserent, ipsos latere voluisse? At, nisi id eis praedictum fuerit verbis, de quibus agimus, et quae huic rei significandae apta prorsus erant, ubi minime deesset notitia futurae redemptionis, quae patribus illis minime profecto deerat, quandonam aut quibusnam verbis praedictum fuisse dicamus? Nullus ergo dubites hisce oraculis eos certiores a Deo factos fore, ut exspectata humani generis redemptio per unum de ipsorum progenie perficeretur.

22. Denique, sicut manifestum est huius rei promissionem dignam fuisse, et quidem prae ceteris omnibus, ad quam illa omnia pertinerent, quae ad postremam rem Abrahamo praedictam pertinuisse demonstravimus (11-16), ita dubitatio nulla est, quin illa eadem ad promissionem hanc de Christo ex Abrahami stirpe procreando re ipsa pertinuerint, adeoque id fuisse re ipsa, quod Abrahamo postremo loco praedictum est verbis: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.* Zacharias enim Ioannis Baptistae pater Christi adventum ita cecinit: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae, et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui, . . . ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti, iusiurandum, quod iuravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis (a).* Nec secus Maria virgo: *Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiae suae, sicut locutus est ad*

(a) Luc. I, 68. 69. 72. 73.

patres nostros, Abraham et semini eius in saecula (a). Paulus autem, Hebraeos, qui Christo sese adiunxerant, exhortans ad constantiam in bene coeptis servandam, haec scribit: *Abrahae namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iuravit per semet ipsum; . . . in quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui, interposuit iusiurandum, ut per duas res immobiles,* id est, per pollicitationem perque iusiurandum, *quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem (b)*; illa itaque pollicitatio illudque iusiurandum versabantur circa id, ex quo *fortissimum solatium habeamus,* quodque nos iuvet *ad tenendam propositam spem,* id vero aliud esse nequit nisi Christus. Sed luculentissima sunt ea, quibus Petrus Hierosolymitas est alloquutus: *Vos estis filii . . . . testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes familiae terrae. Vobis primum Deus suscitans filium suum misit eum benedicentem vobis (c).* Si enim ideo Iudaeis PRIMUM *Deus . . . filium suum . . . misit benedicentem* eis, quia erant *filii . . . testamenti*, id est, heredes, consequens est bona hoc testamento legata esse ipsum Dei *filium benedicentem.* Atqui testamentum hoc, ut Petrus narrat, conceptum fuit verbis illis: *Et in semine tuo benedicentur omnes familiae terrae*; ergo indubia res est verbis hisce ipsum Christum bonaque nobis ab eo afferenda fuisse praenuntiata. Quod si luculentiora adhuc flagites, en tibi quid Paulus scripserit ad Galatas: *Praenuntiavit Abrahae: Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur, qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham; quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt . . . . Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum, . . . ut in gentibus benedictio Abrahae fieret in Christo Iesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem (d).*

(a) Ib. 54. 55.
(b) Hebr. VI, 13. 17. 18.
(c) Act. III, 25. 26.
(d) Gal. III, 8 - 10. 13. 14.

§. IV

Opposita diluuntur.

23. Quaecumque contra nostram interpretationem depromi possunt ex plurimis bibliorum paginis, in quibus foedus a Deo initum commemoratur, facile refellas, si haec attenderis, quae subdimus. Foedus illud, cuius meminimus in hac disputatione, semel dumtaxat Deus fecit atque solummodo cum Abrahamo, ita tamen, ut Isaacum quoque, Iacobum, huiusque posteros, attingeret foedus istud, in quantum ex hoc illis deberentur ea omnia, quae tunc Abrahamo promissa sunt. Hinc, ubi illud narratur, legimus verba כָּרַת בְּרִית *percussit foedus (a)*; exinde vero, ubi de hoc foedere sermo est ex ea parte, quatenus ad Isaacum aliosque Abrahami posteros pertineret, adhibentur verba הָקִים בְּרִית (*b*) aut הֶעֱמִיד בְּרִית (*c*) *suscitare* seu *confirmare foedus*, id est, ea perficere, quae foedere sancita fuerant (*d*), ita ut neque cum Isaaco neque cum Iacobo ullum aliud foedus Deus pepigisse narretur, sed solum iis foedus servasse, quod iniverat cum Abrahamo. Hinc illud, quod foedus ipsum attente distinguere oportet ab impletis promissis, quae foedere fuerant confirmata, uti distinxit Siracides haec scribens: *Abraham . . . .* fuit *in testamento cum illo (Deo), ... et testamentum* confirmavit *(Deus) super caput Iacob (e).* Hinc quoque illa foederis nota (*f*) omnium Abrahamitarum corporibus impressa (*g*), eorum quoque, quibus ex foedere illo nihil debebatur, ut fuerunt Ismael eiusque posteri (*h*), qui apertis verbis ab huius foederis societate exclusi sunt (*i*). Hinc denique illud, quod, etsi Deus semel huius foederis mentionem fecerit, veluti si triplex foret (*l*), nimirum quia ad tres illos patres

---

(*a*) Gen. XV, 18. Vid. et Neh. IX, 8; Ps. CV, 8. 9.
(*b*) Gen. XVII, 7. 21.
(*c*) Ps. CV, 10.
(*d*) Conf. Ex. VI, 4.
(*e*) Eccli XLIV, 20. 25.
(*f*) Gen. XVII, 10. 11.
(*g*) Ib. 12-14.
(*h*) Ib. 23-26.
(*i*) Ib. 19-21.
(*l*) Lev. XXVI, 42.

aeque pertinebat, alias tamen tamquam unicum commemoratur (*a*). Complectebatur autem hoc foedus, quaecumque Abrahamo promissa a Deo sunt, uti demonstravimus, potissimum autem spectabat ad postremam promissionum partem, utpote quae ceterarum omnium finis foret ac veluti meta. Cur autem in ipsa foederis initi narratione (*b*) atque alibi non raro (*c*) inter illa, de quibus eo foedere cautum est, unius Chanaanitidis Abrahami posteris tradendae meminerint scriptores sacri, caussa fuit, vel quia de hac ipsa regione agerent, vel quia scriberent eo tempore, quo Israelitae toti erant in illa occupanda, vel demum quia florentibus huius populi rebus, quae, quantae erant, regionis illius dominio innitebantur, dominium hoc prae ceteris rebus Abrahamo promissis animos percelleret. Denique foedus hoc, quod Deus iunxit cum Abrahamo, aliud omnino fuit illo, quod in Sina iunxit cum integro Israelitarum populo (*d*), quoque leges huic a Deo latae sancitae sunt, et quod illud est, cui novum foedus opponitur apud Ieremiam (*e*).

24. Quo loco habenda sit eorum sententia, qui contendunt oracula a nobis explanata nihil sonare, nisi quod homines felicitatem Abrahami eiusque sobolis sibi atque aliis forent adprecaturi, compertum cuique fieri arbitror ex iis, quae in hac quaestione disseruimus. Oportet tamen, brevi examinemus, quid momenti habeant exempla loquutionum aut facta, quae ad sententiam istam confirmandam ex aliis sacrorum voluminum paginis solent depromi.

25. Non equidem negaverim Israelitas consuevisse sibi aut aliis de gente sua eo pacto bene precari. At non ideo ratione concluderem id ipsum oraculis illis fuisse praenuntiatum, multoque minus id praenuntiatum fuisse de gentibus universis, ad quas eadem illa oracula utique spectant (9), quibus tamen ea consuetudo nec fuit nec esse potuit (6). Quare, ut ab re prorsus sunt, sicuti iam demonstravimus (5), quae proferuntur ex Iacobi sermone ad Iosephum filium habito (*f*), mi-

---

(*a*) Ex. II, 24; VI, 4. 5; IV Reg. XIII, 23; II Mach. I, 2.
(*b*) Gen. XV, 18.
(*c*) Ex. VI, 4; Iudic. II, 1; II Esdr. IX, 8; Ps. CIV, 8. 10.
(*d*) Ex. XXIV, 3-8.
(*e*) Ier. XXXI, 31-33.
(*f*) Gen. XLVIII, 20 hebr.

nus etiam ob rem esse patet, quae Bethlehemitae Boozo et Ruthae adprecati fuisse narrantur (*a*).

26. Sed nec quidquam emolumenti capient adversarii ex illis sacrarum scripturarum loquutionibus, in quibus usurpatur verbum ברך forma hitpahel. Singulas excutiamus. Moyses haec scripsit: *Cumque audierit verba iuramenti huius*, BENEDICAT SIBI *in corde suo dicens*: *Pax erit mihi (b)*; ubi, sicut prodit orationis contextus, verbum *benedicat sibi* idem valet ac *bona sibi polliceatur*, *bonam spem concipiat*, non autem *bene sibi precetur*, neque ulli locus est, per quem, aut ad quod exemplum, bona illa futura sint. Psaltes ita cecinit: *Et* BENEDICENTUR IN IPSO *omnes tribus terrae (c)*; gemina haec sunt eorum, quae ad Abrahamum, Isaacum, et Iacobum, dicta fuerunt, eamdemque promissionem continent. Vel enim de Christo loquitur psaltes, et iam liquet, quod affirmamus; vel de Salomone, ex quo quum Christus esset progignendus, in eumdem plane sensum, nec in alium, de hoc ac de illis tribus ea cani potuerunt. Huic Isaiae vaticinio: *In quo qui benedictus est super terram*, BENEDICETUR IN DEO, *amen (d)*, profecto non hic sensus subest: Qui sibi bona adprecaturus est, adprecabitur ipsius Dei felicitatem, sed hic alius: Qui sibi bona adprecabitur, id faciet, non alia numina, sed unum verum Deum invocando. Nec secus sonant illa Ieremiae: *Et iurabis per Deum vivum*, . . . *et* BENEDICENT SIBI IN EO *gentes (e)*. Alias verbum hoc forma hitpahel non occurrit.

QUAESTIO VI

De vaticinio Iacobi (Gen. XLIX, 10-12).

1. Potissimae interpretum curae in Iacobi vaticinio commentando circa priorem eius partem (*f*) versari solent, etsi posterior quoque pars (*g*) non minore studio digna sit. Quare nos partem utram-

(*a*) Ruth IV, 11. 12.
(*b*) Deuter. XXIX, 19.
(*c*) Ps. LXXI, 17.
(*d*) Is. LXV, 16.
(*e*) Ier. IV, 2.
(*f*) Gen. XLIX, 10.
(*g*) Ib. 11-12.

que, id est, totum vaticinium explanabimus, definitis prius singularum vocum notionibus, quo facilius deinceps integram illius sententiam colligamus, et comprobemus, quaeque eo praedicta fuere, clarius appareant.

ARTICULUS I

De singularum vocum notione.

2. Notionem vocum, quae maxime obvia est, amplectemur; eam vero maxime obviam vocamus, quam prae ceteris accipiendam suadent regulae grammaticae, contextus ac series sermonis, usitata loquendi ratio, et indoles hebraicae poeseos, quum poetica sit dictio, non huius oraculi tantummodo, sed integrae orationis a Iacobo habitae, in qua oraculum illud reperitur.

§. I

לֹא־יָסוּר *Non deficiet.*

3. Verbum hoc id sonat, quod Latinorum *cedo*, ideoque, quamquam frequentior ei notio sit *recedere*, tamen, praesertim ubi terminus, a quo quis recedit, aut ad quem accedit, non proditur, frequenter idem quoque valet ac *deficere*, *aboleri*, *auferri de medio*, ut videre est in III Reg. XXI, 5; Iob. XV, 30; Is. VI, 7; XI, 13; Os. IV, 18; Am. VI, 7, inque illa sententia saepius repetita: בָּמוֹת לֹא־סָרוּ *Excelsa non desierunt (a)*, quod confirmatur significationibus huius verbi forma pihel et hophal et nominis סָרָה ex hoc eodem verbo deducti, illud enim quandoque significat *sustollere de medio*, *abolere (b)*, hoc vero *defectionem (c)*. Utram in

---

(a) III Reg. XV, 14; XXII, 44; IV Reg. XII, 4; XIV, 4; XV, 4. 35; II Par. XV, 17; XX, 33.

(b) *Hiphil* Iud. IX, 29; Ps. XXXIX, 11; Iob. XXVII, 5; XXXIV, 20; Is. III, 1; X, 13; XXVII, 9; XXXVI, 7; Ier. IV, 4; Ezech. XVI, 50; XLV, 9; Dan. XI, 31; Soph. III, 15. *Hophal* Is. XVII, 1; Dan. XII, 11.

(c) Is. XIV, 6.

significationem verbum istud accipere oporteat, sermonis contextus monet. In hoc oraculo, quum termini recessionis non indicentur (15 seqq.), idem sonat ac *deficere*, itaque redditum expresse est ab interpretibus alexandrinis, a duobus de chaldaeis, a vetere latino, ab arabe, atque ob caussam praedictam in hanc eamdem notionem accipienda sunt verba reddita a Symmacho, ab interprete syro, et a vulgato. Apud Aquilam legimus *ἀναστησεται surget*, *forte mendum pro ἀποστησεται (abscedet)*, *nam sic hanc vocem hebraicam solet vertere Aquila (a)* ; terminos tamen recessionis nec ipse indicare dicendus est, ideoque a praedictis non seiungendus. Onkelos reddidit *transibit* ; an terminos illos edicere voluerit, certo non constat. Interpres samaritanus unus est, qui vertit *recedet*, ita ut in aliam notionem vox ista accipi nequeat, addit enim: *ab ordinibus eius*. Ceterum patet vocem hanc, quantumvis pro ea *recedere* reddas, id tamen nisi τροπικως non posse significare, quum agatur de rebus, quae defecturae prorsus erant ; sicut illa Zachariae : וְשֵׁבֶט מִצְרַיִם-יָסוּר (*b*), poteris utique ita exprimere: *Et sceptrum Aegypti recedet*, attamen sentis haec significare futurum esse, ut sceptrum, id est, regnum Aegypti deficiat. Horum autem omnium ratio plenius apparebit ex iis, quae inferius dicemus.

§. II

שֵׁבֶט *tribus*.

4. Quum huius nominis radicem linguae semiticae non suggerant, quamquam Gesenius eam in his reperire sibi visus sit (*c*), lingua vero hebraica habeat vocem מַטֶּה, cuius eadem prorsus est vis idemque usus, vix dubites illud esse ipsum aegyptiacum ϣⲂⲱⲧ *baculum*, quod, sicut et quaedam alia Aegyptiorum vocabula, in linguam suam Israelitae receperunt, et ex quo aut ex communi aliqua vetustioris alicuius linguae radice etiam graeca *σκηπτω innitor*, *incumbo*, et *σκηπτρον sceptrum*, *baculum*, derivata forte esse iuvabit anim-

(*a*) *Montfaucon* Lexic. graec. ad Hexapla Origenis.

(*b*) Zach. X, 11.

(*c*) Thesaur. philol. crit. ad h. v.

advertisse. Nomen hoc in bibliis ferme ducenties occurrit. Propria ac simplex eius significatio *virga* seu *baculus* paulo amplius quam quadragies servatur. Insigne dominii aut potestatis non sonat nisi septies, nec nisi in dictione poetica (*a*), idque, non propria vi, sed ob vocabula adiuncta, ut discere est ex septuaginta senioribus, qui illam bibliorum sententiam interpretantes, unicam, in qua huic nomini additur nomen *regni*, non *σκηπτρον* *sceptrum*, sed *ῥαβδος* *virga* reddiderunt (*b*). Frequentissima autem omnium subiecta nomini huic notio est *tribus*, in quam fere centies et quadragies accipitur.

5. *Tribum* hoc nomine non posse nisi per translationem significari, quisque intelligit; quaeritur tamen quaenam sit ratio huius translationis. Quidam autumant ita vocari tribum, ut *quae sceptro, hoc est, duci paret*; ita Winerus (*c*). Verum, praeterquam quod id longius peti videtur, falso isti ponunt primariam vocis notionem esse *sceptrum, insigne dominii*, nec caussam afferre queunt, cur non ita etiam vocentur populi, civitates, exercitus, agmina militum, aliaque huiusmodi, quae singulis ducibus aeque, imo et magis, obtemperant. Dicerem itaque eamdem esse rationem atque illam, ob quam etiam vox מטה *virga, ramus,* saepe *tribum* et ipsa designat, praesertim quum unus idemque sit scriptoribus sacris vocis utriusque usus; nempe quia *tribus* sunt veluti unius arboris seu stipitis *rami*. Quam metaphoram aliae quoque linguae agnoscunt, puta, latina (*d*), italica, germanica, gallica, eamque illustrare poteris illis, quae leguntur apud Ezechielem XXXVII, 19. Notabile est illud Numerorum: אֶת־אַחֶיךָ מַטֵּה לֵוִי שֵׁבֶט אָבִיךָ (*e*), quod alexandrini interpretes ita expressere: *τους ἀδελφους σου, φυλην Λευι*; ΔΗΜΟΝ *του πατρος σου*, vulgatus vero: *fratres tuos de tribu Levi, et* SCEPTRUM *patris tui*, illudque לְמַטֵּה יוֹסֵף לְמַטֵּה מְנַשֶּׁה (*f*), quod sic idem ille vertit: *de tribu Ioseph*, SCEPTRI *Manasse*; in quibus nomina *sceptrum* et *δημον* *populum* usurpantur pro *tribu*, ubi hebraeum exemplar habet שבט et מטה eodem prorsus sensu (*g*).

(*a*) Indic. V, 14; Ps. XLV, 7 hebr.; Is. XIV, 5; Ezech. XIX, 11; Am. I, 5. 8; Zach. X, 11.

(*b*) Ps. XLIV, 7.

(*c*) Lexic. manual. ad h. v.

(*d*) *Pers.* Sat. III. v. 28.

(*e*) Num. XVIII, 2.

(*f*) Ib. XIII, 11.

(*g*) Conf. graec. interpr. I Reg. IX, 21; X, 20. 21.

6. Quaeritur, quid Iacob hoc vocabulo designaverit. Nonnulli, quos tamen nemo non ridet, aiunt, designasse *flagellum*, id est, calamitates atque labores, quibus Iudas affligendus erat in itinere post exitum ex Aegypto. At, si subinde nomen *baculus* adhibetur, ubi de calamitatibus ac poenis alicui infligendis agitur, patet non ideo id fieri, quia illud idem valeat ac flagellum, sed quia baculo seu virga ad alios flagellandos utimur, ac proinde, non eo vocabulo, sed aliis in oratione positis poenas seu calamitates significari; quod tamen esse nequit in hoc oraculo, quo fausta ac prospera Iudae praenuntiantur.

7. Velut insigne potestatis et dominii nomen שבט interpretati sunt septuaginta seniores, Symmachus, Theodotio, patres praesertim graeci, non tamen omnes (14), Onkelos, Talmudistae babylonici (*a*), auctor libri Berescith rabba (*b*), Salomon Iarchi (*c*), Maiemonides (*d*), David Kimchi (*e*), aliique. His adnumerandi sunt, qui sceptrum regale in eo nomine agnovere, sunt autem patres praesertim latini, interpres hierosolymitanus, Bechai (*f*), Chizkia (*g*), et alii. Ionathan ὁ ψευδώνυμος vertit: *reges et dominatores.* Verum nec paucis nec levibus difficultatibus haec sententia obnoxia est. Ut enim istud *scebet* insigne potestatis sive regiae sive de alio genere esse putaremus, id alia Iacobi verba proderent, necesse foret (4); quod tamen non modo minime fit, sed addita vox מִיהוּדָה *de Iuda* contrarium efficit, ac docet vocem *scebet* illud significare non posse, ut brevi demonstrabimus (15).

8. Qui autem contendunt *scebet* esse sceptrum regale, animadvertant, loquutionem hanc: *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec etc.*, geminam esse huius alterius: *Permanebit sceptrum in Iuda, usque dum etc.* At nemo hactenus repertus est, qui demonstraret, quo pacto dici possit regia potestas Iudaeis mansisse, usque dum Christus adveniret, quam constat ex eis sublatam fuisse quingentis et octoginta amplius annis ante hunc adventum. Agimus quippe cum iis, qui sentiunt Iacobi vaticinio Christum venturum praedici.

(*a*) Sanhedr. c. 1 ap. *Ugolin.* Antiq. sacr. T. XXV. p. 354. §. 4.

(*b*) In Gen. XLIX, 10.

(*c*) In h. l. et in cod. Sanhedr. c. 1.

(*d*) Comment. in cod. Becoroth c. 4.

(*e*) In libro radicum ad h. v.

(*f*) In h. l.

(*g*) In Chizkuni h. l.

9. Praeterea his verbis aliquid Iudae promissum fuisse, quod ipsi proprium foret ac peculiare, discimus ex eo, quod narretur Iacob bene dixisse filiis *singulis benedictionibus propriis (a)*, ideoque unius Iudae proprium futurum erat, ut ab eo non auferretur שֵׁבֶט et מְחֹקֵק usque ad tempus oraculo hoc designatum. Sed regia potestas adeo non fuit Iudae propria ac peculiaris, ut ex reliquis tribubus regnum longe amplius constiterit. Qui primus in totam gentem israeliticam regnavit, Saul, inquam, non fuit ex tribu Iudae, sed Beniamini (*b*). Mortuo Saule, dum huius filius Isboseth undecim tribus imperio regebat, David unam tribum Iudae obtinuit (*c*); postquam autem aliarum quoque potitus fuit, denuo hae, etsi brevi tempore, ab eo defecerunt (*d*). Davidi successit Salomon filius, isque unus est ex tribu Iudae, qui in gentem universam regium dominatum semper exercuerit; nam, Roboamo post ipsum regni potiente, decem tribus rebellarunt, propriosque reges exinde perpetuo habuere (*e*). Quid ergo proprium ac peculiare promissum Iudae fuisset a patre, si *scebet* regiam potestatem significaret? Dices etiam tribui Danis id fuisse promissum, quod omnibus tribubus commune futurum erat, his verbis: *Dan iudicabit populum suum sicut et alia tribus in Israel (f)*. At interpres vulgatus, sicut etiam arabs, legit כְּאַחַר pro כְּאַחַד, quod habent exemplaria hebraicum et samariticum, quodque reliqui interpretes omnes legerunt. Iam vero duo illa nomina *populum* et *tribum* in una hac eademque sententia usurpata, quum diversa sint, obvium magis est credere diversa quoque designare, et *populum* aliud esse quam *tribum*. Insuper tribus, non iudicabant, sed iudicabantur; quare, non *Dan*, sed *populus eius* comparari dicendus est cum *una tribuum Israelis*. Sensus itaque is erit: *Dan iudicabit populum suum*, id est, gentem Israelitarum, ex qua erat, *sicut unam tribuum Israelis*, id est, tamquam si totus populus non foret nisi una tribus, omnes tribus simul veluti unicam; praedicitur autem futurus Samson, qui fuit ex tribu Danis (*g*), *iu-*

(*a*) Gen. XLIX, 28.
(*b*) I Reg. IX, 1. 2. 16.
(*c*) II Reg. II, 10; V, 5.
(*d*) Ib. XX, 2.
(*e*) III Reg. XII, 16-24.
(*f*) Gen. XLIX, 16.
(*g*) Iudic. XIII, 2 seqq.

dicavitque Israel viginti annis (a). Si interpretatio haec minus tibi arridet, fatearis, oportet, sententiam hanc obscuriorem tibi esse, ideoque nihil contra nostrum argumentum ex ea extundes, quum tamen clarissima sint illa : *Benedixitque singulis benedictionibus propriis (b)*, quae nobis argumentum istud suppeditant.

10. Quae quum ita sint, nomen *scebet* dicendum est illud in Iacobi vaticinio sonare, quod alias plerumque sonat, id est, *tribum*; sicut autem, qui vertunt *sceptrum*, aiunt hoc nomine a Iacobo ipsam supremam potestatem indicari, ita nomine *tribus* ipsam huius tribus rationem ac conditionem πολιτικην designari pro comperto est, quum Iacob nequaquam loquatur de ipsa Iudae posteritate, quae profecto superest adhuc, at, quaenam sit, ignoratur, hodierni enim Israelitae, quin tribuum formam conservent, ex quanam harum originem ducant, neque ipsi norunt. Haec autem sic habere, rationes non leves praeterea sunt, quae confirmant, et quarum pleraeque simul demonstrant magis obviam hoc pacto evadere sententiam.

11. In primis quippe, nomine *scebet* in hanc notionem accepto, ut locus praecluditur omnibus iis difficultatibus, quibus premitur oraculi interpretatio, quum hoc nomine dominium praesertim regale significari putatur, ita e contrario plurima inde apprime commoda exsistunt. Nam syntaxis planior fit et concinnior; hinc vero et periodus ad eam formam, quae hebraicae poeseos propria est, plane componitur, et melius ac plenius constat inter utrumque membrum parallelismus ille, in quo plerumque tantum non tota huius poeseos indoles est ac natura. Insuper clarius apparet, quid differant שבט et מחקק, quod sane necessarium est nosse, ne ταυτολογως dicta haec esse suspicemur, simulque gradatio quaedam inter utrumque deprehenditur, ut prius posterioris veluti fundamentum exhibeat; quae quidem facile intellectum iri confidimus, ubi nomen מחקק explanabimus. Ut autem ex integra nostra disputatione apparebit, si *scebet* id sonet, quod dicimus, maior toti vaticinio perspicuitas ac vis inesse omnino videtur, eius partes aptius sibi invicem respondent, tota denique sententia arctius cohaeret, et preclarior fortasse fit ac Iudae

(a) Ib. XVI, 31. (b) Gen. XLIX, 28.

convenientior, utpote in qua nihil habetur, quod huic uni proprium ac peculiare non sit.

12. Attendere porro est, ut hoc vaticinium editum fuerit a Iacobo, quum testamentum conderet, quo posteris suis bona sibi a Deo promissa legavit, eosque in duodecim tribus divisit; haec, inquam, divisio tunc, non prius, facta est, quum non modo nulla huius rei mentio, imo nec ipsum nomen שבט *tribus*, ante hoc caput bibliorum habeatur, sed ipse Iacob ita testamentum concluserit: *Omnes hi in* שִׁבְטֵי *tribubus Israel duodecim (a).* Quare, qui tunc Iacobum loquentem audiebant, putare ne potuerunt nomen illud in aliam notionem quam *tribum* ab eo usurpari, quum in eius sermone nihil esset, quod id suaderet, imo iterum (*b*) ac tertio (*c*) idem hoc nomen occurreret, sed ad *tribum* designandam? Hoc autem ipso, quod tunc tribus israeliticae conderentur, ob rem esse omnino videbatur praedici, quaenam earum diutius ceteris esset duratura, quum huic id maxime privum ac proprium fuisse appareat, ac tale proinde, quod minime omitteretur ex *benedictionibus propriis*, quibus illam Iacob cumulabat. Haec vero tribus, cui ratio et conditio πολιτικη longe diutius quam ceteris mansit, tribus Iudae fuit. Iudae igitur praenuntiari id oportuit. Maxime autem, quia tribus tunc re ipsa foret dissolvenda, quum ortus nobilissimi inter eius posteros, Christi, inquam, gentesque omnes huic subditae detrimentum dispersae posteritatis ingente cum foenore Iudae iam rependerent; cuius quidem rei nihil simile agnoscas in *sceptro* inque regia potestate Iudae posteris ablata, quam scilicet servitute mutarunt, sive in ceterarum tribuum casu et defectione.

13. Neque vero dixeris tribum Beniamini, quae, ceteris a Iudae tribu secedentibus, una huic adhaesit (*d*), et tribum Levis, quae illo eodem tempore tota in regnum Iudaeorum se recepit (*e*), et ipsas una cum tribu Iudae perdurasse. Etenim, quod attinet ad tribum Levis, eius conditio diversa prorsus fuit ab aliarum conditione, ut quae sa-

---

(*a*) Ib.
(*b*) Ib. 16.
(*c*) Ib. 28.
(*d*) II Par. XI, 12.
(*e*) Ib. 13, 14.

cris dumtaxat addicta propriam regionem non habuit, aliisque tribubus, etiam ante illud tempus, semper intermixta in ipsarum regionibus degerat. Tribus vero Beniamini, postquam regnum bifariam divisum est, veluti una cum tribu Iudae habita est (*a*), et, si quae mutatio tunc contigit, haec non in tribu Iudae fuit, sed in tribu Beniamini, ita ut, quamquam exinde proprio nomine saepe ea vocata sit (*b*), plerumque tamen ambae tribus communi gentis totius nomine *Iudas* dictae sint (*c*) sive *Iudaei*, recentiore praesertim aetate (*d*), ut comperimus ex libris novi testamenti, Flavii Iosephi, aliorumque scriptorum, regnumque ipsum ac reges non alio quam *Iudae* nomine designabantur (*e*), quo eos distinguere mos fuit a regibus aliarum tribuum, qui reges *Israelis* sunt appellati. Tum in casu ac dissolutione tribus Beniamini, sicut et ceterarum, una tribu Iudae excepta, nihil fuit, quod ipsis aut ipsarum auctoribus gloriae cederet ac laudi.

14. Non desunt denique auctoritates, quibus notio, quam nomini *scebet* in hoc vaticinio subiectam dicimus, sese tueatur. Nam in bibliis graecis iussu Xysti V pont. max. Romae editis haec a scholiaste adnotata leguntur ad hoc caput geneseos: Ἀκύλ. σκῆπτρον. σκῆπτρον δὲ ἡ φυλὴ ὀνομάζεται *Aquil.* sceptrum. sceptrum *autem* tribus *nominatur*. Enimvero alexandrini interpretes nomen σκῆπτρον usurparunt non raro loco nominis φυλὴ *tribus* (*f*). Sed nobis plane adstipulari dicendus est Basilius, qui haec scripsit ad Amphilochium: Οὐ μὲν τοι ἐξέλιπεν ἡ του Ἰούδα φυλὴ ἕως οὗ ἦλθε ᾧ ἀπόκειτο *Non sane defecit Iudae tribus, usquequo venit, cui repositum est* (*g*). Lege Petavium nostrum (*h*), qui nobiscum omnino sensit.

(*a*) Conf. III Reg. XII, 21. 23 et II Par. XI, 1. 3. 10. 12. 23 cum III Reg. XII, 20 et XI, 31. 32. 35. 36.

(*b*) LL. cc. et I Esdr. I, 5. etc.; II Esdr. XI, 36. etc.

(*c*) III Reg. XII, 20; XIV, 22; XV, 22; IV Reg. VIII, 20. 22. etc.; II Par. XII, 12; XIII, 13. etc.

(*d*) I Esdr. IV, 12. etc.; I Mach. VIII, 20. 23. etc.

(*e*) III Reg. XII, 23; XIV, 21. 29. etc.

(*f*) I Reg. IX, 21; X, 19. 20. 21. etc.

(*g*) Ad Amphiloch. ep. CXXXVI al. CCCXCI. §. 3.

(*h*) De incarn. L. XVI. c. 6. §§. 4-6. Ration. temp. P. II. Lib. III. c. 16.

§. III

מִיהוּדָה *a Iuda.*

15. Ex vi praepositionis מִן *a*, quae est ante voces יְהוּדָה *Iuda* et בֵּין רַגְלָיו *inter pedes eius*, interpretationis rationem magna ex parte pendere quisque comperit. In hac quippe sententia alterutrum horum potest significare, vel rei originem, vel terminum, a quo res recessura est. Si praepositio ista construatur cum verbo יסור, terminum illum significabit, ipsumque verbum vertendum erit *recedet*; sin vero construatur cum ipsis nominibus, quibus continuo succedit, sonabit originem rerum his nominibus designatarum, verbum illud vertetur, ut nos fecimus (3), et supplenda erit ellipsis pronominis relativi poetico Hebraeorum stilo maxime usitata. Nemo, puto, contendet prius una postea vero altera ratione praepositionem hanc in hac enuntiatione esse usurpatam, quo etiam verbum יסור in duplicem simul notionem foret accipiendum. Quis enim me ita loquentem ferat: *Cessit Turnus a vulnere, et Aeneas a proelio?* Quod incommodum minime cavent, qui, quum vocibus מִבֵּין רַגְלָיו *ab inter pedes eius* originem edici putent, nomini שבט notionem *dominium* esse contendunt. Iam vero, ut inferius palam faciemus (23-26), loquutio illa *ab inter pedes eius* nihil in hac sententia aliud potest valere quam *de stirpe*, ideoque praepositio *a* originem necessario sonat; quare, et in priore inciso *a Iuda* originem sonet, necesse est. Totum id melius percipies, si cum hac loquutione componas aliam huic simillimam, qua usus est Zacharias (*a*) illud idem verbum cum iisdem illis praepositionibus construens, ita tamen, ut hae non originem designent, sed id, a quo res auferenda dicitur.

16. Ceterum, etsi שבט מיהודה *tribus a Iuda* pro שֵׁבֶט אֲשֶׁר מִיהוּדָה *tribus, quae (erit) a Iuda*, quae plena syntaxis foret, nemo hebraice doctus dicere reformidet, iuvat tamen exemplis id con-

---

(*a*) Zach. IX, 7.

firmare loquutionum, in quibus ante illam praepositionem, qua origo indicatur, pronomen relativum deest. Haec autem habes: אִישׁ מִזַּרְעֲךָ *vir a semine tuo (a)*, אִישׁ מִבֶּן־יְמִין *vir a Beniamin (b)*, אֲנָשִׁים מֵאָשֵׁר .... וּמִזְּבֻלוּן *homines ab Aser .... et a Zabulon* (c), נָגִיד מִמֶּנּוּ *ducem ab ipso (d)*. Horum gemina, quod ad syntaxim, haec sunt: עָנְיִי מִשֹּׂנְאָי *afflictionem meam ab odientibus me (e)*, atque haec alia: בִּשְׂעִפִּים מֵחֶזְיוֹנוֹת לָיְלָה *in sollicitudinibus a visionibus noctis (f)*. Notabile in primis est illud Iobi effatum *(g)*: מִי־יִתֵּן טָהוֹר מִטָּמֵא *Quis dabit mundum ab impuro?* quod optime παραφράζει interpres vulgatus: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* cui assentire videtur Schultens (*h*), planeque adstipulantur Gesenius, qui ita ea reddidit (*i*): *Ubi est purus*, QUI *ex impuro* ORTUS SIT? et Rosenmüllerus, qui sic interpretatur: *Quis dabit purum ex immundo? scilicet homine* NATUM *(k)*. Sic quoque Graecis: οἱ ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων Ἴωνες, dicere mos est (*l*). Potissimum vero attendere est ea, in quibus omissum est, non modo pronomen relativum, sed et ipsum nomen eius, cuius origo hac ratione edicitur. Sic sunt illa Moysis: וְיֵרְדְּ מִיַּעֲקֹב *Et dominabitur a Iacobo (m)*, nempe, ut adnotat Io. Henricus Michaelis auctorem Bechai sequutus, ORTUS *e Iacobo (n)*, vel, ut haec commentatur Rosenmüllerus: *Et dominabitur ei, Edomo, e Iacobo* ORIUNDUS *rex* (*o*), quem sensum ita expressit interpres vulgatus: *De Iacob erit; qui dominetur*; itemque illa Isaiae: וּבָנוּ מִמְּךָ חָרְבוֹת עוֹלָם *Et aedificabunt a te vastitates saeculi (p)*, id est, *ex te* NATI, ut scribit

---

(*a*) Lev. XXI, 17.
(*b*) I Sam. IX, 1.
(*c*) II Par. XXX, 11.
(*d*) I Par. V, 2.
(*e*) Ps. IX, 14.
(*f*) Iob. IV, 13.
(*g*) Id. XIV, 4.
(*h*) In h. l.
(*i*) Thesaur. philolog. crit. ling. hebr. et chald. ad voc. מִן p. 802. Lipsiae 1839.
(*k*) Schol. in h. l.
(*l*) Vid. *Viger*. De praecipuis graecae dictionis idiotism. c. 9. sect. 1. reg. 1. n.° 13.
(*m*) Num. XXIV, 19.
(*n*) Brev. adnot. in bibl. hebr. h. l.
(*o*) Schol. in h. l.
(*p*) Is. LVIII, 12.

Io. Henricus Michaelis (*a*), vel, ut Gesenius, filii, nepotes *tui*; *confer. graec. οἱ ἐκ τουτων* (*b*), quibus cum sentit Rosenmüllerus (*c*).

§. IV

וּמְחֹקֵק *et decernens.*

17. Particula ו *et* efficit, ut oraculi sensus nequaquam sit neutrum duorum ante tempus, quod indicatur, esse defecturum, nec *scebet*, inquam, nec *mechokek*, sed non esse defecturum utrumque, id est, numquam fore, ut posteri Iudae utroque simul careant, quin prius venerit *Scilo*, atque huic populorum obsequia praestita sint (29). Quare particulam hanc commodissime vertes *una cum*. Quorsum id moneamus, inferius palam fiet (29. 58. 59. 76).

18. Verbo חָקַק primigenia notio est *incidere, excidere*, hinc *τροπικως statuere, decernere*, quod leges et decreta in aes, in marmor, in lignum, olim inciderentur; quae translata notio, nec alia, nominibus quoque omnibus est ex ea radice prognatis. Male Gesenius etiam *statuere*, quod est *ponere*, notionem huic verbo tribuit, ex qua metaphoram illam repetamus (*d*); quae enim hebraice profert ex libro Proverbiorum ad id comprobandum, ita reddenda latine sunt, aut ita certe reddi possunt: *Quum excideret circulum super faciem abyssi, . . . quum excideret bases terrae (e).* Participium מְחֹקֵק numquam in propriam radicis notationem acceptum reperimus; quare idem valet ac *statuens, decernens*, ut etiam comperimus tum ex eo, quod participium passivum מְחֻקָּק illi respondens significet *statutum, decretum (f)*, tum quia veteres interpretes semper pro illo reddiderunt nomen aliquod significans eum, cui auctoritas quaecumque demum est ad aliquid *statuendum* vel *decernendum.*

19. Praeter hoc caput geneseos sex alia sunt, quae nomen istud habent. Semel quippe in Isaia nominis Dei appositum est (*g*), ubi

---

(*a*) Op. cit. in h. l.
(*b*) L. c.
(*c*) Schol. in h. l.
(*d*) Op. cit. ad h. v.
(*e*) Prov. VIII, 27. 29.
(*f*) Ib. XXXI, 5.
(*g*) Is. XXXIII, 22.

quaedam gradatio habetur, quae vocis huius significatum multum illustrat. Bis Moyses ita vocatur (*a*), semel copiarum duces *(comandanti)* (*b*), bis Iudas (*c*). Quatuor tamen horum in quaestionem revocantur a quibusdam.

20. Hi enim hosque inter Gesenius (*d*) sentiunt מחקק significare etiam sceptrum *insigne ducum et imperatorum,* bis quidem proprie dictum, in Iacobi vaticinio et in libro Numerorum, bis vero per metaphoram in psalmis, ubi Iudae nomini adiunctum est. Illos tamen animadvertisse oporteret in primis novam hanc huius vocis significationem ignotam omnino fuisse veteribus interpretibus, nihilque linguas semiticas suppeditare, quo eam tueamur. Tum talem significatum voci huic subesse non posse nisi τροπικως, ita ut, quum proprie eum designet, qui potestatem habet aliquid *decernendi*, transferatur ad ipsum huius potestatis insigne nominandum; quod tamen metaphorae genus inauditum hactenus fuit, imo et absurdum dicerem. Ecquis enim unquam nomine, quod rei significatae est, ipsum huius rei insigne quantumvis τροπικως appellavit? Quinam nomine *rege* sceptrum aut coronam, quinam nomine *consule* fasces securesque ausit vocare? Sed neque ea scripturarum capita, in quibus voci מחקק hunc significatum affingunt, quidquam praeferunt, quod nos ad novas verborum significationes deflectere cogat. Omnem enim sententiae suae rationem depromunt hi ex hemistichiorum parallelismo, quo tamen iuvari utique possumus, et quidem recte, ad notionem vocum sive inveniendam, si ignotae illae sint, sive definiendam, si ambiguae, minime vero ad novas nec necessarias notationes vocabulis iam notis affingendas. Tum parallelismus non semper ὁμολογος est, ut necesse sit res easdem membris, quae παραλληλα sunt, exhiberi (*e*). Denique in iis, quibus Gesenius ac ceteri novam illam significationem defendunt, parallelismus non talis est, qualem putant. Nam in vaticinio Iacobi, si שבט est *tribus*, מחקק cur sit *sceptrum?* In libro Numerorum nomen hoc construitur cum praepositione ב, quae significare potest

(*a*) Num. XXI, 18, de quo consule *Rosenmüll.*; Deut. XXXIII, 21.

(*b*) Iudic. V, 14.

(*c*) Ps. LX, 9; CVIII, 9.

(*d*) L. c.

(*e*) Vid. Lib. I. c. VI. reg. IV. §. VI; reg. V. §. II.

alicuius societatem sive etiam auxilium opere praestitum aut consilio et suasione, idque non minus frequenter atque illud, quo quid fit (*a*), ideoque sensum percommode exprimes, salvo etiam parallelismo, non quidem cum posterioribus, sed cum prioribus instituendo, si reddas: *cum legislatore*, id est, *cum Moyse*, vel etiam *ope* aut *consilio Moysis*; neque enim vox בְּמִשְׁעֲנֹתָם *in baculis suis* continuo succedens voci מחקק hanc explicare putanda necessario est, imo nec putari potest, nisi aliunde constet מחקק, quod *decernentem* certo sonat, posse etiam *sceptrum* sonare. Denique, ubi psaltes Iudam vocat מְחֹקְקִי, siquidem haec vox *sceptrum* designaret, animadvertat Gesenius, quomodo duplex imo et triplex translatio in uno vocabulo alia ex alia exsisteret. Nam מחקק, quod proprie est *excidens*, *incidens*, usu iam translatum est ad significandum *decernentem*; ex hac vero significatione translata ad *sceptrum* designandum, et, in quantum designaret *sceptrum*, ad quartam illam notationem, qua Iudas Davidis *sceptrum* diceretur, foret ulterius transferendum. Quod autem in primo hemistichio psaltes vocet Ephraimum מָעוֹז רֹאשִׁי, id nihil Gesenio prodest. Is quidem haec verba accipit pro *galea*, et ideo ex parallelismo coniicit מחקק esse *sceptrum*; sed quid cogit nos, ut pro verbis illis *galeam* reddamus? מעוז aut *robur* sonat, ut eam quandoque omnes veteres interpretes verterunt, aut vi formae grammaticae *locum munitum*; et, quamquam minime negaverim alienum non esse a stilo poetarum orientalium, ut ea periphrasi *galea* designetur, patet tamen longe simpliciorem ac magis obvium esse illorum verborum sensum, quem, nulla in his accepta metaphora, expressere interpretes graecus, chaldaeus, vulgatus, coptus, adsentientibus syro et aethiope, nec adversante arabe: *Ephraim fortitudo capitis mei.* Hinc Davidis sententia est, *robustissimas* copiarum suarum, quibus maxime fidebat, fuisse ex tribu Ephraimi, *supremos* vero earum *duces* ex tribu Iudae, sicut et in libro Iudicum hi eodem nomine מְחֹקְקִים appellantur (19). Quam interpretationem historia comprobat, quum et Iudaei re ipsa fuerint,

---

(*a*) Vid. *Gesenius* op. cit. ב nn. 18. 19. pag. 174.

qui praeerant exercitibus Davidis, puta, Ioab huiusque frater Abisai (*a*), hique primas egerint in proeliis, quae illis psalmis celebrantur (*b*), et Ephraimitae, qui in exercitu Davidis militabant, dicantur *fortissimi robore (c)*, nullaeque aliae copiarum Davidis, si Simeonitas exceperis (*d*), hac laude honestentur. Parallelismus vero, non modo nihil patitur, sed potior quoque fit ac manifestior.

21. Porro, sicut nomine שבט *tribu* poetice ipsius tribus forma et conditio πολιτικη in hoc oraculo designatur (10), ita nomine מחקק, etsi *decernentem* proprie id sonet, dicimus a Iacobo μετωνυμικως indicari ius αὐτονομον, quo futurum erat, ut tribus ex Iuda exoritura propriis totius gentis legibus sese regere pergeret, sive, quod idem est, lex mosaica apud illam obtineret, etiam post ceteras tribus dispersas ac dissolutas. Neque enim is, de quo Iacob loquebatur, aliquis esse poterat ex tribu Iudae, qui peculiares leges huic conderet, quum unus Deus legum omnium lator fuerit, quotquot in universo Israelitarum populo obtinuere, quibus, ut aliquid demere, ita et quidquam addere vetitum erat (*e*). Sed neque aliquis, qui suprema esset potestate, neminem quippe talem ex ea tribu exstitisse comperimus post Zorobabelem, contra vero plures post hunc ex tribu Levis, penes quos longa aetate suprema auctoritas fuit, puta, Esdram, Nehemiam, Machabaeos, regesque Hasmonaeos. Nec denique, qui secundum leges mosaicas statueret, atque decerneret, quid honestum, quid decens foret, quid secus, quae agenda, quae omittenda; nam et leges interpretari sacerdotum solummodo erat (*f*), et quid frigidum ac ieiunum sapuisset praedicere Iudae, veluti rem valde ipsi gloriosam, non defecturos ex eius posteris, qui legem docerent, atque interpretarentur. Ex altera vero parte scimus leges mosaicas obtinuisse in tribu Iudae, iusque illud αὐτονομον, licet subinde impeditum, huic stetisse usque ad aetatem Christi, Iudaeosque legibus illis sese rexisse, donec eversis a Tito Hierosolymis ipsa tribus dissoluta est;

(*a*) II Reg. II, 24; X, 9. 10; XIX, 13; XX, 6. Conf. I Par. II, 16.

(*b*) Conf. Psalm. LIX et CVII cum II Reg. VIII et I Par. XVIII.

(*c*) I Par. XII, 30.

(*d*) Ib. 25.

(*e*) Deuter. XII, 32.

(*f*) Ib. XVII, 8-13 coll. Malach. II, 4-9.

huius enim rei testes habemus locupletissimos Ioannem (a), Lucam (b), et Flavium Iosephum, qui refert haec Titi verba, quibus ipso audiente Iudaeos obsidione pressos paullo ante urbis vastationem alloquebatur : *Leges vobis servavimus patrias, et vivere vos, non solum discretos, sed cum aliis etiam, vestra voluntate concessimus (c)*. Quod vero Iudaei Christum accusantes Pilato responderunt: *Nobis non licet interficere quemquam (d)*, vel falso dixerunt, vel ideo, quia, etsi capitis damnare possent populares suos, id enim constat tum ipsius Pilati testimonio (e), tnm argumentis aliis non paucis (f), decreti tamen supplicii exsequutionem Romanis permittere debebant ; nisi potius alia fuit rei huius ratio, quam inferius exponemus (78).

22. Si itaque haec, quam defendimus, notio sit voci *mechokek*, quisque iam sentit, quam bene atque apte notioni vocis *scebet* superius (10) propositae ea respondeat, et qnomodo utraque id praeferat, quod, ut uni Iudae proprium erat ac privum, nec exiguae laudi cessurum, ita, cur ipsi praenuntiaretur, ratio optima fuit.

§. V

מִבֵּין רַגְלָיו *ab inter pedes eius.*

23. Sequuntur vocabula מִבֵּין רַגְלָיו, quae verbatim, etsi minus latine, ita reddas : *ab inter pedes eius*, aut : *a medio pedum eius*. Circa quae denuo quaestio sese offert, utrum praepositio מן *a* locum significet, a quo *mechokek* esset recessurus, an potius huius originem (15 - 16).

24. Pauci, ex vetustioribus saltem, primum horum accipiunt cnm interpretibus samaritano et arabe ; tametsi, accipiant, necesse sit,

---

(a) Io. VIII, 5. 33 ; XVIII, 31; XIX, 6. 7.
(b) Act. VIII, 3 ; IX, 1. 2; XXIV, 6. 7.
(c) De bello L. VI. c. 6. §. 2.
(d) Io. XVIII, 31.
(e) Ib. et XIX, 6.
(f) Matth. XX, 18 ; XXVI, 4. 59 ; Io. VIII, 7; Act. VI, 12 - VII, 1. 54 - 59.

quotquot id ipsum affirmant de hac eadem praepositione ante Iudae nomen adhibita, ne illud peccent, quod cavendum iam monuimus, ubi de ea diximus (15). De tota autem dictione מבין רגליו diversa opinantur. Qui simpliciter haec vertunt *ab inter pedes eius*, quamcumque demum notionem tribuant nomini *mechokek,* numquam efficient, ut concipiamus, quomodo is fuerit *inter pedes* Iudae, ut inde ipsum recessurum dicant. Alii nonnulli aiunt dictionem illam sonare *de medio eius*, quod verum esse nequit, nisi si בין רגליו idem valeret ac *medium eius;* id tamen falsum est, quum metaphorarum, quae in communem sermonis usum receptae sunt, interpres alius non sit nisi usus ipse, in usu autem fuisse, ut immutarentur voces illae, sicut isti vellent, scripturae sacrae argumentum nullum produnt. Non pauci ex recentioribus Ernestium (*a*) sequuti contendunt eas tantumdem valere ac *ab eo*, quia, inquiunt, רֶגֶל *pes* non secus ac יָד *manus* et aliorum membrorum nomina in lingua hebraica pro toto homine adhibentur, sicut etiam πους *pes* in graeca et in latina. Quae quidem omnia oppido falsa sunt, et loqnutionum exempla, quae ad hanc sententiam comprobandam congeruntur, nihil evincunt, quum ea prave ab Ernestio intellecta esse constet. In illis enim רַגְלַיִם sunt tantummodo *pedes* pro *pedum vestigiis*, יָדַיִם *manus* pro *manuum operibus* seu pro *operantibus*, פֶּה *os* pro *operibus oris*, id est, *lectione*, *verbis*, in graecis autem et latinis sermo est de *impedimentis*. Gesenius vero rem totam mirifice turbat (*b*). Docet quippe dictionem illam in vaticinio Iacobi *translate pro* a semine, stirpe, sobole eius usurpari, quod, qua ratione verum sit, mox videbimus, sane non alia, quam si praepositio מן *a* originem indicet, non autem id, a quo aliquid est removendum; at ille hoc alterum ponit, atque ita sententiam hanc vertit: *Non recedet .... sceptrum a sobole eius*, veluti si solae voces בין רגליו, id est, *medium pedum eius*, possent *sobolem* significare. Denique Ewaldus (*c*) sic illa interpretatur: *Non recedet dux de me-*

(*a*) Opusc. philolog. p. 193 seqq.

(*b*) Op. cit. בין p. 204.

(*c*) Kril. Grammat. der hebr. Spr. S. 615 coll. Ier. XII, 5.

dio peditum eius; qui sensus quam frigidus sit et mancus, apparet manifesto. Missnm facio exemplar pentatenchi samariticnm, in qno legitur : *de medio vexillorum eius*, id enim repetendum omnino videtur ex arctissima duarum literarum ר et ד, ant ࠓ et ࠃ, similitudine.

25. Alterum itaque tenendum est, originem videlicet ea praepositione indicari, ut eadem sit constructio vocum מחקק מבין רגליו, ac vocum שבט מיהודה esse diximus, hisque etiam pronomen אשר *qui*, quod deest, inserendum, atque harum sensus ita exprimendus : *Non deficiet . . . decernens, qui (erit) e medio pedum eius*, id est, ab eius sanguine cretus. Hunc profecto sensum, nec alium, praeferunt interpretationes alexandrina et vulgata, hunc aperte expressit Pseudoionathan vertens : *de semine eius*, hunc Aquila et syrus interpres, qui ipsissima hebraici exemplaris verba reddiderunt, hunc denique exprimere voluisse putandi sunt Onkelos et hierosolymitanus interpres, quibus verba *e medio pedum eius* idem valent ac *de filiis filiorum eius*. Habemus praeterea adstipulatores plerosque tum patrum, tum aliorum, qui scripturas sacras explicarunt. Ut autem alia significatio his vocibus esse nequit, prout vidimus (24), ita rationes sunt ex ipsa hebraica lingua petitae, cur significatum hunc iis subesse dicamns. Nam praepositio מן, quum nequaquam designet locum, ex quo *mechokek* dicatur non recessurus, huius originem designet necesse est; quam vim praepositioni isti Hebraeos subinde indidisse iam perspeximus (16). Vox בין, sive nomen eam esse velis, vertasque *medium*, sive simplicem praepositionem, pro qua reddas *inter*, utrumque enim in idem recidit, coniuncta voci רגליו honestiorem quamdam efficit circumloquutionem, qua praefanda membra significantur; quarum circumloquutionum specimina alia habes in bibliis (*a*), simillimum autem in deuteronomio (*b*), quibus ἀνάλογα sunt בֵּין עֵינֵים *inter oculos* pro *in fronte (c)*, בֵּין יָדַיִם *inter manus* pro *in pectore (d)*. Denique si מחקק is est, qui decernit,

(*a*) Iud. III, 24; I Sam. XXIV, 4; II Reg. XVIII, 27 kri; Is. VII, 20; XXXVI, 12 kri.

(*b*) Deut. XXVIII, 57.

(*c*) Ex. XIII, 9; Deut. VI, 8; XIV, 1.

(*d*) Zach. XIII, 6.

ac statuit, patet nihil posse has voces sonare, nisi id, quod affirmamus.

26. Si autem talis est vis praepositionis מן ante nomen בין רגליו comprobatur talem quoque vim huic eidem praepositioni esse oportere ante nomen יהודה (15).

§. VI

עַד כִּי *donec.*

27. Regulas grammaticae notionesque linguae hebraicae nec a limine salutasse dicendi sunt, qui voculam עַד a particula כִּי seiunctam prioribus adiungunt, vertuntque *aeterno* seu *in aeternum.* Nam patiar equidem negligi accentum athnach, qui tamen illud fieri minime patitur, atque unum potius rogabo, quo iure nomen substantivum, quale est עד, quum notio eius *aeternitas* est, in adverbium transformetur nulla auctoritate nulloque exemplo, imo communi sensu ac rei natura repugnante? עד *tempus interminatum* aut *aeternitatem* significat, ut docent loquutiones illae אֲבִי־עַד *pater aeternitatis (a)*, עוֹלְמֵי עַד *saecula aeternitatis (b)*, הַרְרֵי־עַד *montes aeternitatis (c)*, שֹׁכֵן עַד *habitator aeternitatis (d)*, numquam vero *aeterno* aut *in aeternum*; hinc, quos refellimus, aeque peccant atque ego, si dicerem: Urbs aeternitatem condita est, pro: Urbs in aeternum condita est. Quae vero ex libro Numerorum (*e*) et ex psalmis (*f*) depromunt, nihil iis ipsi iuvantur. Verba enim, quae in psalmis leguntur, עַד־אֶעֱבוֹר vertenda non sunt *in aeternum transibo*, sed *donec transiero (g)*; quae autem in Numeris, עֲדֵי אֹבֵד, non *in aeternitatem interitus*, sed *usque ad interitum* (*h*), sique ista legas, ut sunt in exemplari samaritano, עד יאבד,

(*a*) Is. IX, 5.
(*b*) Ib. XLV, 17.
(*c*) Hab. III, 6.
(*d*) Is. LVII, 15.
(*e*) Num. XXIV, 20. 24.
(*f*) Ps. CXLI, 10.
(*g*) Conf. Gen. XXXVIII, 11; Os. X, 12; etc.
(*h*) Conf. Iob. VII, 4; XX, 5; Ps. CIV, 23; CXLVII, 6.

ea vertes *donec pereat*. Neque ipsos iuvat Onkelosi interpretatio, in qua legitur: *in saeculum*, hoc enim Onkelos de suo addidisse, non autem sic vertisse vocem hebraicam, dicendus est, quum continuo subdat: DONEC *veniat Messias*; tum illud *in saeculum* abest a bibliis polyglottis complutensibus, antuerpiensibus, et parisiensibus. Ut autem Latinis *in aevum* adverbii more adhibetur pro omnibus futuris temporibus, ita, nec aliter, si nomini עד praepositionem addas, veluti adverbii significatus erit *in aeternum* sive *aeterno*, ac talia sunt לָעַד et עֲדֵי עַד.

28. Ceterum עד plerumque tamquam particula habetur, cuius sensus nihil *aeternitatis* exhibet, sed vel praepositionis vim prae se fert, idemque valet ac *ad*, *usque ad*, vel adverbii *dum*, *usque dum*, *donec*. Quoties autem particulam כי *quando* sibi adiungit, semper significat *donec*, *usque dum (a)*; de qua significatione, iuvat transcribere, quae monuit Noldius: USQUE AD *et* DONEC *post affirmationem non semper negant consequens . . .* USQUE AD *et* DONEC *post negationem non semper affirmant consequens (b)*. Hinc, si Iacob ita loquutus est: *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est,* ex sola vi verborum colligi nequit illa post huius adventum auferenda fuisse. Attamen non ideo vaticinio huic quidquam virium adimi, ubi locus erit (76), palam fiet, quum praeterea, etsi non ex particula *donec*, ex tota tamen Iacobi sententia satis comperiamus duo illa post adventum Christi defectura ab eo praedici.

§. VII

יָבֹא *veniet*.

29. Ut prius hemistichium sive πρότασις unicum verbum יסור cum duobus nominibus שבט et מחקק constructum exhibet, ita posterius sive ἀπόδοσις unicum verbum יָבֹא et duos casus rectos שִׁילֹה

(a) Vid. Gen. XXVI, 13; XLI, 49; II Sam. XXIII, 10; II Par. XXVI, 15.

(b) Concordant. particular. ebraeo-chald. p. 534. Ienae 1734.

et יִקְּהַת. Quare, non modo tam magis obvia constructio, tum grammaticae ratio, sed et parallelismus syntacticus (*a*) docet verbum יבא, non solum cum nomine שילה, sed etiam cum nomine יקהת esse constructum. Quo confirmatur tempus a Iacobo designatum, non adventu Christi tantummodo, sed etiam gentibus huius imperio subiectis definiri (17).

§. VIII

שִׁילֹה *Scilo.*

30. Nec vacat, nec refert, eos refutare, qui nomine *Scilo* vocari autumant a Iacobo vel Moysem, vel Saulem, vel Davidem, vel Ieroboamum, vel Nabuchodonosorem, vel, ut Clerico placuit, *finem* et *cessationem* regni, quum non modo rationem nullam opinionis suae possint proferre, sed e contrario rationes omnes opinioni huic adversentur. Christum vero eo nomine a Iacobo vocari sententia est veterum omnium Christianorum aeque et Iudaeorum; ne enim de Christianis dicam, ita expressis verbis nomen illud verterunt tres interpretes chaldaei, ita illud exposuerunt Talmudistae (*b*), ita vetustissimi inter Iudaeos scripturarum enarratores, qui commentaria Rabboth nuncupata conscripsere. Nimirum, si Iacob filiis suis ea, quae ipsis eventura essent, eo sermone praenuntiavit, *benedixitque singulis benedictionibus propriis*, Iudae Christum ex eo oriturum praediceret, oportuit. Ceterum, etsi dubitatione careat Christum hoc vocabulo indicari, quaenam tamen sit ei vis propriaque significatio, multum disputatur. Omnes autem opiniones ad tria praecipua capita revocantur, de quibus, quae dicemus, ut citius assequaris, memineris quinque modis vocem illam scriptam reperiri, שילה, שלה, שי לה, שלו, שילו (*c*); nulla tamen a punctis vocalibus discrepantia inter haec hactenus reperta est.

(*a*) Vid. L. I. nn. 178. 182. 183.

(*b*) Sanhedrin babyl. c. Chelek f.° 98, 2.

(*c*) Vid. *De Rossi* VV. LL. App.

31. Itaque non pauci sentiunt vocabulum illud esse simplex nomen, inque tres abeunt sententias. Quibusdam est urbs Silo in regionibus Ephraimitarum sita, quae videtur fuisse veluti terminus itinerum populi (*a*); hinc vaticinii sensus foret, ut illis placet, Iudae tribum in castra metando (*b*) inque itinere ipso (*c*) veluti ceterarum antesignanum praeituram. De qua interpretatione recte haec scripsit Rosenmüllerus: *Habebit tamen tale votum, quo Iudae principatum et ducis dignitatem ad illud tantum temporis spatium restringitur, quod Palaestinae occupationem praecedit, languidi quid et paene frigidi (d).* Alii vero nomen istud derivatum dicunt a שָׁלָה *tranquillus fuit*, aiuntque esse ea forma, qua sunt צִינֹק *carcer*, קִיטֹר *fumus*, קִימּוֹשׂ *urtica*, significare autem *tranquillum* aut *tranquillitatem*, sed neutrum pro ratione grammatica, quum nomina ea forma neque adiectiva sint, neque ex verbis, quorum ultima litera est ה, originem ducant; posset tamen tale nomen ex ea radice ortum esse, atque alterutrum illorum significare, si esset forma שלה aut שלו aliisque punctis vocalibus instrueretur. Denique etiam Hieronymus hanc vocem simplex nomen esse credidit eam vertens *qui mittendus est*; id tamen similitudini literarum ה et ח debetur, ut vel ipse legerit שִׁלֹּחַ pro שִׁלֹה (*e*), vel eius codex sic habuerit, quo cum tamen neque ullus codicum ceterorum, neque ulla alia ex bibliorum interpretationibus, consentit. De *Scilo* in *Salomonem* transformato, qualem exhibent aliquot codices Abu Saidi, qui saeculo decimo tertio pentateuchum Samaritanorum arabice vertit, non est, cur solliciti simus.

32. Nil nisi pronomina in hac voce alii agnoscunt, eamque compositam putant ex pronomine relativo שֶׁ et ex demonstrativo לֹה, quod idem esset ac לוֹ *ei*, sicut paullo post legitur עִירֹה et סוּתֹה pro עִירוֹ *pullum eius* et סוּתוֹ *tegumentum eius* (*f*), ut integra vox sonet idem ac אֲשֶׁר לוֹ. Quare, non שִׁילֹה, sed שֶׁלֹּה scri-

---

(*a*) Ios. XVIII, 1.
(*b*) Num. II, 3-9.
(*c*) Ib. X, 13. 14 coll. 5 et II, 3.
(*d*) Schol. in h. l.
(*e*) Conf. Io. IX, 7 et Is. VIII, 6.
(*f*) Gen. XLIX, 11. Vid. etiam Ex. XXII, 26; XXXII, 17; Lev. XXIII, 13; Num. X, 36.

ptum a Moyse fuisse oporteret. Neque enim accipere possumus, quod quidam docent, literam י adhibitam esse loco puncti daghesch literae ל infigendi, quum id non contingat, nisi ubi vocalis chirek est ante illud י; sunt videlicet quaedam vocabula, quae loco chirek parvi et daghesch fortis habent chirek magnum. Quare duae quaestiones hic habendae sunt, quarum posterior a priore dependet; altera de scriptione huius vocis, utrum sit שִׁילֹה an שֶׁלֹּה, altera de eius significatione, an, eo posito, quod שֶׁלֹּה scribendum sit, idem valeat ac אֲשֶׁר לוֹ.

33. Plurimas et gravissimas auctoritates protulit Io. Bernardus de Rossi (*a*), quibus scriptio שלה defendi videtur, iisdemque atque aliis praeterea rationibus pro hac eadem scriptione acriter pugnavit Io. Iahn (*b*) contendens שלה, non vero שילה, legisse, quotquot ante saeculum XI floruere, ne dum alios multos sequioris aetatis. Attamen ex omnibus, quae uterque pro ea scriptione congessit, non omnia aeque dubitatione vacant. Hanc vocem שלה exhibent quadraginta ferme bibliorum hebraicorum exemplaria manu scripta, quorum nullum saeculo XII vetustius certo dici potest, unicum vero typis impressum, id est, biblia polyglotta, quae sub Vatabli nomine feruntur (*c*), itemque exemplaria omnia samaritana tum pentateuchi tum huius interpretationis. Hebraici autem codices, quotquot saeculo XII vetustiores sunt, literam י retinent, ac talis est masorae orthographia. Ex interpretibus שלה aut שלו legisse putandi sunt Onkelos, hierosolymitanus, syrus, Saadias, Abu Saidus, huiusque correctores. Ita etiam, id est, שלה scripta ea vox est in Concordantiis Nathanis, in duobus codicibus Commentariorum Salomonis Iarchi, et in lexico Davidis de Pomis. Imo, quantum coniicere est ex ratione, qua vox ista exponitur a Iarchio et a Tanchuma, quaque in Berescith rabba eam exponi testatur Salomon Ben Melech, hosce scriptores שלה aut שלו legisse constaret, nisi eorum exemplaria typis edita rem in dubium revocarent, quum nequaquam שלה habeant aut שלו sed exemplaria Iarchi שילה constanter retineant, exemplaria vero

(*a*) VV. LL. Append. 179-187.

(*b*) Append. hermeneut. Fasc. II. p.

(*c*) An. 1586.

Tanchumae et Berescith rabba fluctuent veluti inter שילה et שילו. In Midrasch Echa rabbathi (*a*) et in Matthenoth chehunna (*b*) expressis verbis traditur scribendum esse שלה. Quod attinet ad talmudem babylonicum (*c*), in quo Io. Bernardus de Rossi et Iahn Cocceium (*d*) sequuti tradunt legi שלה, ex undecim eius exemplaribus, quae typis impressa sunt, quinque, quae inspicere potui, id est, venetum, quod omnium primum est (*e*), basileense (*f*), cracoviense (*g*), amstelodamense (*h*), et francofurtense omnium postremum (*i*), itemque exemplar Sanhedrin editum ab Ugolino (*k*), non שלה, sed שילה scriptum praeferunt. Graecos denique interpretes bibliorum favere voci שלה, ut uterque ille scribit, mox falsum esse deprehendemus; quare neque Iustinus (*l*) neque Epiphanius (*m*), quos etiam testes appellant, voci illi favere dicendi sunt, utpote qui Alexandrinorum aut Aquilae interpretationem sequuntur. Atque haec quidem de vocabuli scriptione.

34. De eius vero significatione, qua idem ac אשר לו valere creditur, dicendum superest. Attendas autem cum primis, non omnes, quos vocem hanc sine י legisse constat, constare simul in illum sensum eam accepisse; imo ex his interpres samaritanus et Abu Saidus (*n*), qui vocem hebraicam, non verterunt, sed retinuerunt propriis gentis suae literis descriptam, hoc ipso putandi sunt eam non accepisse in sensum illum. Qui vero sic eam certo acceperunt, sunt Onkelos, interpretes hierosolymitanus et syrus, Saadias, correctores Abu Saidi, auctor commentarii Berescith rabba, prout refert Salomon Ben Melech, Tanchuma, si tamen germana sunt, quae eius nomine inscribuntur (*o*),

(*a*) Venet. 1545 f.° 58, 3.

(*b*) Ap. *Norzi* in Minchath schai ad Gen. XLIX, 10.

(*c*) Sanhedr. c. Chelek f.° 98 v.°

(*d*) Duo tituli thalmud. Sanhedr. et Maccoth p. 359.

(*e*) An. 1520 - 1523

(*f*) An. 1578 - 1580.

(*g*) An. 1602 - 1605.

(*h*) An. 1644 - 1647.

(*i*) An. 1714 - 1722.

(*k*) Antiq. sacr. T. XXV. p. 969.

(*l*) Dial. cum Tryph. §§. 52. 120.

(*m*) Haer. XX. §. 1.

(*n*) Vid. *De Sacy* Mém. sur. la vers. arabe des livres de Moïse 1809. p. 40. T. IV des Mémoir. de l'Acad. des inscr. et de belles-lettres, et ap. *Iahn* l. c. p. 180.

(*o*) Vid. *De Rossi* Dizionario storico degli autori ebrei.

Salomon Iarchi, et auctor cuiusdam lexici inediti, in quo voces bibliorum secundum librorum ordinem explicantur (*a*). Graecos vero interpretes, quos Io. Bernardus de Rossi et Iahn inter praedictos adnumerant, inde demendos putamus. Hi enim vocabulum, de quo agimus, verterunt τα ἀποκειμενα αὐτῷ vel ᾧ ἀποκειται. At, si vocabulum illud putassent idem significare ac אשר לו, non levem quaestionem haberet, cur verbo ἀποκεισθαι fuerint usi, idque diversi interpretes, alexandrini, inquam, Aquila, Symmachus, Theodotio, praesertim quum alias dictionem אשר לו, sicut etiam huius similes, reddiderint vel solis pronominibus, vel ad summum inserto verbo substantivo ad ellipsin supplendam (*b*). Contra vero in voce שילה, siquidem aliud ea sit quam mera pronomina, est, unde illud ἀποκεισθαι peteretur, ut mox videbimus (37).

35. Si tamen שלה idem esse velis ac אשר לו, sensus huius incisi alius esse nequit nisi hic : *donec veniat* is, qui ei, non autem *is*, *cui*. Nam אשר vel est pronomen relativum, vel coniunctiva particula, vel, ut recte animadvertit Gesenius (*c*), *eo saepe utuntur Hebraei solum tamquam signo relationis, quod substantivis, adverbiis, et pronominibus, relativam significationem indit, eaque ex demonstrativis relativa facit (d)*; quodnam autem horum sit in aliqua sententia, series orationis definit, ac docet. Postremum tamen, quod hic fieri oporteret, ut שלה vertere possis *cui*, tunc solummodo fit, quum extra sententiam, a qua dictio ex signo relationis et adverbio aut pronomine conflata dependet, alia pars orationis est, qua cum dictio haec construatur, aliamque priore sententiam ambae simul efficiant. Exempli caussa sint illa deuteronomii : *Quae gens (est tam) magna,* אשר לו cui *Deus (sit) propinquus, . . . quae gens (est tam) magna,* אשר לו cui *statuta (sint) et iudicia iusta (e)*: *Omne,* אשר לו cui *pinnula (est) et squama, manducabitis (f)* : *Et stabunt duo viri*, אֲשֶׁר לָהֶם quibus *lis*

(*a*) Inter codices *De Rossi* n.° 637.

(*b*) Vid. Gen. XXV, 5; XXXIX, 6; Ex. XXXVIII, 30; XL, 9; Lev. XXVII, 24; Deut. IV, 7. 8; XIV, 9; XIX, 17.

(*c*) Lehrgeb. §. 197, 1.

(*d*) Vid. ex. gr. Lev. et Deut. ll. cc.

(*e*) Deut. IV, 7. 8.

(*f*) Ib. XIV, 9.

(est), coram Domino (a). Item illud levitici: *Redibit ager . . .* לַאֲשֶׁר לוֹ , id est, לָאִישׁ אֲשֶׁר לוֹ EI, CUI *(est) possessio terrae (b).* Denique illud Ezechielis: *Donec veniat ,* אשר לו CUI *(est) iudicium (c).* Quod si Onkelos et interpres hierosolymitanus vocem שילה verterunt: *Messias ,* דְּדִילֵיהּ CUI *est regnum,* ideo fecerunt, quia, ut patet, putabant deesse κατ' ἔλλειψιν nomen *regnum*, quod additum ab ipsis est; quare haec eorum interpretatio comprobat ea, quae affirmamus. Quum vero non adest ea pars orationis, qualem diximus, אשר est pronomen relativum, numquam vero merum relationis signum. Exempli caussa: *Et dedit Abraham omne,* אשר לו QUOD *(erat)* EI, *Isaaco (d): Cum craticula aeris,* אשר לו QUAE *(est)* EI, hoc est, *sua (e): Homines,* אֲשֶׁר אִתּוֹ QUI *(erant)* CUM EO *(f)*. Idem autem dicas de ש, quod pro אשר usurpatur; exempli caussa: *Vineam meam,* שֶׁלִּי QUAE MIHI *(erat), non custodivi (g): Vinea mea,* שֶׁלִּי QUAE MIHI *(est), coram me (h): Lectulum eius,* שֶׁלִּשְׁלֹמֹה QUI SALOMONI *(est), sexaginta fortes circumstant (i): Scio ego, quoniam* בְּשֶׁלִּי , id est, בַּמֶּה־שֶּׁלִּי *in eo,* QUOD MIHI, mei caussa, *tempestas magna ista contra vos (k): Quis* מִשֶּׁלָּנוּ , id est, מֵאֲנָשִׁים שֶׁלָּנוּ *de hominibus ,* QUI NOBIS *(sunt), ad regem Israelis (ivit) (l)?* Plurima alia proferri possent, in quibus loco praepositionis ל alia est praepositio; sed, quae attulimus, plus quam satis sunt significationi, de qua quaestio est, comprobandae.

36. Huic tamen alteri opinioni de voce *Scilo* opponi solet, ש loco אשר numquam alias a Moyse adhibitum esse. Neque id diluit Iahn respondens *plures esse huius generis voces*, quae semel dumtaxat leguntur in pentateucho. Aliud quippe sunt nomina aut verba, quae nequeunt usurpari, nisi quum de re, quam significant,

---

(a) Ib. XIX, 17.
(b) Lev. XXVII, 24.
(c) Ez. XXI, 27 al. 32.
(d) Gen. XXV, 5. Vid. et XXXIX, 6; Ex. XL, 9; etc.
(e) Ex. XXXVIII, 30.
(f) I Sam. XXII, 6.
(g) Cant. I, 6.
(h) Ib. VIII, 12.
(i) Ib. III, 7.
(k) Ion. I, 12.
(l) IV Reg. VI, 11.

loqnendum est, aliud vero pronomina, quorum usus, sicut et dictionum, quae ex iis conflantur, est frequentissimus. Potius est, quod ait, non Moysem haec loqui, sed Iacobum, huiusque verba a Moyse referri. Neque sane inauditum erat pronomen illud in prisco Hebraeorum sermone, etsi non admodum usitatum; bis enim legitur in libro Iudicum, qui profecto ex vetustioribus libris est (*a*). Imo, quum plerumque in poetico sermone reperiatur, poetica vox primitus fuisse non sine ratione creditur, adeoque erat ei locus in vaticinio Iacobi. Denique forte etiam alias hoc eodem pronomine Moyses usus est (*b*).

37. Superest tertia opinio, quae est putantium *Scilo* ex nomine et pronomine esse compositum, etsi de ipsa nominis significatione inter eos non conveniat. Sunt enim, qui nomen hoc interpretantur *filium eius*, hosque inter Pseudoionathan, Kimchius (*c*), Moyses Nachmanides, Bechaius, Isaac Arama. Eius vero etymon quidam repetunt a שָׁלַל, unde est syrochaldaicum שְׁלִיל *ἔμβρυον fetus in utero adhuc clausus* (*d*), hisque adnumerandi videntur Pseudoionathan et Arama; alii vero, ut Kimchius et Bechaius, a שָׁלָה, unde est שִׁלְיָה *secundae*, hoc est, membrana, qua fetus in utero involvitur, quasi praenuntiaret Iacob Messiam *absque patre nasciturum*, ut animadvertit Galatinus (*e*), quin et ipsi radici שלה etiam *parere* notionem subesse quidam putant, teste Aben Ezra (*f*), secundum quam interpretantur illud: לֹא תַשְׁלֶה אוֹתִי *non facies parere me* (*g*). Sunt autem alii, qui legunt שַׁי לֹה *munus ipsi*. Quae legendi ratio antiquitate sua commendatur; etsi enim unicus bibliorum codex sit (*h*), qui, si literas solas, non vero puncta vocalia, attendas, eam exhibeat, nec prorsus indubitate, exhibebant tamen vetusti medrascim et commentaria Iudaeorum, ut Iarchius et Bechaius testantur. Quin et graecos interpretes ita legisse equidem crederem. Etenim non modo ratio, qua vocem שילה sunt interpretati, minus verisimile esse probat eos hanc pro אשר לו *qui*

(*a*) Indic. V, 7; VI, 17.

(*b*) Gen. VI, 3.

(*c*) Lib. radicum.

(*d*) Vid. *Aben Ezra* in h. l.; Targum *Ionath.* Deut. XIV, 7; Eccl. VI, 3; Zebachim f.° 35; *Iarchi* in Levit. XI, 3.

(*e*) De arcanis cathol. verit. L. IV. c. 4.

(*f*) In h. l.

(*g*) IV Reg. IV, 28.

(*h*) Cod. 262 apud *De Rossi*.

ei habuisse (34), sed insuper verbo ἀποκεισθαι, quod usurparunt, et nomini שי est, quo unum alteri respondeat. Etenim Budaeus eumque sequutus Henricus Stephanus το ἀποκειμενον auctoritate Xenophontis significare quoque docent *destinatum*, *pro aliquo positum*, *quasi dicas attributum*, atque in hunc sensum Paulus verbo illo ter usus est (*a*). Nomen autem שי, non munus quodcumque, sed, quod aliqua ratione debitum alicui est, significare videtur; ter quippe in scripturis usurpatur (*b*), sed ad ea nominanda, quae Deo offerenda erant obseqnii et cultus ergo, imo semel munera ita nominata cum votis Deo reddendis per parallelismum poeticum coniunguntur (*c*), sicut e contrario Paulus ait: *In reliquo* ἀποκειται REPOSITA EST *mihi corona iustitiae*, *quam* REDDET *mihi Dominus in illa die* IUSTUS IUDEX (*d*). Porro hanc notionem nominis שי confirmare fortasse poteris argumento petito ex affinitate similique significatione radicum imperfectarum, ut sunt inusitatum שיה, unde שי ortum est, et נָשָׁה, unde נְשִׁי et מַשָּׁה *debitum*. Neque opponas pro שי, non ἀποκειμενα, sed δωρα redditum alias esse ab interpretibus graecis; alii quippe sunt, qui pentateuchum, alii, qui ceteras bibliorum partes graece verterunt. Faceret denique ad hanc vocis שילה explanationem coniectura Prudentii Marani (*e*) putantis veterem interpretem latinum pro voce hac, non *cuius est*, sed *cui ius est* scripsisse, at obest, quod interpres ille graeca verterit, quare scriptio ista ostenderet solummodo sensum, quem ille subesse putavit verbis ᾧ ἀπόκειται; attamen quod sensus iste his verbis subesse revera possit, non est, cur negemus, quum alius eo non sit, in quem verbum ἀποκειται a Paulo usurpari vidimus.

38. Si quis autem nomen *Scilo* ex diversis simul etymis compositum ac veluti conflatum esse doceat, inque illas simul omnes notiones, quae subesse ei possunt, a Iacobo seu verius a Spiritu sancto acceptum, ut uno verbo plures Christi proprietates simul prae-

---

(*a*) Coloss. I, 5; II Tim. IV, 8; Hebr. IX, 27.

(*b*) Ps. LXVIII, 30; LXXVI, 12; Is. XVIII, 7.

(*c*) Ps. LXXVI, 12.

(*d*) II Tim. IV, 8.

(*e*) In not. ad *Iustini* Apolog. I. §. 32.

nuntiarentur, non reluctabor, quominus faciat, quandoquidem et aliae huiusmodi voces in scripturis usurpatae reperiuntur (*a*). De diversis Graecorum interpretamentis, lege, quae Cotelerius adnotavit in Constitutionibus apostolicis (*b*).

§. IX

וְלוֹ *et ei.*

39. Particula וְ *et* docet voces quoque *ei aggregatio* sive *obedientia populorum* connexas esse cum vocibus *donec veniat* (*c*). Quaeritur autem, utrum pronomen לוֹ *ei* ad Iudam pertineat an ad *Scilo*. A graecis interpretibus pro ולו redditum est *και αὐτος*, quod non alium quam Iudam designare potuit iis, qui שילה verterunt *τα ἀποκειμενα αὐτῷ*; qui autem verterunt *ᾧ ἀποκειται*, iis pronomen *αὐτος* de alterutro aeque potuit dictum esse, de Iuda aut de *Scilo*. Ceterum ipsa sententia *donec veniat . . . ei aggregatio* sive *obedientia populorum*, etsi non obstet omnino, quominus vox לו ad Iudam pertinere possit, in quantum Christus Iudae filius futurus erat, suadere tamen videtur ad illum hanc vocem referre, qui vocabulo שילה designatur; idque multo certius, si seiunctum legatur שי לה, quum לה idem valeat ac *Iudae*, proinde supervacaneum omnino sit nec consonum naturae loquutionis hebraicae eamdem ipsam vocem continuo repetere, quae pariter *Iudae* significet.

§. X

יִקְּהַת *obedientia.*

40. Triplici modo nomen יִקְּהַת expressum ab interpretibus est. Alexandrinis enim, syro, utrique latino veteri et vulgato, utque vi-

---

(*a*) Vid. L. I. n. 82.
(*b*) Lib. VI. c. 12.
(*c*) Conf. Is. XLIX, 18.

detur, etiam Pseudoionathani, *exspectationem* nomen hoc significabat; Aquilae, samaritano, Saadiae, Abusaido, veteribus rabbinis in libris medrascim, et Salomoni Iarchio, *aggregationem*; Onkeloso denique, hierosolymitano, Kimchio, et Aben Ezrae, *obedientiam* aut *obsequium*. Quae postrema interpretatio ceteris praestat. Neque enim יקהת etymon habere potest a קָוָה, cui et *exspectare* et *congregare* notio subest; neque commodius a קָהָה, unde talmudicum קְהִיָּה *congregatio*. Contra vero apprime respondet arabico وَقَهَ *obedivit*, unde illud ortum dicit Ionas Ben Ganach, eumque sequutus Kimchius, itemque Schultens (*a*), Gesenius (*b*), Winerus (*c*), Rosenmüllerus (*d*), aliique. In Proverbiis autem (*e*), ubi denuo, neque alibi praeterea, nomen istud occurrit, nihil potest nisi *obsequium* atque *obedientiam* significare. Ceterum, *aggregationem* vertas vel *obsequium*, totius oraculi interpretationi aeque bene erit.

§. XI

אֹסְרִי *ligans* aut *sternens*.

41. Altera pars vaticinii inchoatur, quae priori adnectitur per participium אֹסְרִי. Verbum אָסַר proprie *ligare* significat, ubi vero sermo est de iumentis vectariis, idem valet ac latinum *sternere* aut *iungere* (*f*). Construitur autem ab interpretibus quidem alexandrinis cum nomine *Iuda*, si tamen scripserunt τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, sin vero ᾧ ἀπόκειται, dubia erit constructio (39); a vulgato autem construitur cum eo, *qui mittendus est*, id est, cum *Scilo*, atque haec altera omnino videtur esse constructio hebraici exemplaris. Nam nullum aliud verbum est, quo cum iungatur participium

(*a*) In Prov. XXX, 17.

(*b*) Thesaur. philolog. crit. ling. hebr. et chald.

(*c*) In lexico manuali.

(*d*) Schol. in h. l.

(*e*) Prov. XXX, 17.

(*f*) Vid. Genes. XLVI, 29; I Sam. VI, 7. 10; III Reg. XVIII, 44; IV Reg. VII, 10; IX, 21; Ier. XLVI, 4.

illud, praeter יבא *veniet*, is vero, qui venturus dicitur, est שילה, quare אסרי esse appositum huic שילה recte affirmatur. Literam י, qua vox haec finitur, quamque exhibent quoque exemplar samaritanum et huius interpretatio, in quibus fortasse est casus regiminis pluralis, autumat Schultens esse pronomen suffixum casu dandi πλεοναστικον, ut est in illo Horatii (*a*): *Quid* MIHI *Celsus agit?* Verum, etsi talis pronominum casu dandi usus sit in lingua hebraica, ubi tamen ei locus est, separata pronomina usurpantur, non autem suffixa (*b*). Tum nemo interpretum pronomen istud agnovit. Quare illud י per paragogen additum verius dixeris, ut saepissime, in dictione praesertim poetica, addi solet participiis et adiectivis statu constructo (*c*). Animadverte Pseudoionathanem et interpretem hierosolymitanum pro hac voce hebraica reddidisse אָסַר, quod in bibliis Waltoni male versum est *ligavit*, est enim participium prorsus ut in exemplari hebraico.

§. XII

לַגֶּפֶן *viti.*

42. Interpres vulgatus vocem לַגֶּפֶן vertit *ad vineam*, atque ita habetur semel apud Augustinum (*d*). Attamen et ipse Hieronymus in Quaestionibus hebraicis, et Augustinus alias (*e*), ac ceteri omnes patres latini, legerunt *ad vitem*, quibus et alii interpretes consonant, demptis chaldaeis, qui totum hoc incisum in alium prorsus sensum παραφραζουσι.

§. XIII

עִירֹה *pullum suum.*

43. Onkelos et interpres samaritanus pro עירה reddiderunt *urbem suam*, non abnuente Hieronymo, qui haec scripsit: *Pro* PULLO *in*

(*a*) Epistol. L. I. ep. 3. v. 15.
(*b*) Vid. *Gesen.* Lehrgeb. §. 195, 4.
(*c*) Vid. *Id.* ib. §. 127, 2.
(*d*) Cont. Faust. L. XII. c. 42.
(*e*) De civ. Dei L. XVI. c. 41.

hebraeo potest legi URBEM SUAM (*a*); alii tamen interpretes omnes, exceptis duobus chaldaeis (42), omnesque patres habent *pullum suum*. Propria autem notio subiecta huic nomini est *pullus asininus*, ut docent alia scripturarum capita (*b*) et institutus cum verbis, quae mox sequuntur, parallelismus. Litera ה est pronomen suffixum pro ו, ideoque masculinum, non autem femininum, ut quidam putarunt (*c*).

§. XIV

וְלַשֹּׂרֵקָה בְּנִי אֲתֹנוֹ *et ad sorek filium asinae suae.*

44. Quaedam generosae vitis species est ea, quam שֹׂרֵקָה Iacob vocavit, et quae etiam שֹׂרֵק (*d*) et שׂוֹרֵק (*e*) nomen habet. Quum huiusmodi nomen aliae linguae praeter arabicam non agnoscant, mirum non est, si arabicum excipias, qui eodem nomine utitur, et chaldaeos (42), qui alia prorsus habent, interpretes reliquos simpliciter *vitem* aut *palmitem* pro eo reddidisse; Hieronymus vero in Quaestionibus hebraicis ipsam vocem *sorek* retinuit, sicut et graecus Isaiae interpres, qui vertit *ἄμπελον σωρηχ vitem sorek (f).*

45. De litera י vocis בְּנִי, quam exhibent etiam exemplar samaritanum lineola superscripta et samaritana interpretatio, in quibus tamen esse potest index regiminis pluralis, diversae sunt sententiae. Unus Hieronymus est inter veteres, qui eam pronomen suffixum putaverit esse, vertens in interpretatione vulgata et in Quaestionibus hebraicis *fili mi*. Leo Iudae idem sensit, sed vocabulum totum casu recto expressit *filius meus*. Abusaidus, Saadias, utque verisimilius videtur, interpres samaritanus, tamquam nomen plurale constructum illud habuerunt, verteruntque *filii* seu *filios asinae suae*, quibus consonant tres ex codicibus Io. Bernardi de Rossi. Chaldaei adhuc vagantur. Patres autem omnes, excepto Hieronymo, cum reliquis omnibus

---

(*a*) Quaestion. hebr. in h. l.

(*b*) Gen. XXXII, 15; Iud. X, 4; XII, 14; Iob. XI, 12; Is. XXX, 6. 24; Zach. IX, 9.

(*c*) La sainte bible *De Vence* in h. l.

(*d*) Is. V, 2.

(*e*) Ier. II, 21.

(*f*) Is. l. c.

interpretibus *filium* seu *pullum* legerunt, qui proinde nullum suffixum pronomen in illa litera vidisse dicendi sunt. Quorum sententiae adstipulantur plurimi recentiores, qui per paragogen illud י additum esse existimant, puta, Caietanus, Drusius (*a*), Vatablus (*b*), Carthwright (*c*), Clericus, Rosenmüllerus, Glassius (*d*), Noldius (*e*), Schroeder (*f*), Iahn (*g*), Winer (*h*). Sed verius fortasse autumat Gesenius (*i*) בני esse nomen forma constructa, prorsus ut אֲבִי *pater* alicuius, אֲחִי *frater* alicuius, inque illo sicut in his tertiam literam radicalem ה resumi conversam tamen in י, ut alias saepissime converti ea solet. Nihilominus nulla ratio est, si veterum auctoritatem seponas, qua refelli possit sententia putantium י esse pronomen, neque aliquid inde capiet detrimenti parallelismus poeticus, sed solum, loco parallelismi rerum ὁμολόγου, erit parallelismus rerum ἀναλόγος (*k*). Itaque, si vocem בני vertas cum Hieronymo *fili mi*, ipse Iudas his compellari dicendus erit, ac manifestius patebit reliqua, quae in hisce versiculis habentur, dicta esse de *Scilo*. Sin autem *filius meus* eam vertere malis, is erit ipse *Scilo*, nam participium אסרי, quod appositum ipsi *Scilo* esse diximus (41), erit simul appositum nomini בני; porro Iacob iure potuit ipsum *Scilo* filium suum appellare, quo simul Messiae originem ex Iuda plenius ediceret.

46. Pro אֲתֹנוֹ *asinae suae* in exemplari samaritano habetur ࠀࠕࠉࠍࠅ inserta litera iod inter aleph et tau. Hinc samaritanus interpres et Ioannes Morinus, qui exemplar illud latine versum primus edidit in bibliis polyglottis parisiensibus, arbitrati sunt vocabulum hoc in eo exemplari sonare *roboris eius*. Non est tamen, cur putetur aliud sonare, quam quod sonat ipsa vox, quae est in exemplari hebraico, proprium enim est dialecti samariticae literam iod vocibus inserere, ut pluribus exemplis demonstrat Gesenius (*l*), prolata etiam auctoritate Abusaidi, qui vertit *asinae suae*.

(*a*) In Crit. sacr. *Pearsonii* ad h. l.
(*b*) Ib.
(*c*) Ib.
(*d*) Philolog. sacr. L. II. Tract. I. c. 9. n.° 2.
(*e*) Concordant. particular. ebraeo-chaldaicar. ad ל n.° 4.
(*f*) Institution. ad fundam. ling. hebr. reg. 167 a.
(*g*) Gramm. hebr. §. 35. n.° 3.
(*h*) Lexic. manual. ad v. בֵּן.
(*i*) Lehrg. §. 143 בֵּן et Thes. phil. crit. ad h. v.
(*k*) Vid. L. I. n.° 178.
(*l*) De pentateucho samar. §. 15.

§. XV

כִּבֵּס בַּיַּיִן לְבֻשׁוֹ וגו' *Lavit in vino vestem suam etc.*

47. Chaldaei interpretes in *vino* metaphoram agnovere, Onkelos enim vertit *purpura*, reliqui duo *in sanguine*. Pro vocibus *in sanguine uvarum* Onkelos, ut videtur, scripsit *tinctura coccini et variorum colorum*, reliqui duo ex chaldaeis interpretibus *calcationi uvarum*, id est, quod calcando ex uvis exprimitur; vinum autem alias etiam *sanguinem uvae* dixerunt scriptores sacri (*a*). Ceterae interpretationes referunt ipsum exemplar hebraicum. In voce סוּתֹה *tegumentnm eius* litera ה est pronomen pro ו; communis autem sententia est סוּת per aphaeresin dictum esse pro כְּסוּת, ut habetur in exemplari samaritico, utque sentiunt inter alios Aben Ezra, Salomon Ben Melech, Rosenmüllerus, Winerus (*b*), et Gesenius (*c*), quamvis nulla alia vox hebraica sit, quae aphaeresin literae כ patiatur.

§. XVI

חַכְלִילִי עֵינַיִם מִיַּיִן וגו' *Suffusus oculos a vino etc.*

48. Apud veteres tum scripturarum interpretes tum patres plurimis ac diversissimis modis vocem חַכְלִילִי expressam invenimus; nostri quoque aevi scriptores in varias abeunt circa eam vocem sententias. Possunt tamen omnia haec ad tria praecipua capita revocari. Aliis enim videtur huius vocis notio esse species ac decor, aliis certus quidam color, aliis caligatio sive suffusio.

49. Prima harum notionum arrisit septuaginta interpretibus, si tamen germana est vox *χαροποιοι gratiosi*, itemque Pseudoionathani, interpreti hierosolymitano, Hieronymo, et Saadiae; eamdemque

(*a*) Deut. XXXII, 14; Eccli. XXXIX, 31 al. 26 graec.; L, 16; I Mach. VI, 34.

(*b*) In Lexico manuali.

(*c*) Thes. philol. crit.

illam tutatur exemplar samariticum, de quo ita Gesenius: *Exemplar samar. scribit* הכלילו, *ut sit Hiph. a radice* כלל perfecit, *quae in specie de* perfecta pulchritudine *usurpatur, cf. Ezech. XXVII, 4. 11, eiusque derivata* כְּלִיל יֹפִי *Ezech. XXVIII,* 12, מִכְלַל־יֹפִי *Ps. L, 2. Male tamen Io. Morinus, pronuntians* הִכְלִילוֹ, *vertit* facit eum gratum oculis prae vino, *nam de Deo tanquam orationis subiecto vix cogites. Legendum potius* הִכְלִילוּ, *ita tamen ut Hiphil, quod amant Samaritani (§. 15), intransitive accipiatur*: perfectiores *i. e. pulchriores* oculi *(eius)* vino *(a).* Hinc suspicio, praedictos interpretes in suis codicibus hebraicis reperisse vocem hanc scriptam, ut est in exemplari samaritano.

50. Secundam notionem praetulisse dicendi sunt iidem ipsi septuaginta interpretes, siquidem, non *χαροποιοι*, sed *χαροποι* scripserint, qua de re lege Flaminium Nobilinm (*b*) et Grabium (*c*); *χαροπος* enim oculorum color est, quare Aristoteles dividit homines, quod ad colorem oculorum gradatim, *γλαυκους*, *χαροπους*, *μελανοφθαλμους*, *αἰγωπους* (*d*), eoque colore ocnli inter pulcritudinis dotes habentur, hinc bubulcus ille Theocriti: *Ὀμματα μοι δ' ἀρ' ἐην χαροπωτερα πολλον Ἀθανας* *Oculi autem mihi erant longe magis χαροποι, quam Minervae (e)*, Lucianus vero hominibus pulcris et fortibus tribuit *χαροπα ἡ μελανα ὀμματα* (*f*). Colorem in ea voce agnoverunt etiam Onkelos, interpres syrus, et samaritanus. Non pauci denique inter recentiores Onkeloso adstipulantur in defendenda vocabuli huius notione, qua *rubrum colorem* significare illud creditur, quos inter censentur David Kimchi (*g*), Salomon Parchon (*h*), David de Pomis (*i*), Salomon Ben Melech (*k*), Leo Modena (*l*), Salomon Iarchi, Caietanus, Munsterus, Drusius, Grotius, Clericus, Io. Henricus Michaelis, Rosenmüllerus (*m*), Glassius (*n*), Schultens (*o*),

---

(*a*) De pental. samar. origine §. 11.

(*b*) In h. l.

(*c*) De vitiis septuaginta interpret. p. 36.

(*d*) De general. animal. L. V. c. 1.

(*e*) Idyll. XX. v. 25.

(*f*) Dialog. Diogen. et Polluc. §. 3 edit. *Hemsterhus.*

(*g*) In Schoraschim.

(*h*) In Mechabberel.

(*i*) In Tsemach David.

(*k*) In Miclal Iophi.

(*l*) In Geluth Iehuda.

(*m*) Omnes in h. l.

(*n*) Philolog. sacr. L. I. Tr. I. can. 1.

(*o*) In Proverb. XXIII, 29.

Schroeder (*a*), Io. Bernardus de Rossi (*b*), Gesenius (*c*), qui tamen sententiam postea mutavit (51).

51. Tertiam denique notionem recentiores aliquot defendunt, hosque inter Winerus (*d*) et Gesenius, qui eam satis firmis argumentis communivit (*e*). Et, siquidem Moyses חכלילי re ipsa scripsit, ut legimus in codicibus hebraicis, non autem הכלילו, ut est in exemplari samaritico, tertia haec notio duabus prioribus omnino praeferenda videtur. In primis enim neque hebraica neque ceterae linguae semiticae quidquam suppeditant, quo alterutra duarum tuta sit; contra vero habet sermo arabicus illius nominis radicem حكل, cuius notio est *obscuritas* et *confusio* (*f*). Deinde ait Salomon eos, *qui commorantur in vino*, pati oculorum חַכְלִלוּת (*g*), quod nomen ex eadem radice prognatum atque חכלילי, ut orationis contextus flagitat, vertendum est *caligatio* sive, ut vertit Hieronymus, *suffusio*. Denique tertiae huic nominis illius notioni antiquitatis suffragium minime desideratur, nam in latina interpretatione, quae superest, disputationis habitae cum Manete ab Archelao Cascharorum episcopo (*h*) ita referuntur haec Iacobi verba: Suffusi *oculi eius a vino.*

52. Superest, ut disquiramus, an a Iacobo comparatio instituatur oculorum cum vino et dentium cum lacte, an potius ille, de quo is loquitur, dicatur חכלילי oculis ob vinum et albus dentibus ob lac; quod vi et significatione praepositionis מִן utrique nomini יַיִן *vinum* et חָלָב *lac* additae est definiendum. Attende tamen comparationem haberi non posse, nisi si vera sit prima aut secunda e tribus opinionibus praedictis (48), non autem tertia. Quaestionis itaque huius summa est, utrum praepositio מן *prae* comparativa sit, an potius caussalis. Discrepant tum interpretes tum patres. Interpretes hierosolymitanus, syrus, et samaritanus, ipsum מן usurparunt. Onkelos praepositionem caussalem eam esse credidit, Saadias comparativam, si-

---

(*a*) Institution. ad fundam. ling. hebr. reg. 93 n.

(*b*) Schol. crit. in h. l.

(*c*) L. c.

(*d*) In Lex. man.

(*e*) Thesaur. philolog. crit. ling. hebr. et chald. ad h. v.

(*f*) Vid. *Gesenius* l. c.

(*g*) Prov. XXIII, 29.

(*h*) Disput. cum Manete § 43.

cut etiam Pseudoionathan, qui etsi מן adhibuerit ante nomen *lac*, comparativum tamen hoc esse comperimus tum ex iis, quae ille subdit, tum quia prius מן ante nomen *vinum* verterit כ *sicut*. Graeci bibliorum codices plerique, hosque inter vaticanus, habent: ὑπὲρ οἶνον, . . . ἢ γάλα super *vinum*, ... quam *lac*; codex tamen alexandrinus aliique nonnulli: ἀπὸ οἴνου, ... ἢ γάλα prae *vino*, . . . quam *lac*. Vulgati interpretis verba utrovis modo exponi possunt. E patribus latinis saeculo vi vetustioribus unus Paulinus Mediolanensis (*a*) est, qui integrum versiculum refert, ut legitur in vulgata bibliorum interpretatione, quod tamen eius exscriptoribus deberi creditur (*b*). Ceteri vero in priore hemistichio habent *a vino*, graeci autem ἀπὸ οἴνου, praeter Cosmam Indicopleusten, qui scripsit ὑπὲρ οἶνον super *vinum* (*c*), et Chrysostomum, apud quem semel legimus ὡς οἶνος ut *vinum* (*d*), attamen et ipse, ubi hoc vaticinium explanat, habet ἀπὸ οἴνου (*e*). In posteriore hemistichio Archelaus (*f*) et Hieronymus (*g*) scripserunt *candidi* a *lacte*, Ambrosius (*h*), Rufinus (*i*), et Augustinus (*k*), *candidiores lacte*, Irenaei interpres (*l*), Cyprianus (*m*), idemque Ambrosius alibi (*n*), omnesque graeci patres, particulas comparativas usurparunt.

53. Haec obiter considerantibus videbitur maxima pars patrum una mente convenire, praepositionem מן in priore membro caussalem habendam esse, in posteriore comparativam. Velim tamen, consideres, ut patres graeci alexandrina bibliorum interpretatione utebantur, ita latinos latinam interpretationem ex ipsa alexandrina expressam adhibuisse, ideoque illud *a vino*, quod apud latinos est, esse ipsum ἀπὸ οἴνου, quod est apud graecos, quodque exhibent graeca bibliorum exemplaria. Quare tota auctoritas, quae huic interpretationi

---

(*a*) De benedictionib. patriarchar. §. 29 inter Veter. patrum latinor. opuscula T. II. P. I.

(*b*) Vid. *Mingarellii* Praef. ad hoc *Paulini* opusc. n.° 12.

(*c*) Christianor. opin. de mundo L. V.

(*d*) In Ps. XLIV. §. 4.

(*e*) In Gen. hom. LXVII. §. 3.

(*f*) Disp. cum Manete §. 43.

(*g*) In Is. LV, 1.

(*h*) De Iacob L. II. c. 9. §. 36 et ep. XLI. §. 11.

(*i*) De benedictionib. patriarchar. L. I. §. 5.

(*k*) De civ. Dei L. XVI. c. 41.

(*l*) Adv. haeres. L. IV. c. 10 al. 23. §. 2.

(*m*) Testimonior. L. I. c. 21.

(*n*) De benedictionib. patriarchar. c. 4 et in Ps CXVIII. serm. XVI. §. 27.

vocis מיין inest, ab una alexandrinorum interpretum auctoritate dependet. Quaeramus ergo, in quem sensum praepositionem illam isti acceperint.

54. Si scripserunt ὑπερ οἴνου, . . . ἢ γαλα, patet eos comparationem in utroque membro haberi putasse. Sin autem, ut eorum verba referunt patres graeci, et codices nonnulli exhibent, scripserunt ἀπο οἴνου, . . . ἢ γαλα, dicendi sunt nihilominus comparationem utraque vocula ἀπο et ἢ in sua interpretatione expressisse. Quum enim ἢ *quam* in altero hemistichio nequeat non esse comparativum, ἀπο autem comparationi instituendae possit usurpari, quandoquidem in dialecto hellenistica talis eius usus incompertus non est (*a*), et ipsum in priore hemistichio comparativum habendum est idem valens ac *prae*, non vero caussale sonans idem ac *a*, ut vetus interpres latinus reddidit, utque legitur apud latinos patres, ne dicantur interpretes illi vel unam eamdemque vocem in unius eiusdemque sententiae contextu positam diversum in sensum accepisse, qualis sensus est in vetere interpretatione latina, vel diversas re ipsa voces in suis codicibus hebraicis reperisse; quorum primum, non modo non patitur parallelismus poeticus tam sancte in toto oraculo observatus, sed ipsa orationis syntaxis videtur omnino respuere, alterum repugnat omnibus vetustissimis monumentis adeoque huic ipsi interpretationi, quam expendimus, quum ἀπο caussale aeque ac ἢ comparativum nequeant recte nisi ex particula מן expressa esse.

55. Haec quidem de interpretibus. Quod autem attinet ad ipsam interpretationem iis assentiendum putamus, qui מן *prae* caussam significare senserunt. Quum enim ex tribus notionibus, quae nomini חכלילי subesse feruntur (48), tertia verior sit, nequit particula illa in primo hemistichio nisi caussalis esse, nullo autem modo comparativa (52); ideoque, et in altero hemistichio caussalis sit, oportet. Quod si malis exemplar samariticum sequi quam hebraicum, et primam illarum notionum praeferre, nihilominus ea particula caussalis habenda potius erit quam comparativa; si enim comparativa foret,

---

(*a*) Vid. ἀπο comparativum pro מן redditum in Gen. III, 14 bis; Cant. V, 9; Ier. III, 11; et apud *Aquilam* Ps. XLIV, 3. 8.

nil versiculus iste praeferret nisi descriptam pulcritudinem eius, de quo loquitur Iacob, in qua descriptione duo oppido frigida offenderemus, tum quod oculi pulcritudine cum vino conferrentur, tum quod tota descriptio in oculis et dentibus sisteret.

ARTICULUS II

De priore vaticinii parte.

56. Verbis et loquutionibus explanatis ad ipsam oraculi interpretationem veniamus, ac primo de priore eius parte dicamus, quae, quantum verba, prout a nobis superius exposita sunt, sonant, sic habet: Posteris Iudae politica tribus conditio simul et ius αὐτονομίαν propriaeque leges non adimentur, antequam et Messias venerit, et huic praestitum sit obsequium populorum.

57. Prima hac vaticinii parte Messiam venturum praenuntiari totius vetustatis anctoritas testatur (30), sed et alia sunt, quae id confirment. Nemo enim negabit inter bona Iudae adventura omnium praecipuum fuisse Christum ex eius stirpe progignendum; num itaque Iacob, qui cetera bona Iudae filio vaticinabatur, hoc unum reticuisset? Deus Iacobo (*a*), aeque ac Abrahamo eius avo (*b*) et Isaaco patri (*c*), Christum ex eius sanguine procreandum praedixerat; ast Abrahamum (*d*) et Isaacum (*e*) docuerat etiam, ex quonam filiorum suorum Christus esset oriturus, ideoque id ipsum Iacobum a Deo similiter edoctum fuisse credere est. Nec sane occasio, qua id praediceretur, opportunior ulla accidere poterat ea, qua hoc vaticinium editum est. Tunc enim Iacobi testamento exordia facta sunt genti illi (12), quae ideo condita est, ut ex ea Christus exsisteret; consentaneum proinde erat adiici, cuinam gentis huius tribui tantus honor maneret, ut Christum foret progenitura. Illud certo constat, Israelitas aetate Davidis compertum habuisse Messiam futurum esse ex tribu Iudae, quare id olim

---

(*a*) Gen. XXVIII, 14.
(*b*) Ib. XII, 3; XVIII, 18; XXII, 18.
(*c*) Ib. XXVI, 4.
(*d*) Ib. XXII, 18 coll. XVII, 16. 21 et XXI, 12.
(*e*) Ib. XXVI, 4 coll. XXV, 23 et Rom. IX, 4-13.

adeoque ante aetatem illam praedictum a Deo esse oportuit; at, nisi in hoc oraculo, nihil tale usquam reperias. Quin, Iudaeos atque ipsum Davidem credidisse praedictionem illam haberi in Iacobi vaticinio, bibliorum capita sunt, quae memoriae prodiderunt, ut alias demonstravimus (*a*). Denique, quod ceterae interpretationes vocis *Scilo* vel ineptiis suis sese ipsae refutent, vel historiae adversentur, vel cum Iacobi proposito totiusque oraculi serie ac contextu componi nequeant, ea vero interpretatio, qua vox illa Messiam designare creditur, nil tale peccet, imo aptissima sit atque opportunissima, haec, inquam, omnia probe perpensa nemini, qui praeiudicatis opinionibus abripi non malit, sententiam nostram non probabunt.

58. Nec modo Messiam adventurum oraculo hoc praedixit Iacob, sed et alia ad illum pertinentia, quae quaedam veluti notae essent, quibus ille dignosceretur. Etenim pronomen suffixum, ut vocant, quod secundum veriorem et vulgatiorem interpretationem est in nomine *Scilo*, prodit futurum, ut ille, quem hoc nomine vocabat Iacob, Messias, inquam, ad Iudam pertineret, id autem non alio sane pacto, quam quod ex Iudae stirpe esset oriturus. Obsequium et obedientia, quae huic a gentibus exhibenda praedicitur, aut, si mavis, quod ad eum gentes omnes congregandae forent, quodve ab his ipse exspectaretur, alia Messiae proprietas est, quam reliquae etiam bibliorum paginae commemorant (*b*). Sed potissimum indicium ad Messiam agnoscendum suggessit Iacob praedicens ea, quae nominibus שבט et מחקק appellavit, non prius sublatum iri, quam advenisset Messias ipse, et huic populi subditi essent. Quidquid enim nominibus illis significari autumes, ubi constet, quae per ea significantur, sublata iam esse, constabit simul Messiam iam advenisse; ex nostra autem interpretatione id factum iam fuisse oportuit, quum, eversis a Tito Hierosolymis et civitate ad internecionem ferme deleta, Iudae posteris politica tribus conditio simul et ius *αὐτονομον* prorsus ademptum est, ut plenius infra declarabimus (*c*). Quare Messias ille alius esse non potest quam Ie-

---

(*a*) Quaest. de evang. Tit. IV, q. 14, n.° 5 edition. lithogr.

(*b*) Vid. quod ad primum Ps. LXXI, 11; Is. II, 3, quod ad secundum Is. II, 2; XI. 10; Mich. IV, 1. 2, quod ad tertium Is. XI, 10 coll. Rom. XV, 12; Agg. II, 8.

(*c*) Art. V.

sus, quum alius non fuerit eo tempore, cui gentes ut Messiae obsequia praestarent, et ceterae Messiae proprietates ac veluti notae inesse deprehenderentur.

59. Tota itaque huius versiculi sententia est fore, ut tribus Iudae, quod attinet ad eius formam politicam, non prius dissolvatur, quam ex ea ortus Messias omnium posterorum Iudae nobilissimus advenerit, utque his iisdem Iudae posteris potestas sese propriis legibus regendi sive ius αὐτονομον non prius adimatur, id est, non prius legibus mosaicis apud eos obtinentibus abrogetur, quam Messias ex Iuda prognatus legibus suis gentes ceteras subiecerit; quasi diceret Iacob, fore, ut Iudae posteritas nobilissimum exitum sortiatur Messia inde exorto, eiusque dominatio meliore atque ampliore dominatione commutetur gentibus omnibus Messiae ipsi subiectis.

60. Oraculo ita explanato, quid opponas, quominus ad Iesum pertinere illud credatur, vix reperias, quum tricis omnibus litibusque sive de sceptro sublato, sive de regno deve dominatu inter Iudaeos abolito, locus interpretatione hac sit praeclusus. Contra vero res indubia est posteris Iudae politicam tribus conditionem (10-13) iusque αὐτονομον (21), quae, quum Iesus ortus est, ipsis adhuc stabant, non prius fuisse prorsus adempta, quam ceterae gentes Iesum cognovissent, eique obsequium praestitissent. Neque difficultas ulla est interpretationi nostrae a captivitatibus, quibus subinde Iudaei pressi fuerunt; etsi enim inde fieret, ut iure illo αὐτονομῳ uti prohiberentur, non ideo tamen ademptum illis erat, sicut nec ego privarer dominio pecuniae, quam fures mihi surriperent. Tum politica tribus conditio nihil ab illis captivitatibus passa est; quare numquam ante aetatem Iesu utraque illa res simul ab Iudae posteris sublata est. Demum, etsi vinceres, quod numquam fiet, nec enim fieri potest, rem utramque ante dictum tempus quandoque desivisse, nihil tamen ex eo conficeres; fuisset quippe temporaria solum cessatio ad aliquot annos, non autem integra ac iugis defectio, qualem eam fuisse comperimus, quae iam undeviginti saecula aetatis numerat.

ARTICULUS III

De posteriore oraculi parte.

61. Alteram vaticinii partem, quae versibus undecimo et duodecimo continetur, aeque ac priorem de Christo dictam esse defendimus. Sic enim sensit tota vetustas tum iudaica tum christiana. Nam Pseudoionathan et interpres hierosolymitanus expresse versiculos illos enarrant tamquam dictos de Messia. Onkelos autem etsi Messiam non nominet, de Messia tamen, quem prius nominaverat, eum his versiculis agere credere suadent tum rerum, quas describit, magnificentia, tum orationis series et contextus. Ex Christianis autem veteribus ne unum quidem reperias, qui haec Iacobi verba referens ea Christum sonare non aperte pronuntiet. Ne longum nominum ordinem percenseamus, satis sit vetustissimos appellare, Iustinum (*a*), Irenaeum (*b*), Tertullianum (*c*), Clementem Alexandrinum (*d*), Origenem (*e*), Hippolytum (*f*), Novatianum (*g*), Cyprianum (*h*), Archelaum (*i*). Origenes quidem de illis verbis: *Lavabit in vino stolam suam etc.*, sic scribit: *Videbuntur et haec* QUANTUM AD HISTORICAM EXPOSITIONEM *agrum fertilem vite,* ὑπερβαλλόντως *vini abundantiam, significare (k).* At ipsum verbum *videbuntur* prodit eum secus sentire, idque continuo aperit sic scribere pergens: *Sed nobiliorem sensum mystica producit expositio nostra etc.*, illamque *historicam expositionem* paulo post omnino explodit (*l*); negat insuper alia illa verba: *Ligans ad vineam pullum suum etc.*, quae prius, illaque: *Pulchriores sunt oculi eius vino etc.*, quae postea leguntur, de

(*a*) Apol. I. §§. 32. 54; Dialog. cum Tryph. §§. 52-54.
(*b*) Haer. L. IV. c. 10 al. 23. §. 2.
(*c*) Adv. Marcion. L. IV. c. 40.
(*d*) Paedag. L. I. cc. 5. 6 sub fin.
(*e*) In Genes. hom. XVII. §§. 7-9.
(*f*) Demonstrat. de Christo et Antichr. §§. 7-13 et in Fragment. apud *Gallandum* Biblioth. patrum T. II. p. 479.
(*g*) De Trinit. c. 21 al. 16.
(*h*) Testimonior. L. I. c. 21; Ad Caecil. ep. 63 al. Lib. II. ep. 3.
(*i*) Disput. cum Manete §. 43.
(*k*) L. c. §. 8.
(*l*) Ib. §. 9.

alio quam de Christo esse prolata. Attendas porro Origeni sensum *historicum* et *mysticum* non eumdem esse ac *literalem* et *spiritalem*, sed eumdem ac *proprium* et *translatum* (*a*). Ambrosius antem postrema verba: *Pulchriores sunt oculi eius vino etc.*, ait dicta esse *secundum litteram quidem de patriarcha Iuda, spiritaliter autem de Christo* (*b*), sed in libro de Benedictionibus patriarcharum tum haec tum priora simpliciter et absolute interpretatur tamquam dicta de Christo. Iis, qui sententiam nostram tuentur, adnumeranda est vulgata bibliorum interpretatio, in qua verborum syntaxis aliam sententiam non patitur. Interpretes ceteri saltem nobis non adversantur, demptis alexandrinis, qui tamen si vocem שילה, non τα ἀποκειμενα αὐτῳ, sed ῳ ἀποκειται verterunt, etiam ipsorum interpretatio, non secus ac ceterorum, cum nostra sententia consonare potest.

62. Sed hanc eamdem confirmat etiam syntaxis exemplaris hebraici. Quaecumque enim duobus hisce versiculis continentur, manifestum est de eo dicta esse, ad quem pertinet participium אסרי *ligans, sternens*, nihil vero aliud exhibet orationis series, quo cum commodius participium istud construatur, quam ipsum nomen שילה (41); totum autem id certum omnino fiet, si vox בני vertatur *fili mi*, sicut eam vertit Hieronymus (45).

63. Sane, si haec verba de Iuda dicta essent, nihil aliud significarent, nisi fertilitatem regionis, quae tribui Iudae erat obventura. Verum regio ista ceterarum tribuum regionibus nullo fertilitatis nomine antecellebat; cuius rei, praeter testimonium sacrorum scriptorum, qui Palaestinae universae aequo modo laudem hanc saepe tribuunt, testem quoque habemus Flavium Iosephum (*c*). Quare non erat, cur Iacobus, qui filios postremo alloquens *benedixit . . . singulis benedictionibus propriis* (*d*), nec quidquam sermone attigerat de fertilitate regionum, quas ceterae tribus possessurae erant, id tamen faceret, ubi de terris Iudae loquebatur, veluti si fertilitas illa quid earum proprium ac peculiare foret.

64. Hoc itaque positum sit, etiam in versibus undecimo et duodecimo sermonem esse de Christo. Quum autem hoc posito pateat ea,

(*a*) Vid. L. I. n.° 23.
(*b*) In Ps. CXVIII. serm. XVI. §. 27.
(*c*) De bello iud. L. III. c. 3. §§. 2-4; c. 10. §. 8; L. IV. c. 8. §§. 2. 3.
(*d*) Gen. XLIX, 28.

quae versibus his continentur, esse translata, quaerendum superest, quaenam sit harum translationum significatio. Equidem autumo prima illa verba: *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam,* contexta esse in una eademque sententia cum verbo *veniet,* iisque ipsum adventum Christi describi; illa vero: *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum,* Christum sanguine suo humanum genus redimentem sonare; denique postremis illis: *Pulchriores sunt oculi eius vino, et dentes eius lacte candidiores,* Christi decora gloriamque ipsi ex passione sua suaque doctrina obventuram perstringi.

65. Quod priora verba: *Ligans ad vitem etc.,* constructa esse oporteat cum verbo *veniet,* iam demonstravimus (41. 62). Ex quo necessario alterum sequitur, describi, inquam, his verbis ipsum Christi adventum, qui praedicitur. Quinam autem adventus iste fuerit, paulo inferius disquiremus (*a*).

66. Quod attinet ad illa: *Lavabit in vino etc.,* quamvis patres discrepent in explicandis singulis vocibus, quid significet *vinum, stola, sanguis uvae, pallium,* in hoc tamen ad unum consentiunt, quod istud hemistichium exhibeat opera Christi *redemptoris,* ea videlicet, quae sanguinis sui suaeque vitae impendio hominum generi erat praestiturus. Nimirum, quum etiam hae metaphorae Christum designent (61), nullam prae hac commodam interpretationem patiuntur. *Vinum* quippe et *sanguis uvae* quid sonet nisi sanguinem ipsius Christi, qui *botrus* alias appellatur (*b*), et *vitis* a Iacobo in priore hemistichio vocatus est, et se *vitem* esse ipse pronuntiavit (*c*)? *Stola* autem et *pallium* quid potius significent, quam vel humanam naturam, qua Verbum divinum indutum veluti est, prout haec interpretantur Tertullianus, Hippolytus, Novatianus, Ambrosius (*d*), Chrysostomus (*e*), Gaudentius Brixiensis (*f*), Paulinus Mediolanensis (*g*), Theodoretus (*h*), Cyrillus Alexandrinus (*i*), Isidorus Hispalensis (*k*),

(*a*) Art. IV.
(*b*) Cant. I, 13.
(*c*) Io. XV, 1. 5.
(*d*) De Ioseph patriarcha c. 3. §. 13; De benedictionib. patriarchar. c. 4. §. 24.
(*e*) In Gen. hom. LXVII. §. 3.
(*f*) Tract. II.
(*g*) De benedictionib. patriarchar. c. 3. §. 28.
(*h*) In Genes. q. CX.
(*i*) Glaphyror. L. VII. in h. l.
(*k*) Comment in Genes. ad h. l.

Photius (*a*), vel ecclesiam gentesque in eam conventuras, ut, praeter praedictos Hippolytum, Ambrosium, et Isidorum, eadem haec interpretantur Iustinus, Origenes, Rufinus (*b*), Augustinus (*c*), et, ut videtur, etiam Athanasius (*d*); quam posteriorem interpretationem cum aliquibus horum patrum illustrare apprime poteris illo Isaiae vaticinio: *Leva in circuitu oculos tuos, et vide. Omnes isti* congregati *sunt*, venerunt tibi . . . *Omnibus* his *velut ornamento* vestieris, *et* circumdabis tibi eos *quasi sponsa (e).* Toti autem huic hemistichio exponendo facit aliud ipsius Isaiae oraculum, quod sic est *(f): Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua . . . Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* atque illud apocalypseos: *Et vestitus erat veste aspersa sanguine; et vocatur nomen eius Verbum Dei (g).*

67. Denique postrema verba, quae sic in vulgata interpretatione bibliorum leguntur: *Pulchriores sunt oculi eius vino, et dentes eius lacte candidiores,* subobscuras profecto metaphoras exhibent, inque iis explicandis veteres diversi omnino abeunt; quae tamen veterum discrepantia magnam partem ex eo repetenda est, quod horum alii in neutro illius periodi membro, alii in altero tantum, alii denique in utroque, particulam מן *prae* comparativam esse putaverint. (52). Si tamen, ut verius esse videtur (55), particula haec, non comparativa, sed caussalis utrobique sit, atque hebraica sic vertas: *Suffusus oculos a vino, albus dentibus a lacte* (48-55), satis aptam harum metaphorarum interpretationem non reperirem nisi eam, quam subdo. Illa: *Suffusus oculos a vino,* translata sunt ex effectu vini largius epoti (48. 51), *quod hoc loco in bonam partem accipiendum* esse recte Gesenius iam monuit (*h*), etsi alia ratione, ac nos facimus, ea verba interpretetur. Vinum autem vinique potionem in scripturis sacris transfer-

---

(*a*) Ad Amphiloch. q. CCLX. §. 4.

(*b*) De benedictionib. patriarchar. L. I. §. 5.

(*c*) Cont. Faust. L. XII. c. 42; De civ. Dei L. XVI. c. 41.

(*d*) Serm. maior. de fide §. 36 ap. *Galland.* Biblioth. vet. patr. T. V.

(*e*) Is. XLIX, 18.

(*f*) Id. LXIII, 1. 2.

(*g*) Apoc. XIX, 13.

(*h*) Thes. philol. crit. ling. hebr. et chald. ad voc חכלילי.

ri ad Christi sanguinem passionemque designandam comperimus tum ex hoc ipso Iacobi vaticinio (66), tum ex aliquot Christi sermonibus (*a*). Sicut itaque vinum laetiorem hominem facit ac veluti beatiorem, idque oculis potissimum proditur, ita metaphora illa significare videtur laetitiam et gloriam, quam Christus ex passione sua percepturus erat; ipse nempe ita loquebatur (*b*): *Nonne haec oportuit* PATI *Christum, et* ITA *intrare in* GLORIAM *suam?* Atque huic interpretationi suffragium suum addiderunt Diodorus Tarsensis (*c*), Chrysostomus, Theodoretus, Cyrillus Alexandrinus, Photius (*d*), et Cosmas Indicopleustes (*e*). Neque audaciorem metaphoram pavebit, qui recolat illud psaltae: *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino (f).* In altero autem hemistichio, quod nos reddidimus: *Albus dentibus a lacte,* de Christi doctrina agi patres omnes consentiunt, etsi dissentiant circa rei totius adiuncta. Quidam enim autumant comparationem institui inter veteris et novi foederis doctrinas, ac posterioris prae priore excellentiam edici, interpretationem enim illam sectantur, qua hebraicum מִן *a*, *prae* tamquam comparativum redditum est; hi autem sunt Paulinus Mediolanensis et Isidorus Hispalensis. Ceteri tamen, Origenes, inquam, Hippolytus, Ephraemus (*g*), Ambrosius, Chrysostomus, Rufinus, Augustinus, Theodoretus, Cyrillus Alexandrinus, Photius, quamquam diversa ratione, omnes tamen haec exponunt, ut quibus doctrinae Christi praestantia simpliciter enarretur. Metaphorae vero modus ac ratio satis claret.

ARTICULUS IV

De ipso Christi adventu his verbis praenuntiato.

68. Christum venturum hoc Iacobi vaticinio praenuntiatum esse iam probavimus (*h*). Sunt tamen, eaque non levia, quae credere sua-

---

(*a*) Matth. XX, 22; XXVI, 39; Io. XVIII, 11.
(*b*) Luc. XXIV, 26.
(*c*) In h. l.
(*d*) Omnes ll. cc.
(*e*) Christianor. opin. de mundo L. V.
(*f*) Ps. LXXVII, 65.
(*g*) In h. l.
(*h*) Art. II.

dent Iacobum peculiari ratione loquutum esse de celebri illo Christi adventu Hierosolymam, quum postremis vitae diebus eam veluti triumphans ingressus est ad redemptionem generis humani suo sanguine effuso obitaque morte perficiendam.

69. In primis enim id consequitur ex ipsa sermonis serie, quae obvia magis est; ea quippe docet nos verba: *Ligans ad vitem pullum suum*, iungenda esse in una eademque sententia cum verbo *veniet*, ideoque illis rationem modumque significari, quo Christus venturus erat, idque, ut quisque perspicit, per quamdam metaphoram, quae tamen tota in uno nomine *vitem* consistit. Quid porro insolens in hoc deprehendas, quod Iacobus *vitem* appellet Christum, qui tali se etiam ipse nomine designavit (*a*), et cuius sanguis continuo nomine *vino* ab ipso eodem Iacobo vocatur? Memento, quid hic valeat participium אסרי, quod vulgatus interpres vertit *ligans* (41), substitue propria translatis, et en tibi Iacobi propositionem: *Veniet Messias sternens sibi, qui vitis vera est, pullum asinae*, id est, *vectus asino*.

70. Porro patres non pauci nobis suffragio suo praesto sunt. Iustinus enim aperte ait verbis illis: *Ligans ad vitem etc.*, Christum Hierosolyma ingredientem praenuntiari. Idem Iustinus et Cyrillus Hierosolymitanus (*b*) scripsere illud ipsum his verbis praedictum fuisse a Iacobo, quod praedictum postea est a Zacharia, ubi haec scripsit: *Ecce rex tuus veniet . . . ascendens super asinam et super pullum filium asinae* (*c*), quae quidem, quid significent, evangelistae nos docuerunt (*d*). Origenes, Rufinus, Isidorus Hispalensis, Beda (*e*), sensere per pullum a Iacobo commemoratum μυστικῶς praemonstrari populum, *cui utique numquam adhuc legis onus fuerat impositum, et super quem nemo nisi ipse Christus insederat*; proinde sensere quoque pullum hunc esse eum, quo Christus Hierosolyma vectus est, et *super quem nemo adhuc hominum sedit*, ut legimus in evangelio (*f*), ad quae evangelii verba mystica illa in-

(*a*) Io. XV, 1. 5.
(*b*) Catech. XII. §. 17 al. 7.
(*c*) Zach. IX, 9.
(*d*) Matth. XXI, 4. 5; Io. XII, 14. 15.
(*e*) In h. l.
(*f*) Marc. XI, 2.

terpretatio pertinere dicenda necessario est. Clemens Alexandrinus vaticinium Zachariae interpretatus subdit continuo enarrationem illorum verborum Iacobi. Denique Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, Photius, mysticam his verbis significationem eamdem subesse scribunt, ac subest rei illi a Christo gestae.

71. Quam autem vere ac recte quidam de patribus enumeratis existimaverint utrumque vaticinium, Iacobi et Zachariae, eamdem rem portendere, ipsa, quam ambo praeferunt similitudinem inter se, satis comprobat.

72. Rem vero totam ea comprobant apprime, quae Iesus, dum asinae pullo vectus Hierosolyma ingrediebatur, loquutus est, et apud Lucam (*a*) leguntur. Etenim his Iesus Iudaeos castigavit, quod non cognoscerent impletum esse Iacobi vaticinium ex ea parte, quatenus ad Christi adventum pertinebat, idque facile probatur. Nam illa verba: *Si cognovisses, . . . quae ad pacem tibi*, illaque: *quod non cognoveris tempus visitationis tuae*, ecquis non sentiat sonare ipsum Christum eiusque adventum? At Christum Christique adventum praenuntiaverat Iacob illa vaticinii sui parte. Attendere etiam oportet, quaenam vis insit verbis *in hac die tua*. Etenim in scripturis *dies alicuius* illa vocatur, quae alicui fatalis, ut ita dicam, est, et ex qua sors eius quodammodo pendet. Sic dies natalis, quae miseriarum homini impendentium veluti initium est, dicitur *dies sua*, id est, hominis (*b*), itemque *dies sua* vocatur dies emortualis (*c*), ita quoque *dies Madian (d), dies Aegypti (e). dies Ierusalem (f)*, sunt dies, quibus Madiani, Aegypto, Hierosolymis, grandis aliqua calamitas illata est, ἀναλόγως autem saepe appellantur *dies Domini (g)*, seu *dies Christi (h)*, qui sublimi aliquo ac mirando Dei opere insignes habebantur. Qui loquendi modus aliorum quoque scriptorum est, puta, Virgilii, quum scribit: *Stat* SUA *cuique dies (i)*. Dicendum itaque est ex ea *cognitione*, de qua Christus loquebatur, gentis iudaicae

(*a*) Luc. XIX, 42-44.
(*b*) Iob. III, 1.
(*c*) Ib. XVIII, 20; Ps. XXXVI, 13.
(*d*) Is. IX, 4.
(*e*) Ezech. XXX. 9.
(*f*) Ps. CXXXVI, 7.
(*g*) Is. II, 12; XIII, 6. 9; Ezech. XXX, 3; Ioel. II, 11. 31; Am. V, 18; Soph. I toto; I Thess. V, 2.
(*h*) I Cor. V, 5; Philipp. I, 6. 10. etc.
(*i*) Aeneid. L. X. v. 467.

sortem pependisse, siquidem ob cognitionem hanc huic genti *tunc* oblatam dies illa *dies Iudaeorum* seu *Hierosolymorum* a Christo vocata est. At quaenam ea res fuerit, ex cuius cognitione Iudaeis tunc oblata ipsorum sors penderet? Non enim putandum est agi de simplici ac nuda ipsius Iesu cognitione, ut alius cuiuslibet hominis; nam et Christum iam ab aliquot annis hoc pacto cognoverant Iudaei, nec huiusmodi cognitio tanti momenti habenda erat. Sed neque de ipso illo Iesu in urbem adventu utcumque spectato, quum superioribus annis non semel illuc venerit, quin tamen dies, quo venit, *dies Iudaeorum* vocaretur. Superest itaque, ut dicatur res, quam Iesus a Iudaeis cognoscendam commemorat, fuisse utique ipse Iesus, sed in quantum is erat Messias ille, quem Iacob nomine *Scilo* designaverat, fuisse utique ille ipse Iesu adventus Hierosolymam, sed ex ea parte, quatenus erat adventus Messiae a Iacobo praedictus; verbo res a Iudaeis cognoscenda erat πλήρωμα illorum Iacobi verborum יבא שילה *veniet Messias*. Attende etiam, ut in illis: *quae ad pacem tibi*, deprehendantur duae ex pluribus notionibus, quae voci *Scilo* subesse feruntur, *pax*, inquam, et *quod ei* (31. 35. 38). Subdit Iesus Iudaeos ignorationis huius poenas daturos urbe et gente deleta, hanc autem patet esse ipsam abolitionem formae politicae et iuris αὐτονομου, de qua Iacob loquebatur priore vaticinii sui parte, et quae re vera poena fuit Iudaeis inflicta, quod Iesum Christum non agnoverint; adeoque verba Iesu idem valent, ac si dixisset: *Quum non noveris impletam esse alteram partem vaticinii, prior pars iam implebitur*. Res igitur, quam Iesus Iudaeis exprobrat ab ipsis non cognitam, est adventus Messiae a Iacobo praedictus.

73. Atqui rem hanc illo ipso die cognosci a Iudaeis oportuisse consequitur ex eodem ipso illo Christi sermone; ait enim: *Quia si cognovisses et tu, et quidem in* hac die *tua, quae ad pacem tibi*. Vox autem *dies* vel in proprium sensum accipienda hic est, vel in translatum. Si in sensum proprium, ea sit, oportet, vel futura adhuc, vel praesens, vel iam praeterita. At nequit esse dies aliqua adhuc futura, quum loquatur Iesus de re, quam oportebat iam cognovisse. Sed neque praeterita, obstat enim illud *in hac*. Illa itaque ipsa dies sit, qua Iesus haec loquebatur, necesse est, si in propriam notionem vox ista accipiatur. At enim nonne translata esse possent ea Chri-

sti verba, ut significarent totum tempus, quo Christus ab ortu suo ad illam diem inter homines versatus erat? Nullo modo; inutile quippe foret et ludicrum hoc adiunctum: *et quidem in hac die tua*, quum sane nullo alio tempore potuerint Iudaei Christum nosse, nisi quo in terris vitam degit. Nostram interpretationem confirmat particula καίγε *et quidem*, cuius vim nemo non sentit, et qua significatio verborum *in hac die tua*, alius cuiuscumque temporis exclusa nota, plane determinatur. Omissa quidem est ea particula in nonnullis graecis codicibus, sicut etiam pronomen σου *tua*, sed utramque praetermissionem improbant critici (*a*). Quamobrem liquet diem illam praestitutam fuisse Iudaeis, qua Messiam a Iacobo praedictum advenisse cognoscerent, adeoque Iacobum peculiari ratione de triumphali illo Christi adventu Hierosolymam loquutum esse.

74. Quid autem, quod turbae, quae obviam Christo exiverant, adclamationibus suis narrare videbantur ea tunc impleta esse, quae Iacob de adventu Messiae fuerat vaticinatus? Clamabant enim: *Hosanna* FILIO *David*, *Benedictus*, QUI VENIT *in nomine Domini*, *Benedictum*, QUOD VENIT REGNUM, *Benedictus*, QUI VENIT REX, PAX *in caelo* (*b*); haec autem quam bene respondeant Iacobi verbis, diversisque vocis *Scilo* interpretationibus, et chaldaicis vaticinii paraphrasibus, nemo non videt (29. 31. 35. 37). Neque illud opponas, si haec ita sint, robur omne ademptum esse argumento superius (72. 73) ducto ex verbis Christi Iudaeos castigantis, quod impleta iam esse non cognoscerent, quae a Iacobo de Messia fuerant praedicta. Nam, quantumvis id darem, non ideo vel minimum huic ἐναντιοφανείᾳ remedium afferres, quandoquidem quatuor evangelistarum narrationem conferentibus palam est utrumque narrari, et Christum a turbis, quas obvias habuit, agnitum esse, et nihilominus eum Iudaeis id culpae vertisse, quod ipsum non agnoverint. Quare ratio melius quaereretur ἐναντιοφανείας huius sustollendae. Quod difficile factu haud est. Aliqua enim gentis pars, eaque haud sane potior, Iesu adventanti occurrens eo pacto adclamabat, ipsumque Christum se agnoscere profitebatur, non item Iudaeorum primores maximaque illorum

(*a*) Vid. Nov. testament. graece ex recensione *Io. Iacobi Griesbachii* ad Luc. XIX, 42.

(*b*) Matth. XXI, 9; Marc. XI, 10; Luc. XIX, 38; Io. XII, 13.

pars (*a*). Idque Iesus exprimere voluisse videtur particula illa *et,* quam insertam legimus verbis : *Quia si cognovisses* ET *tu ;* alloquitur enim totam gentem, veluti diceret : *Si* ETIAM *tu, sicut hi, qui mihi Christo adclamant, Christum me agnovisses* ! Tum illi ipsi, qui eum Christum tunc agnoverunt, paucis post diebus se eumdem ipsum prorsus ignorare demonstrarunt. Nulla igitur ἀντιλογια in hac narratione deprehenditur, nec quidquam virium amittit argumentum ex Christi verbis superius desumptum.

75. Eo denique magis sententia haec nobis arridet, quia, quae Iacob praedixerat non prius factum iri, quam Christus advenisset, re ipsa fieri ea coeperunt a die, quo Christus Hierosolyma ultimo advenit. Quod argumentum peculiarem tractationem meretur.

ARTICULUS V

De forma politica et iure αὐτονομῳ a tribu Iudae sublatis.

76. Praedixerat Iacob ea, quae nominibus שבט et מחקק designabat, politicam, inquam, tribus formam conditionemque, et ius αὐτονομον potestatemque propriis sese legibus regendi, non prius a Iudae posteris esse auferenda, quam duo haec facta essent, ut et Messias advenisset, et huic obsequium ceterae gentes praestare coepissent. Proinde liquet, etsi Iacob non expresse praedixerit *sceptrum* et *ducem* a posteris Iudae fuisse auferendum, si tamen duo haec olim auferenda fuissent, id non futurum, nisi prius illa duo alia fierent. Eam ob rem, quum *sceptrum* et *dux* adempta Iudaeis re ipsa fuere, oportuit et Messiam iam advenisse, et ceterarum gentium obsequio eum exceptum esse. Quare, ut colligimus ex illa Christi sententia: *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote, quia appropinquavit desolatio eius, . . . quia dies ultionis hi sunt* UT IMPLEANTUR OMNIA, *quae* SCRIPTA *sunt* (*b*), perfectum absolutumque vaticinii πληρωμα manifesto praefert nobilis illa πανωλεθρια, quam Romani duce Tito Vespasiano Hierosolymis gentique iudaicae attulerunt anno aerae vulgaris LXX,

(*a*) Conf. Luc. XIX, 39.

(*b*) Luc. XXI, 20. 22.

quamque ipse Christus aperte fuerat vaticinatus (*a*). Tunc quippe et is iampridem advenerat, in quem unum omnes Messiae proprietates dotesque congruebant, et huic iam populorum obsequia praestabantur. Ex illo insuper gens patrio solo exsul, hac illac dispersa, ceterarumque tribuum capitibus permixta, deperditis insuper tabulis, quibus suam ab Iuda originem sibi adsereret, propriam ac peculiarem, quam ad illud tempus servaverat, tribus conditionem brevi amittere coacta est. Ex illo suarum regionum possessione prorsus ac perpetuo spoliati, sacra aede combusta, pluribus ac praecipuis religionibus adeoque et sacerdotio plane abolitis, quin ipsa sacerdotalium familiarum totiusque levitici generis notitia evanescente, posteri Iudae suis se legibus regendi potestatem sibi ademptam agnoscere necessario debuere. Haec quidem sic habent.

77. Quum tamen neque vaticinii veritas neque rei natura id postulet, ut illa *sceptri* et *ducis* abolitio horae momento fieret, ea, quae modo dicta sunt, non obstant, quominus, etsi vaticinium Hierosolymis deletis ac gente soluta dispersaque omnimodis impletum fuerit, quaedam tamen huius πληρωματος veluti exordia altius repetere liceat, imo et oporteat. Haec autem exordia dicimus incidisse in postremos dies vitae Christi, qui ab ultimo eius adventu Hierosolymam ad eius mortem numerantur.

78. In primis enim caussae tunc exstitere, cur genti iudaicae forma politica iusque αὐτονομον auferretur, supremaque hora decreta foret. Decretam quippe eam fuisse ob immane facinus in ipsum Dei filium a Iudaeis patratum, nemo, arbitror, in dubium revocaverit; patratum autem est facinus istud iis diebus, quos diximus. Insuper tantum illi ausi sunt, quia Iesum Messiam a Iacobo praenuntiatum agnoscere noluerunt, *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent (b)*; quam ignorationem proinde et ipsam in caussa fuisse, cur gens deleretur, Christus ipse nos docuit (*c*). Eam vero sese prodidisse potissimum eo tempore, de quo loquimur, patet manifesto; tunc enim populus universus, quod iam huius pars, principes, inquam, et sacerdotes, antea machinati fuerant (*d*), publice flagitarunt in cru-

(*a*) Id. XIX, 43. 44.
(*b*) I Cor. II, 8. Conf. Act. III, 17.
(*c*) Luc. XIX, 42-44.
(*d*) Io. XI, 47-53.

cem eum agi, quem sex non amplius ante diebus Christum regem adclamaverant. Praeterea hinc illud, ut Iesus, quod nondum praestiterat, tunc demum aperte praediceret ignorationem illam supremum excidium urbi et genti esse allaturam *(a)*, imo, etsi ante id tempus semel aliquid de hoc excidio loquutus fuerit *(b)*, tunc tamen primo apertissimis verbis rem totam eiusque caussam declararet, tunc miseram Iudaeorum vicem lacrymaretur, atque exinde saepius praedictionem illam fusiore quoque oratione repeteret *(c)*; horum, inquam, rationem si quaeras, cur tum, non vero prius, haec egerit Christus, veriorem non invenies, quam quia Iudaei illis demum diebus, quum Christum a Iacobo praenuntiatum agnoscere nollent, necemque ipsi molirentur, *sceptri* ac *ducis* abolitionem commeruere, atque hac poena damnati sunt licet serius infligenda. Attendas etiam, oportet, Iudaeos ea peccasse suasu atque impulsu primorum suorum, hos vero id consilii cepisse, ne Christo homines debita obsequia exhiberent, et ne ipsorum genti politica tribus conditio iusque αὐτονομον adimerentur, id enim sonant haec eorum verba: *Si dimittimus eum sic*, OMNES CREDENT IN EUM, *et venient Romani*, *et* TOLLENT NOSTRUM LOCUM ET GENTEM *(d)*, verbo, scelus illud admissum esse, ne a Iacobo praedicta evenirent; quae imo quum ideo evenerint, quia scelus illud admissum est, clarius quoque patet, quomodo vaticinii πληρωμα ex hoc ipso scelere, adeoque a diebus, quibus scelus hoc patratum fuit, exordia habuisse dicendum sit. Denique haud levis momenti illud est, quod, quum populus Christum in crucem agi flagitasset, Pilato interroganti, num vellent ipsorum regem cruci figi, quibus verbis admonebantur, quinam is esset, in quem desaeviebant, Messias nimirum a Iacobo praenuntiatus, responderunt: *Non habemus regem nisi Caesarem (e)*, quo publice, quantumvis fortasse praeter voluntatem et cogitationem, professi sunt se iure αὐτονομῳ spoliatos, ideoque Iacobi vaticinium impleri iam coeptum, quae Augustini quoque interpretatio est ita scribentis: *O Iudaei, qui vocamini, et non estis, si non habetis regem nisi Caesarem, defecit iam princeps de Iuda. Ve-*

(a) Luc. l. c.
(b) Id. XIII, 35.
(c) Matth. XXI, 33-45; XXIII, 36; XXIV, 2 seqq.
(d) Io. XI, 48.
(e) Id. XIX, 15.

nit ergo ille, cui repromissum est (a); atque eodem pacto ratiocinari est ex illa alia Iudaeorum sententia tunc quoque prolata: *Nobis non licet interficere quemquam (b)*, quam reposuerunt Pilato eos ita iubenti: *Accipite eum vos, et secundum legem vestram iudicate eum (c)*.

QUAESTIO VII

De vaticinio Balaami (NUM. XXIV, 17-19).

1. Explanationem vaticinii editi a Balaamo ita habebimus, ut singularum vocum significatione, quae probabilior videtur, prius definita, illud verum ac proprie dictum vaticinium fuisse, eoque Christum praenuntiatum esse, demonstremus, disquisituri postremo, an aliqua eius pars ad stellam pertineat, quae Magis Christi ortum annuntiavit.

ARTICULUS I

Verba ipsa explicantur.

2. *Videbo eum, sed non modo.* Sic hebraica ad verbum expressit interpres vulgatus, nec aliter exprimi possunt. Quare nulla ratio habenda est ceterarum interpretationum, quae secus hebraica exprimunt, atque earum praesertim, quae pro futuro praesens verbi tempus praeferunt. Licet enim in lingua hebraica futurum tempus quandoque vim temporis praesentis habeat, id tamen non fit, nisi ubi certa quaedam sunt sententiae aut sermonis adiuncta, quorum neque uni locus est in hoc vaticinio. Quin imo hic de re futura agi plane evincit illud *non modo*. Id vero ne iungas verbo *videbo*, veluti dixisset Balaam: *Non videbo eum modo*, sed adde verbum *est*, ut sensus

(a) In Ps. LXXV. §. 1.
(b) Io XVIII, 31.
(c) Ib.

sit: *sed ipse non est modo*, quem sensum expresserunt Pseudoionathan et Saadias, nemine ceterorum interpretum repugnante, favente imo quadam antithesi, atque ita flagitante posterioris hemistichii interpretatione (3) ideoque et parallelismo poetico.

3. *Intuebor illum, sed non prope.* Eadem de his ac de superioribus dicas. Hebraicum אֲשׁוּר non aliter vertendum quam, ut vertit interpres vulgatus, *intuebor*. Id evincit tum parallelismus poeticus totius versiculi, tum auctoritas veterum omnium interpretum, demptis graeco et samaritano, nec non rabbinorum, puta, Salomonis Iarchii, Aben Ezrae, Levis Ben Gersomi, tum denique illud, quod verbo שׁוּר, saltem forma kal, ea solum notio subiecta in bibliis reperitur, si unum fortasse locum excipias (*a*), cuius tamen minus obvia est interpretatio. *Cantare* vero, non formae kal, sed hiphil notio est (*b*), seu verius verbo שִׁיר (*c*), licet in primo libro Samuelis verbum לשור sonet *ad canendum (d)*, quod tamen ex Masoretharum emendatione legendum לָשִׁיר. Quam recentiores huic verbo significationem affingunt, *ire* aut *proficisci*, duobus tantummodo exemplis eam confirmare conantur, quae, equidem, an cuique facile sese probent, valde dubito (*e*). Adverbium *prope* redditum est pro קָרוֹב, quod est adiectivum, ideoque ipsa hebraica verba sic verteres: *Intuebor illum, sed non propinquum*. Verius tamen et hebraico sermoni consonum magis videtur deesse pronomen הוּא, sicut sensere interpretes chaldaei omnes, syrus, et arabs, qui pronomen illud vel verbum substantivum suis interpretationibus addiderunt, imo et alexandrini, qui verterunt: οὐκ ἐγγίζει *non appropinquat*. Sententia itaque haec sic habet: *Intuebor illum, sed non est propinquus*. Ceterum קרוב propinquitatem, non tantum loci, sed et temporis significare potest. Posterior significatio magis respondet vocibus *non modo* prioris hemistichii, at aeque bene hic est priori significationi; haec parallelismum rerum ἀνάλογον, illa ὁμόλογον, exhibet.

4. *Orietur stella.* Prophetarum mos est usurpare tempus verborum praeteritum pro futuro; hinc in ipso codice hebraico illud דָּרַךְ,

(*a*) Is. LVII, 9.
(*b*) Vid. Ex. XV, 1. etc.
(*c*) Vid. ib. 21. etc.
(*d*) I Sam. XVIII, 6.
(*e*) Is. LVII, 9; Ezech. XXVII, 25.

quod tamen interpretes omnes, dempto fortasse samaritano, in futurum tempus verterunt. Unica huic verbo notio est *calcare*, ut comprobant tum voces ex eo dependentes, tum illud, quod, etsi alia quoque verba pro vario verbi illius usu reddiderint interpretes, id tamen fecere solum, ut suarum linguarum indoli consulerent, in locis autem in quibus verbum דרך sic sunt interpretati, eadem illa verbi huius notio constanter obtinet, ita ut quandoque hanc eamdem, contra ac ipsorum lingua ferebat, servaverint, atque expresserint (*a*). Si cui difficultatem aliquam facessit loquutio illa דָּרַךְ קֶשֶׁת *calcavit arcum* idem valens ac *tetendit arcum*, is meminerit populis orientalibus in usu fuisse arcus longiores, quorum, dum tendebantur, alterum cornu in terra defixum laevo pede premebatur, ne arcus in iactu nutaret (*b*). Id narrant de Indis Arrhianus (*c*), de Persis Xenophon (*d*), de Aethiopibus Diodorus Siculus (*e*). Aliam rationem arcum tendendi, quam hebraica illa loquutio apte exprimeret, exhibet opus figlinum repertum in coemeterio Priscillae, quod videre etiam est apud scriptores de locis Romae subterraneis (*f*). Hinc facile intelliges, quid valeat alia loquutio דָּרַךְ חִצִּים *calcavit sagittas*, nempe *calcavit* seu *tetendit* arcum ad iaculandas *sagittas*.

5. Sed iam de usu, qui huic verbo est in vaticinio Balaami, disserere oportet. Ubi verbum דרך construitur cum nomine significante viam, regionem, aliaque, in quibus quis incedit, ab interpretibus, etsi verbi notio minime immutata sit, tamen, eorum sermone sic flagitante, verti commode solet *incedere* aut *ambulare*; locum enim, ubi incedimus, necessario calcamus. Atque haec ratio clare apparet, quum nomen illud casu accusativo est, quod tamen bis solummodo in bibliis fit (*g*). At non item res claret, quum idem hoc nomen praepositionem habet ב *in (h)* seu על *super* (*i*); quid enim haec sonent :

(*a*) Vid. interpr. vulgat. I Sam. V, 5; Is. LIX, 8; Mich. I, 3; V, 5. 6.

(*b*) Vid. *Montfaucon* Antiquité expliquée T. IV. P. I. Liv. II. ch. 9. n.° 2.

(*c*) Indicor. c. 16. p. 331 ed. *Gronov.*

(*d*) Anab. L. IV. p. 322. Paris. 1625.

(*e*) L. III. p. 105 ed. *Stephan.*

(*f*) Vid. *Aringhius* Roma subterr. T. II. p. 335; *Bottari* Sculture e pitture etc. Tav. CLXXXIX.

(*g*) Iob. XXII, 15; XXVIII, 8.

(*h*) Deut. I, 36; Ps. CVII, 7; CXIX, 35; Is. LIX, 8; Mich. V, 4. 5; Hab. III, 15.

(*i*) Deut. XXXIII, 29; I Sam. V, 5; Ps. XCI, 13.

calcare in via, calcare super regionem? nonne potius videtur verbum דרך in huiusmodi loquutionibus, propria notione amissa, simpliciter atque absolute idem esse ac latinum *incedere* aut *ambulare*? Ut itaque res clareat, haec animadverte. Verbi huius, etsi unica notio sit, in universum tamen variam esse syntaxim. Plena quippe ea est, quum additur nomen tum rei calcatae, tum loci, in quo res calcatur, quod non fit nisi semel (*a*). Quandoque omittitur nomen loci (*b*), aut locus ipse exprimitur veluti res calcata pro ipsa re, quae in eo calcatur (*c*); quae dum fiunt, analogia syntaxeos adhuc obtinet. Subinde e contrario omittitur nomen rei calcatae expresso nomine loci cum praepositione (*d*), ut fit in illis ipsis loquutionibus, de quibus quaerimus, atque ἔλλειψις habetur. Denique nonnunquam utrumque omittitur (*e*), ut fit in sermone Balaami. Duo haec postrema tunc solum fieri videas, quum agitur vel de calcatione uvarum, vel de incessu. Quamobrem, sicut ex eo, quod hoc pacto usurpetur verbum illud, ubi de uvis calcandis sermo est, recte inferimus, haudquaquam verbi notionem immutatam esse, sed ῥῆμα τεχνικὸν illud fieri, in re, inquam, vinaria, ideoque absolute usurpari, ita etiam ex eo, quod eodem pacto usurpetur, ubi latine *incedere* aut *ambulare* diceremus, inferendum minime est, notione sua amissa, idem esse ac latinum *incedere* seu *ambulare*, sed ab Hebraeis verbum *calcare* τεχνικῶς adhiberi, ubi Latini illa alia adhibent. Adeoque verum est, quod affirmamus, verbo דרך etiam in illis loquutionibus *calcare in via*, *calcare in regione*, suam significationem manere, ut Hieronymus ipse in bibliis vertendis, illam contra latinae linguae usum aliquando servaverit (*f*). Etenim in omnibus linguis verba quaedam propria significatione retenta aliquem habent usum, quem in linguis ceteris non habent. Puta latinum *candere* idem omnino valet ac italicum *biancheggiare*; at, quum de ferro ignito sermo est, latine quidem dicimus *ferrum candere*, italice vero nemo proprie ita loqueretur: *Il ferro biancheggia*, nec quisquam ita loquentem, nisi

---

(*a*) Is. XVI, 10.
(*b*) Am. IX, 13; Mich. VI, 15.
(*c*) Iob. ll. cc.; XXIV, 11; Is. LXIII, 3; Ier. LI, 33; Thr. I, 15; Nehem. XIII, 15.
(*d*) Is. LXIII, 2.
(*e*) Ier. XXV, 30; XLVIII, 33; forte Iudic. IX, 27.
(*f*) Vid. I Reg. V, 5; Is. LIX, 8; Mich. I, 3; V, 5. 6.

forte ex adiunctis, si quae forent, intelligeret. Ita quoque, ut ex ipso verbo *calcare* specimen sumamus, galli gallinas ineuntes *calcare* latine dicuntur absque alio adiecto, non tamen italice. Contra ea italice absque alio adiecto dicimus *muoversi* seu *far moto* pro *deambulare*, at nemo, nisi qui barbarus haberi velit, latine diceret *movere se* aut *motum facere*. Hinc patet quam caute ex interpretationibus quorumcumque librorum iudicium facere oporteat de propria notione, quae verbis ipsorum librorum subest. Neque enim ex eo, quod verba haec ab interprete verbis aliis reddita sint, licet concludere horum significatum illis etiam proprium esse. Id peccarunt lexicorum confectores in exponendo verbo דרך, quum docuerunt illud valere id quoque, quod latinum *incedere* aut *ambulare*, imo, quod peius est, *ire* et *progredi*; nempe quia subinde non aliter commode verti posse illis videbatur, aut ita versum reapse est ab interpretibus bibliorum. Itaque verbum דרך, quod actionem hominum propriam designat, quodque κατ' ἀνθρωποπάθειαν Deo etiam tribuitur, a Balaamo τροπικῶς dicitur de stella; integra autem dictio דָּרַךְ כּוֹכָב vertenda est: *Calcavit stella*, id est, ut latine loquamur: *Incessit stella*. Cur vero hoc potius quam alio verbo Balaam usus sit, ratio haec una esse potest, ut praediceret stellam hanc veluti *vestigia*, quod calcando fit, relicturam, lucis nimirum suae.

6. *Ex Iacob*. Haec esse construenda cum verbo דרך plures sensere, nuperrime vero Gesenius (*a*), hoc unico exemplo ratus verbum istud construi posse cum praepositione מן *de*, ideoque idem esse ac *progredi*. Quae tamen omnia minus vera putamus, quum neque unquam alias verbum דרך cum praepositione מן construatur, neque eius notio talem constructionem ferre videatur; quid enim sonaret *calcare de aliquo loco?* Potius itaque dicerem illa *ex Iacob* connexa esse cum nomine *stella*, particulaque מן *de* exprimi huius stellae originem, et כּוֹכָב מִיַּעֲקֹב esse *stellam* oriundam *ex Iacobo* (*b*).

(*a*) Thesaur. philolog. crit. ad v. דרך.

(*b*) Vid. Quaest. VI. nn. 15. 16. 24. 25 et *Nold.* Concordant. particular. ad particul. מ §. 14 *Ex, e, Efficientis* seu *Procreantis*. p. 460, et quae adnotantur p. 462 *Adiectiva*. Ienae 1734.

In hunc quidem sensum verba haec accepisse videntur Pseudoionathan, interpres hierosolymitanus, Saadias, adeoque et Onkelos secundum Biblia regia et Pentateuchum constantinopolitanam, qui omnes ea verterunt *de domo* vel *de gente Iacobi*; imo quod ad primum istorum nulla dubitatio esse potest. Quin imo et Hieronymus, quum haec ita verterit: Orietur *stella ex Iacob*, nobiscum sensisse putandus est. Verbum enim דרך nequaquam significare potest *oriri*; quum vero istud secundum propriam ipsius notionem hoc loco latine verti non posset, exprimendaque foret stellae origo, quam designat praepositio מן, pro דרך reddidit *orietur*. Ceterum negare nequimus accentus vocum hebraicarum interpretationi nostrae non favere.

7. *Et consurget virga de Israel.* Parallelismus poeticus monet particulam מן *de* in hoc quoque hemistichio originem, *virgae* videlicet, significare, ideoque illa *de Israel*, non cum verbo *consurget*, sed cum nomine *virga* constructa esse, quamquam horum quoque verborum accentus secus credere suadeant. Hinc verbo קָם *consurget*, utpote absolute posito, plenior quaedam nobiliorque inest significandi vis, quam sit *erigi ex aliquo loco*, exprimitque quamdam excellentiam, potentiam, ac firmitatem, ut in aliis quoque bibliorum locis (*a*), quem usum habet etiam latinum *surgo*, puta, in illo Virgilii (*b*): *Quam tu urbem, soror, hanc cernes, quae* surgere *regna Coniugio tali!* inque illo: *Per patrios manes, per spes* surgentis *Iuli* (*c*). De nomine שבט, recole, quae superius scripsimus (*d*). Quaeritur, cur nomen hoc apud interpretes alexandrinos ἄνθρωπος *homo* versum legatur. Probabile admodum videtur, quod coniicit Lambertus Bos (*e*), illos scripsisse ἄνθος, id vero in ἄνθρωπος mutatum a librariis, *quia in manuscriptis vocabulum ἄνθρωπος reperitur scriptum ανος, forsan etiam ανθος*. Hesychius quidem haec habet: Ἄνθος·βλάστησις *Flos*, germen, germen autem aeque sunt *ramus*, quod sonat שבט, et *flos*; hinc aliqua erat ratio, cur *flos* pro *ramo* diceretur, at nulla, cur diceretur *homo*. Huic

(*a*) Iud. V, 7; II Par. VI, 10; Dan. II, 39; VII, 24.

(*b*) Aen. L. IV. v. 47.

(*c*) Ib. L. X. v. 524.

(*d*) Quaest. VI. n.° 4.

(*e*) Proleg. ad V. T. c. 3.

autem opinioni Lamberti Bosi confirmandae illud facit, quod Iustinus partem verborum Balaami ita refert: Ἀνατελει ἀστρον ἐξ Ἰακωβ, και ἀνθος ἀναβησεται ἀπο της ῥιζης Ἰεσσαι *Orietur stella ex Iacob, et* flos *ascendet de radice Iesse (a)*. Iustinus quidem haec omnia refert, veluti si Isaiae verba forent, quamquam Isaiae non sint nisi posteriora: *et flos ascendet de radice Iesse (b)*; neque enim, ut putemus illa olim scripta fuisse apud Isaiam, satis esse illud potest, quod vetustissimus quidam Vossii codex, Irenaei opera continens, verba illa: *Orietur stella ex Iacob etc.*, exhibeat tamquam Isaiae essent (*c*), praesertim quum apud Irenaeum, non illa legantur: *flos ascendet de radice Iesse*, quae, licet paululum immutata, Isaiae certo sunt, sed habeantur ipsissima Balaami verba, adhibito nomine *dux* pro nomine *homo*, ut apud Iustinum quoque alio loco (*d*) leguntur, at, sicut debent, Balaamo attributa. Nihilominus, cur ita memoria fefellerit Iustinum, dum in priore loco Balaami verba Isaiae attribueret, facilius caussam deprehendimus, siquidem in aliquo saltem bibliorum codice aetate Iustini non ἀνθρωπος scriptum fuerit, sed ἀνθος, quae vox una cum quadam sententiarum ac periodorum similitudine, quae in oraculis Balaami et Isaiae deprehenditur, occasionem errandi Iustino praebuerit. Ceterum illud procul dubio constat, apud patres vetustissimos Iustinum et Irenaeum nomen ἀνθρωπος *homo* non legi; Iustinus enim scripsit in priore illo loco ἀνθος *flos*, in posteriore ἡγουμενος *dux*, Irenaeus vero et ipse ἡγουμενος scripsisse putandus est, quum eius interpres scripserit *dux*. Possunt autem ἡγουμενος et *dux* reddita esse pro hebraico שבט, quod quandoque τροπικως *dominium* ac *potestatem* sonat (*e*), ideoque in oraculo Iacobi (*f*) ab alexandrinis interpretibus versum est ἀρχων *princeps*, a Symmacho autem ἐξουσια *potestas*. Tum in hoc quoque Balaami vaticinio metaphora subest huic nomini.

8. *Et percutiet*. Quum verbum מָחַץ, quod hic habetur, alias semper significet *percutere*, quod hic quoque potest percommode si-

---

(*a*) Apolog. I. §. 32.
(*b*) Is. XI, 1.
(*c*) Haeres. L. III. c. 9. §. 2.
(*d*) Dial. c. Tryph. §. 106.
(*e*) Vid. Quaest. VI. n.° 4.
(*f*) Gen. XLIX, 10.

gnificare, non erat, cur scripturarum enarratores, qui aetate hac floruerunt, aliam huic verbo hoc in loco significationem ex lingua arabica arcessitam affingere studerent. Difficultatem quidem istis creabat illud psaltae: לְמַעַן תִּמְחַץ רַגְלְךָ בְּדָם (a), quod ita legitur in interpretatione vulgata: *ut intingatur pes tuus in sanguine.* At nulla est in eo difficultas, praesertim ex quo Geierus (b), quae prius habentur, id est, versiculum psalmi vicesimum tertium, tam feliciter explicavit, syntaxim supplens, repetensque ex versiculo vicesimo secundo nomen אֹיְבִים *hostes.* Hoc enim nomen, aeque ac in versiculo vicesimo tertio, omissum est etiam in vicesimo quarto, ubi difficultas illa sentiebatur, adeoque etiam in hoc supplenda est syntaxis repetito nomine illo. Tres vero istos versiculos sic exprimas: *Profecto Deus percutiet caput hostium suorum, verticem capillatum ambulantis in delictis suis. Dixit Dominus: Ex Basane reducam (hostes illos), reducam ex profunditatibus maris ut* PERCUTIAT *(eos) pes tuus in sanguine.*

9. *Duces Moab*, hebraice פַּאֲתֵי מוֹאָב. Vocabulum פאתי, quod alias non legitur, unum ex multis est, quae in hoc Balaami sermone interpretum ingenia torquent; in id tamen grammatici consentiunt, esse nomen פֵּאָה forma duali constructa. Nomen hoc in bibliis plus quam octogies reperitur. Quatuordecies forma constructa פְּאַת sine praepositione (c), septies forma item constructa et cum praepositione אֶת (d), semel forma absoluta cum praepositione לְ *in* (e), extremam regionis, vel territorii, vel urbis, vel aedificii partem certo significat. Quadragies et septies cum praepositione לְ *ad* (f), vel אֶל *ad* (g), vel עַד *usque ad* (h), vel מִן *a* (i), et forma constructa usurpatum, alterum horum solummodo significare potest, vel mundi plagam, cui pars illa extrema extremumve latus obversum est, vel hoc ipsum latus extremum extremamve partem obversam plagae illi,

(a) Ps. LXVIII, 24.
(b) Ap. *Rosenmüll.* Schol. in h. l.
(c) Num. XXXIV, 3; Ios. XVIII, 14. 15; Ezech. XLI, 12; XLVII, 18. 19. 20 bis; XLVIII, 1. 16 ter. 33. 34.
(d) Num. XXXV, 5 quater; Ezech. XLVII, 17. 18. 19.
(e) Ex. XXVII, 9.
(f) Ib. XXVI, 18; etc.
(g) Ezech. XLVIII, 28; etc.
(h) Ib. XLVIII, 3; etc.
(i) Ib. XLV, 7; etc.

cuius nomen exprimitur; sed quum incerta certis sint definienda, posterior quoque iste usus ad illud idem significandum nomini huic esse dicendus est. Itaque, quum octogies amplius nomen illud biblia exhibeant, fere septuagies notio generaliter subiecta ei deprehenditur *ora*, *latus*, rei *extremitas*. His semel positis facile patet, quid nomen illud significet in aliis quoque locis. Apud Amosum פאת *lecti* (*a*) est lecti latus seu sponda. Quatuor פְּאֹת mensae sacrae, quae in exodo describitur (*b*), sunt quatuor eius extremitates, ubi fixi erant annuli, quibus vectes ad mensam portandam inserebantur. In levitico פאת *agri* (*c*) est extrema pars agri, quam Israelitae metere vetabantur, ut eius proventus cederet pauperibus; hinc factum est, ut sequioribus aetatibus פאה vocaretur quaelibet agri pars etiam in eius medio sita, in qua segetes nondum demessae pauperibus relinquebantur (*d*). Ubi Nehemias dicit Deum *partitum esse* Israelitas לְפֵאָה (*e*), idem haec sonant, ac Deum partitum esse Israelitis ipsorum regiones *extremis* harum *partibus* designatis (*f*); aut, si mavis, Chananaitidem *lateribus*, hoc est, confiniis distinxisse, ita videlicet, ut uniuscuiusque tribus portio *latus* alteri veluti coniungeret, eique adiaceret, ac contermina esset, quam interpretationem confirmat tum nomen פאה numero singulari usurpatum, quod adverbii vim habere videtur, tum praepositio ל, quae post verbum חָלַק vel eos designat, quibus res distribuitur (*g*), vel rationem, qua distribuitur (*h*). Verbum הִפְאָה forma hiphil, ex nomine illo aut certe ex eadem radice, unde nomen illud oritur, deductum, sonat *ad extrema deducere*; quo posito plane claret locus deuteronomii (*i*), in quo solo verbum illud reperitur, si modo reperitur, quique negotium non leve interpretibus facessit. In levitico פאת *faciei* (*k*), *capitis* (*l*), *menti* (*m*), ut vel ipse orationis contextus evincit, est *extremitas* faciei, capitis, menti, qua capilli barbaque oriuntur. Quae *extremitas* seriore ae-

---

(*a*) Am. III, 12.
(*b*) Ex. XXV, 26; XXXVII, 13.
(*c*) Lev. XIX, 9; XXIII, 22.
(*d*) Vid. Mischna, Pea c. 1. n.° 2.
(*e*) Nehem. IX, 22.
(*f*) Conf. Num. XXXIV.
(*g*) Num. XXVI, 53.
(*h*) Ios. XI, 23; XVIII, 5.
(*i*) Deut. XXXII, 26.
(*k*) Lev. XIII, 41.
(*l*) Ib. XIX, 27.
(*m*) Ib. et XXI, 5.

tate פאה simpliciter absque ullo illorum nominum adiuncto vocata est (*a*); ac tale est apud Ieremiam illud פְּאַת מוֹאָב (*b*), ut totum locum legentibus fit manifestum. Hinc in lingua hierosolymitana פאה נכרית *coma aliena, coma ficta (perrucca),* ut legimus in mischna (*c*). Ex his arguas, licet, an vere ac recte nomen פאה plures nostra quoque aetate *angulum* latine vertant. Cur vero sic verterit Hieronymus, ubi de mensa tabernaculi agit Moyses in exodo, ratio est, quia, ut diximus, eo loco *quatuor* פאת, sunt quatuor mensae *extremitates.* Senties quoque, num ipsa huius nominis radix notionem habeat *flare*, quam nuperrime ei attribuit Gesenius (*d*).

10. Quid igitur sibi tandem volunt in vaticinio Balaami illa פאתי מואב? *Latera* seu *extremas plagas* Moabitidis vertunt nonnulli. Sed cur extremae solum plagae percutiendae dicantur? Cur forma duali exprimantur? Nonne verbum מחץ adhibetur solummodo, ubi de personis percutiendis sermo est? nam, quod apud Iobum adhibeatur, ubi maris *superbia* a Deo *percuti* dicitur, perspicua admodum est prosopopoeia. Quare פאתי *geminum* corporis *latus* significare securi pronuntiabimus, quae enim corporis membra gemina sunt, ea duali forma nominantur, aut prosopopoeiam hic haberi dicemus simulque synecdochen, et *fines* regionis tamquam personae *latera* exhiberi totamque regionem his significari, integram vero sententiam sic vertemus: *Percutiet utrumque latus Moabi,* id est, Moabitarum. Cur vero veteres quidam interpretes, hosque inter vulgatus, *primores* nomine illo significari autumaverint, frustra disquireremus.

11. *Vastabitque* hebraice וְקַרְקַר, quae vox longe difficilioris est explicationis, quam superior, adeo ut recentiores scripturarum aeque ac veteres interpretes in diversas de ea abeant sententias. Harum potissimas expendemus, quid ipsi sentiamus, deinde edicturi.

12. Sunt, qui putent vocabulum istud librariorum errore scriptum esse pro קָדְקֹד, quod sonat *verticem.* Nam sic habet exemplar

---

(*a*) Ier. IX, 25; XXV, 23; XLIX, 32.
(*b*) Ib. XLVIII, 45.
(*c*) Schabbath c. 6. n.° 5.
(*d*) Thes. philol. crit. ad h. v.

samariticum, cui adstipulatur samaritanus interpres reddens 𐡓𐡅𐡌 *altitudinem*. Ieremias autem, qui de Moabo et ipse agens simul copulasse videtur proverbium quoddam de eodem Moabo superius scriptum in hoc ipso libro Numerorum (*a*) cum vaticinio Balaami, nomen קדקד usurpavit ita loquens : *Ignis egressus est de Hesebon , et flamma de medio Seon, et devorabit* פאת *partem Moab et* קדקד VERTICEM *filiorum tumultus (b)*. Sed haec opinio nec in vetustis exemplaris hebraici interpretationibus neque in hebraicis codicibus ullum praesidium habet. Quanta fides, quod ad istud vocabulum, habenda sit exemplari samaritico, plane te docebit Gesenius (*c*); plura quippe in illo sapiunt manum eius, qui difficultates amovere studuit, vel coniectando, vel verba ad locum aliquem parallelum exigendo. Ieremias praedicit ea, quae Moabitae sibi timerent, oportebat, non ab Israelitis, ut praedicit Balaamus, sed a Chaldaeis, neque nomen קדקד usurpans alium scripturarum locum transcribit , sed allegoriam inceptam persequitur , *ignem devoraturum barbam et* COMAM *Moabitarum*, quod paulo prius absque metaphora ab igne petita iam dixerat (*d*) Isaiam transcribens (*e*). Hoc modo haec Ieremiae verba interpretati sunt etiam Ioannes Augustus Dathius (*f*) et Ioannes Georgius Dahlerus (*g*), sic quoque sentientibus Ioanne Davide Michaelisio (*h*) et Rosenmüllero (*i*).

13. Aliis vocabulum hoc idem valet ac *dominabitur*. Hanc interpretationem tuentur Castellus (*k*) et Noldius (*l*), eique favent de veteribus interpretibus Onkelos, syrus, arabs Erpenii, imo et alexandrini utentes verbo προνομεύειν, quod et *pabulari (foraggiare)* et *pabulando in servitutem adducere* significat, et vulgatus, ut inferius demonstrabimus (20), cumque his sentiunt Moses Maiemonides (*m*) et Iosephus Albo (*n*). Sed rationes, quibus haec interpretatio defenditur, debiliores

---

(*a*) Num. XXI, 28.

(*b*) Ier. XLVIII, 45.

(*c*) De pentateuchi samarit. orig. etc. §§. 11. 12.

(*d*) Ier. XLVIII, 37.

(*e*) Is. XV, 2.

(*f*) Prophetae maior. in h. l.

(*g*) Jérémie traduit etc. in h. l.

(*h*) Observation. philol. et crit. in Ierem. vaticin. in h. l.

(*i*) Schol. in h. l.

(*k*) Lexic. heptaglott. col. 3428.

(*l*) Concordant. particular. Annotat. 1358.

(*m*) Hilchoth melachim c. 11. §. 1 ap. *Raym. Martin*. Pugion. fidei P. III. dist. III. c. 9. §. 3.

(*n*) Sepher ikkarim L. IV. c. 42 ap. *Ioseph. Devoisin*. Prooem. in Pugion. fidei f.° 68

sunt, nullum satis probabile etymon sive in hebraica sive in affinibus linguis ea habet, neque apta est explicando Isaiae vaticinio, in quo etiam, neque alias praeterea, hoc verbum legitur (*a*). Tum de *dominio* eius, qui ex Israele oriturus praedicitur, paulo post alio verbo adhibito agit Balaamus (*b*).

14. Alii vertunt *destruet.* Hanc significationem Belgae amplexi sunt et post eos Rosenmüllerus (*c*), neque huic absimilem sequuntur alii ex recentioribus, eique favent interpres hierosolymitanus et Pseudoionathan, et favere fotasse videantur interpres vulgatus et Saadias. Huc quoque trahunt quidam verbum ἐξερευνήσει *scrutabitur* redditum a Symmacho, sicut Ionathan, vulgatus, et syrus, *scrutari* et ipsi reddiderunt, ubi verbum illud legitur apud Isaiam (*d*); etenim, inquit Rosenmüllerus, *petierunt illi interpretes hanc significationem vocis a themate* קוּר FODERE, *sicuti* חָפַר FODERE *et* PERVESTIGARE *notat (e)*, et radix affinis קיר in lingua arabica *perscrutari* quoque et *investigare* est, imo ipsum קרקר in vaticinio Balaami a Salomone Iarchio explicatur *fodere (f)*. Etiam David Kimchius (*g*), Aben Ezra (*h*), Salomon Ben Melech (*i*), docent קרקר significare *diruit*, et deductum esse a קִיר *paries*, sicut a שֹׁרֶשׁ *radix* deductum est שֵׁרֵשׁ forma pihel significans *eradicavit*; imo et in aliis verbis id fit, ut forma hac pihel contrarium ea sonent ac ipsa eorum radix. Denique etiam in scriptis vetustioribus rabbinorum hoc verbum idem valet ac *diruere* seu *vastare (k)*. Profecto participium מְקַרְקַר apud Isaiam obiter legentibus (19) vix aliud esse videtur quam *diruens (l)*. Non erat proinde, cur Castellus (*m*) hanc illius verbi notationem *ineptissimam* diceret; quominus tamen eam accipiamus, obstant fortasse nonnulla. Si enim, ut longe veri similius videtur (56), *filii Sethi*, qui continuo nominantur, sunt homines, qui Christo

(*a*) Is. XXII, 5.
(*b*) Num. XXIV, 19.
(*c*) Schol. in h. l. et in Ies. l. c.
(*d*) L. c.
(*e*) Schol. in Ies. l. c.
(*f*) In Num. h. l.
(*g*) Lib. radic. ad h. v.
(*h*) In h. l.
(*i*) Miclal iophi in h. l.
(*k*) Vid. *Buxtorf.* Lexic. chald. talmud. ad h. v. col. 2152.
(*l*) Vid. *Rosenmüll.* l. c.
(*m*) L. c.

adhaerent, recteque vivunt, falsa foret haec sermonis pars: *Et destruet omnes filios Sethi*, quum nemo ex Iacobi stirpe homines istos unquam destruxerit, aut in posterum destructurus sit. Praeterea, quum verbum מחץ coniungendum sit cum nomine *virga*, idque aptissimum sensum praeferat, verbum קרקר iungendum omnino est cum nomine *stella*, ut exprimat, quid haec actura sit, secus enim id omnino lateret; at quomodo *stella* dici potest *destructura omnes filios Sethi*, qui demum cumque isti forent? cur nam *destructor* sub imagine *stellae* exhibeatur? De verbo *vastabit*, quo utitur interpres vulgatus, inferius dicemus (20). Saadias autem illud ipsum verbum adhibet, quod adhibuit alius interpres arabs vertens ex graeco sermone oraculum Aggaei, ubi praedicitur Deus *concussurus* caelum et terram sub adventum Christi (*a*), et ubi profecto sinistrum sensum habere nequit hoc verbum.

15. Ioannes Fridericus Miegius (*b*) aliam ex Iacobo Altingio magistro suo acceptam huic verbo notionem tribuit *convocare*, quia קרקר Chaldaeis sonat *cucurivit* et *gracillavit*, ideoque in hoc vaticinio idem esse ait ac *convocabit gracillando instar gallinae*, uti Christus de se loquitur (*c*). Eam vero comprobat rationibus petitis ex lingua arabica, ex etymo, quod קרקר originem ducat a קיר *paries*, proinde significet *convocare ad parietem*, sicut a כַּר *pascuum* fit כִּרְכֵּר *saltare in pascuo*, ex illo Isaiae capite, ubi denuo verbum istud occurrens aliam, inquit, non patitur explicationem, ex verbo, quod Symmachus, imo etiam ex eo, quod septuaginta interpretes reddiderunt, ex fine et ex sensu totius oraculi, denique ex eo, quod *omnes filii Sethi* sint *omnes fideles*, quibus apprime congruit haec verbi huius notio. Hanc tamen refellit Albertus Schultensius (*d*), tum quia, non gallinarum solummodo, sed et columbarum, corvorum, ranarum, perdicum, serpentum vocem exprimunt hoc verbo linguae semiticae, tum quia ex eo, quod significet *gracillare*, nullo modo consequitur significare etiam *convocare gracillando*. His vero haec

---

(*a*) Agg. II, 6.

(*b*) Diss. de stella et sceptro bileam. §. 5. in *Hasaei* et *Ikenii* Thesauro theolog. philolog.

(*c*) Matth. XXIII, 37.

(*d*) Animadversion. philolog. in h. l.

quoque addas. Arabicam linguam vix aut certe longe minus huic quam aliis verbi illius notionibus favere, sicut etiam etymon ex קיר quaesitum, quo insuper semel accepto iam Miegius noster priorem illam significationem *gracillare* nec opinans reiicit. Quid de illo Isaiae capite, ex dicendis inferius (19), quid de Symmacho deque septuaginta interpretibus sentiendum sit, apparere ex dictis superius (13. 14). Finem denique integramque sententiam totius oraculi, atque appellationem *filiorum Sethi*, quod ex dicendis palam fiet, minime exposcere, ut Altingii sententia ceteris omnibus anteferatur.

16. Ipse Albertus Schultensius sic habet: *A* קיר MURO קרקר *potius redderem* MURUM STRUERE, *quam* MURUM DESTRUERE ... *Puto itaque* קרקר *esse* STRUERE, AEDIFICARE, FUNDARE (*a*). Id vero arabicis etymis confirmat, quibus et quaedam chaldaica addi possent, quae *fundum* significant (*b*). Quae autem leguntur apud Isaiam, ea sic interpretatur: *Est, qui reparat murum. Est, qui clamat: Montes petite* (*c*). Rosenmüllerus (*d*) reiicit quidem haec, sed non refutat, neque, cur reiiciat, rationem ullam directe profert. Duo tamen Schultensio officiunt. Unum est, quod, etsi facile intelligamus, quid sit *struere* vel *aedificare ecclesiam*, id est, Christianorum coetum, obvia quippe ac perspicua metaphora haec est, non aeque haec altera claret, quid, inquam, sonet *struere* seu *aedificare omnes filios Sethi*, licet hi sint *omnes fideles*. Alterum, quod, si verbum קרקר iungendum est nomini *stella* (14), quam inconcinne *constructio* seu *aedificatio* stellae tribueretur, atque aliunde quam a stellis metaphora petenda fuisset.

17. Sunt, qui animadverterint vocabulum istud esse ipsissimum nomen, quo Arabes vocant *fines* et *plagas regionis patentis*. Quae significatio belle respondet κατ' ἐπεξήγησιν nomini פאתי prioris hemistichii, et apprime convenit planitiei Moabitidis (*e*). Quare, qui opinantur בְּנֵי שֵׁת non esse *filios Sethi*, sed vel ipsos Moabitas, vel populum finitimum, opportunissima iis foret haec explicatio, illudque

---

(*a*) L. c.

(*b*) Vid. *Buxtorf.* l. c.

(*c*) Animadvers. in Is. XXII, 5.

(*d*) Schol. in Is. l. c.

(*e*) Vid. *Rosenmüll.* Schol. in Num. XXII, 1.

unum ea peccaret, quod hoc pacto lateret, quid *stella* hic agat, curve a stella metaphora petatur.

18. Ex hactenus disputatis apparet vocabulo קרקר, si per se ipsum absoluteque illud usurpes, quatuor subesse posse notiones, quarum tamen nulla huic oraculo plane explicando opportuna omni ex parte videatur, quandoquidem vocabulum illud aliquid sonet, oportet, quod stella praestitura erat, idque *omnibus hominibus* aut saltem omnibus probis, ii quippe, ut longe probabilius est, vocantur *filii Sethi*, quodque rationem praeferat, cur vocabulo stella, potius quam alio, tropus fiat. Iam vero, attendas, velim, in omnibus linguis semiticis radici קרר propriam primigeniamque notionem subesse *frigus*, hinc vero et translatas *refrigerium, recreationem, quietem*. Quare nullus dubito verba Balaami ita explanare. *Et recreabit, quietosque praestabit, omnes filios Sethi.* Id enim Christus, qui hac stella designatur, omnibus hominibus saltem probis praestiturus re ipsa erat. Metaphora autem hoc pacto sese concinnam quam maxime cuique probat; nam et magnos principes astrorum nomine vocare mos fuit, neque Orientalibus modo (*a*), sed et aliis gentibus (*b*), et astris sive cometis eos portendi felicemque sub iis rerum vicissitudinem creditum est (*c*), deque ipso nomine *stella* ita Festus: *Stellam significare ait Atteius Capito laetum et prosperum, auctoritatem secutus P. Servilii auguris* (*d*).

19. Demum et participio מקרקר apud Isaiam (*e*) notionem hanc subesse plura credere suadent, non vero eam, quam Rosenmüllerus propugnat, ut participium hoc vertendum sit *destruens*. Incipit quippe vates describere grave malum Hierosolymae ab hostibus obventurum, exorditurque his verbis: *Dies enim interfectionis, et conculcationis, et fletuum, Domino Deo exercituum in valle visionis*, continuoque subdit: מְקַרְקַר קִר וְשׁוֹעַ אֶל־הָהָר (*f*), descripturus deinceps

(*a*) Vid. Is. XIV, 12; Dan. VIII, 10.

(*b*) Vid. *Ovid.* Trist. L. II. v. 167; De Ponto L. III. ep. 3. v. 2. Vid. *Gesenius* Thes. philol. crit ad v. כּוכב.

(*c*) Vid. Matth. II, 2; *Horapoll.* Hieroglyph. L. II. c. 1; *Virgil.* Ecl. IX, v. 47 coll. *Plin.* H. N. L. II. c. 23 al. 25 et *Sueton.* Caes. §. 88; *Horat.* Od. L. I. od. 12. v. 47.

(*d*) De verborum significat. L. XIX.

(*e*) Is. XXII, 5.

(*f*) Ib.

obsidionem urbis (*a*) apparatumque propugnationis (*b*). Sectatur itaque ordinem rerum, quo cum minime congruit murum urbis *destructum* dici ante obsidionem. Quid, quod paulo post (*c*), sicut ipse Rosenmüllerus locum hunc enarrat, murus dicatur *defensoribus nudatus*, inferius vero (*d*), non denuo *exstruendus*, sed *muniendus*? Verum, quod caput est, ipse Rosenmüllerus (*e*) Hieronymum (*f*) sequutus recte sentit vaticinium hoc pertinere ad bellum Iudaeis a Sennacheribo illatum. At nihil in murum urbis gessit Sennacheribus, ut comperimus ex historia iudaica (*g*), in paralipomenis autem, quod et Rosenmüllerus adnotavit, narratur Ezechias ad urbem muniendam defendendamque ea omnia praestitisse, quae ab Isaia praedicta legimus (*h*), praesertim vero, antequam ad urbem adventaret Sennacheribus, *aedificavit .... omnem murum, qui fuerat dissipatus*, profecto non a Sennacheribo, sed vel incuria vel alia quacumque de caussa, *et extruxit turres desuper*, *etc.* Quare hebraica illa explanare oportet vel secundum sententiam Schultensii (16), vel hoc modo: *Est, qui quietum praestat*, id est, *qui defendit murum*, *est*, *qui clamat*: *Ad montem confugite*; scilicet ante omnia βραχυλόγως, ut quandoque solet, describit Isaias, quid futurum erat ut Hierosolymae ageretur accepto nuntio de Assyriis contra eam contendentibus, civesque alios de defensione urbis, alios de fuga arripienda, cogitasse.

20. Verbum *vastabit*, quod habet vulgatus interpres, bellicum est, ab eodem autem hoc interprete passim redditur pro verbis hebraicis, quorum communis notio est *bello capere*. Sic in Ezechiele illud: Vastabunt *opes tuas* (*i*), idem est ac: *Spoliabunt te opibus tuis*, ut evincit tum verbum hebraicum שָׁלַל, tum parallelismus poeticus institutus cum iis, quae statim sequuntur: diripient *negotiationes tuas*. Idumaei quoque dicuntur *vastasse* terram Israelitarum, quam optaverant *sibi* in haereditatem (*k*), quum tamen nemo vastari optet, multoque minus ipse vastet ea, quae haereditario possidere cupit; ideo-

(*a*) Ib. 6-8.
(*b*) Ib. 8-11.
(*c*) Ib. 6.
(*d*) Ib. 10.
(*e*) Schol. in Is. XXII Argument.
(*f*) In h. l.
(*g*) IV Reg. XVIII, 13 - XIX, 1 - 35; II Par. XXXII, 1 - 21.
(*h*) Conf. II Par. XXXII, 3 - 6.
(*i*) Ezech. XXVI, 12.
(*k*) Ib. XXXVI, 5.

que neque hic verbum illud sonat *cladem* et *calamitatem inferre*, sed solum *bello capere* ac *potiri (a)*. Quare illud *vastabit* apprime convenit cum verbo προνομεύσει, quod usurparunt alexandrini interpretes, proinde nequeunt interpretem vulgatum in suas partes cogere ii, qui קרקר vertunt *destruet*. Quum autem Messias subinde a scriptoribus sacris inducatur bellum hominibus inferens ad eos sibi subiiciendos (*b*), verbum *vastabit* acceptum in eum sensum, quem diximus, id est, *bello capiet*, peropportune in hoc oraculo usurpari patet. Quumque praeterea etiam septuaginta interpretes in hunc sensum acceperint verbum hebraicum, nec aliter syrus accepisse videatur, quidni dicamus huic hebraico verbo talem notionem reapse subesse? At enim, si *stella* non apte fingitur *destruere* (14), cur fingatur *praedari?* Scilicet quia *praedatio* haec, non hostilitas quaedam futura erat ad captivos ducendos, sed maximum potentissimi et clementissimi regis, qui per stellam illam significabatur, beneficium, quo in libertatem eos, quos sibi subiiceret, adserturus erat.

21. *Omnes filios Seth.* Plurimos reperies, qui negent nomen hebraicum שֵׁת hoc loco significare Adami filium, quibus omnibus communis haec ratio est, notionem verbi קרקר esse *destruere*, *perdere*, *hostiliter praedari*, quae neque Christus, neque David, neque alius Israelitarum, dici potest in *omnes filios Seth*, id est, in omnes homines, egisse. Tum quorsum hic mentio omnium hominum, et quidem inter Moabitas et Idumaeos? Hinc illi, prout eorum quisque putabat hoc vaticinium vel de Christo, vel de Davide, vel de populo israelitico, dictum esse, diversas nominis שת interpretationes in suis commentariis scribendis excogitarunt, quarum ad duodecim usque et forte amplius numeres. Has saltem perstringere iuvat, quo discrepantiae inter interpretes vel in una vocula specimen luculentissimum praebeamus.

22. Pars enim sentiunt בני שת esse Moabitas, nomen vero שת vel proprium esse

---

(*a*) Vid. etiam II Reg. XII, 28.

(*b*) Ps. II, 8. 9; XLIV, 4. 6; Is. LXIII, 3 seqq.

I *Regis* alicuius ignoti Moabitarum (*a*),

II *Urbis* alicuius item ignotae in Moabitide (*b*),

vel appellativum

III Ignotae significationis,

aut unum significans ex iis, quae subdimus.

IV *Verticem montis fractum*, ex arabico شَتّ, quia aetate illa Moabitae planitie pulsi ab Amorrhaeis (*c*) montana solum incolebant (*d*). At non incolebant solummodo *fractos montium vertices*.

V *Elevationem*, μεταφοφικως, id est, *superbiam*, quia שת idem est, inquiunt, ac שָׁאוֹן, quod *elevationem* sonat; in loco autem huic parallelo apud Ieremiam Moabitae בְּנֵי שָׁאוֹן *filii superbiae (e)* vocantur (*f*). At verum non est שאון esse *elevationem*, quasi si deductum sit a נָשָׂא *elevavit*, ut falso ponitur, quum illud litera שׁ, hoc autem litera שׂ, scribatur.

VI *Podicem*, ob Moabitarum originem ductam ex incestu (*g*), quod tamen turpiter sordet; nec rei exprimendae aptum est.

VII *Ebrium*, ob Loti Moabitarum patris ebrietatem (*h*), ut שת sit a שָׁתָה *bibit*, sicut בֵּן, זֵר, גֵּו, כֵּם, sunt a בָּנָה, זָרָה, כָּסָה, גָּוָה (*i*). Desunt tamen exempla, quibus haec significatio nomini illi tribui possit.

23. Pars, quum neque Christus neque ullus Israelitarum Moabitas omnes deleverit, accipiunt שת esse nomen appellativum, sed alias ei notiones affingunt, et כָּל-בְּנֵי-שֵׁת aiunt esse hostes Israelitarum. Notiones vero illae sunt, quas infra enumeramus.

VIII *Podex*, ita ut בני שת sint populi, quotquot Balaam tunc loquens versa facie ad Israelitas contra occasum *post tergum* ha-

(*a*) *Grotius* in h. l.

(*b*) *Nathan* apud *Drusium* in h. l.

(*c*) Vid. *Relandi* Palaestina L. I. c. 20; *Rosenmüll.* Schol. in Num. XXII, 1.

(*d*) *Clericus* in h. l.

(*e*) Ier. XLVIII, 45; Conf. ib. 29 et Is. XVI, 6.

(*f*) La sainte bible *De Vence* T. III. p. 301. Paris 1827.

(*g*) *Hafcuni* ap. *Drusium* in h. l. Conf. Gen. XIX, 31-37.

(*h*) Gen. ib.

(*i*) *Hillerus* ap. *Io. Henricum Michaelis* Not. brevior. in h. l. bibl. hebr.

bebat, id est, omnes Orientales (*a*); cui interpretationi consonat interpretatio hierosolymitana, ubi hebraica vertuntur: *omnes filios Orientis*. At translatio nimis aspera est, longeque nimis atque indecore petita. Tum longe plures populos deleverunt Israelitae ex iis, qui tunc erant *coram* Balaamo, hoc est, quorum regiones occasum versus porrigebantur, puta, omnes Chananaeos.

IX *Obsidio*, ita ut *filii obsidionis* sint *hostes*, *per quos Israelitae quasi perpetua obsidione pressi essent*, *ducto nomine a verbo* שׁוּת, *quod Ps. III, 7 significat* OPPONERE CASTRA (*b*). At in illo psalmo OPPONERE CASTRA non est sensus verbi שׁוּת, sed interpretatio totius dictionis סָבִיב שָׁתוּ *circuitum* seu *gyrum posuerunt* (*c*), ubi verbum ipsum nihil sonat nisi *ponere*.

X *Fundamentum*, ut mutatis vocalibus hebraica vertenda ita sint: *omnes aedificatores fundamenti*, id est, aedificantes bene fundatas et munitas urbes (*d*). At id quoque nimis durum est, nimisque audax vocalium immutatio.

XI *Antiquitas*, ex syriaco ܥܬܩ, unde ܥܬܝܩܘܬܐ hoc idem sonans. Sunt autem *omnes filii antiquitatis* populi, *qui iam per multa secula contra omnium hostium impetus sese defendissent*, *tamen ab Israelitis* subiiciendi (*e*). Quae interpretatio et ipsa longius petita est, nec rerum eventui respondet.

XII *Strepitus* seu *tumultus*, qui fieri solet ex ruina, clade, vastatione, irruptione hostili. Putant quippe שׁת dictum esse pro שֵׁאת, huic vero eam subesse significationem (*f*), utpote orto ex eadem radice שָׁאָה, ex qua nomen שָׁאוֹן, quod *strepitum*, *tumultum*, significat. Cui interpretationi illud commode facit, quod in loco parallelo apud Ieremiam (*g*), Moabitae dicantur בְּנֵי שָׁאוֹן *filii tumultus* seu *vastationis*; idque totum illustratur verbis Amosi: וּמֵת בְּשָׁאוֹן מוֹאָב בִּתְרוּעָה

(*a*) *Iunius* et *Tremellius* ad h. l. in altera biblior. editione.

(*b*) *Iunius* et *Rosenmüll.* Schol. in h. l.

(*c*) Vid. I Par. XI, 8.

(*d*) *Io. David Michaelis* ap. *Rosenmüller.* in h. l.

(*e*) *Hezelius* ap. *Rosenmüll.* l. c.

(*f*) Thr. III, 47.

(*g*) Ier. XLVIII, 45.

בְּקוֹל שׁוֹפָר *et morietur in tumultu Moab, in barritu, in voce tubae (a)*, ubi reliquae voces confirmant illum esse sensum nominis שאון. Haec interpretatio a Verschuiro (*b*) proposita pluribus recentioribus in Germania placuit (*c*). Sed primo in threnis, non שַׁאת, sed שְׂאת legendum foret secundum translationes alexandrinam et vulgatam, codicesque ac libros typis editos bene multos, ex parte autem etiam vetustos et bonae notae, quo iam in nulla bibliorum pagina appareret nomen שאת. Tum, quia שאון illud sonat apud Ieremiam, ideo ne שת idem necessario sonet in Balaami vaticinio? neque enim duo haec loca parallela sunt omni ex parte (12); imo miraberis talia ea haberi, et ad sensum verborum Ieremiae בני שאון, qui procul dubio sunt Moabitae, et quidem soli, exigi a praedictis interpretibus verba Balaami בני שת, quae tamen ex ipsorum sententia, non Moabitas, aut saltem praeter hos alias quoque gentes, significant, quaeque iidem ipsi mirum quantum vexant, ut ea huic sententiae accommodent.

24. Verum, quum omnes istae interpretationes excogitatae sint ideo, quia creditum est verbum קרקר idem valere ac *destruere* seu *hostiliter vastare*, quod tamen secus esse demonstravimus (14), nequeant autem componi cum illa huius eiusdem verbi notione, quam superius veriorem esse contendimus (18. 19), longiore refutatione eae non indigent.

25. Nobis vero nomen שת nihil est nisi *Seth,* hunc vero dicimus esse ipsum Adami filium ita nuncupatum. Nam interpretes omnes, demptis Onkeloso, hierosolymitano (23 VIII), et mauritano, vocem ipsam retinuerunt, neque orientales modo, sed et graeci et latini; Onkelos vero, etsi nomen ipsum non retinuerit, pro suo tamen instituto παραφραστὴν agens magis favet sententiae nostrae, quam si retinuisset, hebraica enim sic vertit: *omnes filios hominis*, sicque

(*a*) Am. II, 2.

(*b*) Dissertationes philol. exeget. pag. 16. Leovard. 1773.

(*c*) *Dathe* Philolog. sacr. p. 782. Lipsiae 1776; *Rosenmüll.* in h. l.; *Gesenius* De pentat. samar. §. 11 et Thes. philol. crit. in v. שאה; *Winer* Lexic. ad v. שאה.

vertit etiam mauritanus interpres. Ex patribus, qui secus senserit, neminem reperi. E Iudaeis, qui nobiscum plane consentiunt, habes nobilissimos, puta, Salomonem Iarchium, Abrahamum Aben Ezram, Mosem Maiemonidem (*a*), Mosem Nachmanidem, Bechaium Ben Ascer, Iacobum Ben Ascer vulgo Baal Hatturim, Isaacum Arama (*b*), Iosephum Albo (*c*), omnes saeculo decimosexto priores, quibus procul dubio alii adnumerari possent. Praeterea nomen hebraicum שׁת, si locum unum demas, in quo aliam habet significationem sed ab hoc vaticinio prorsus alienam (*d*), in bibliis numquam est nisi nomen Sethi. Denique, quum hoc oraculum, sicut inferius palam fiet, de Christo editum sit, non modo nequit cum significatione verbi קרקר alia significatio nominis שׁת simul componi, sed haec, quam propugnamus, adeo apte cum illa componitur, ut pulcherrima inde exsistat sententia, maximeque obvia totique Balaami vaticinio imo et integrae eius parabolarum seriei accommodata, ac mire elegans parallelismus. An vero verba: *omnes filios Seth*, in proprium sensum sint accipienda, sonentque idem ac *omnes homines*, an potius in sensum translatum, et *omnes probos Christi asseclas* significent, ubi locus erit, disquiremus (56). Sunt, qui significationi tum translatae tum propriae illud obesse autumant, quod *omnibus filiis Sethi* locus esse nequeat inter Moabitas et Idumaeos; quae tamen difficultas disparebit, ubi explicabimus, quomodo et *Moab* et *Edom* in hoc oraculo translatum habeant significatum (49-55).

26. Inter verba, quae ex hactenus disputatis ita reddamus, oportet: *Incedet stella iacobaea, et surget virga israelitica, et percutiet latera Moabi, et recreabit omnes filios Sethi*, parallelismus, ut dictum est (25), deprehenditur ἀντιθετος et inversus. Opponuntur quippe, ac veluti pugnant inter se, *stella* et *virga*, *Moab* et *Seth*, *percussio* et *recreatio*. Ex quatuor autem periodi membris quartum primo, tertium secundo, respondet (*e*).

(*a*) Hilchoth melachim. c. 11. §. 1.

(*b*) Akidat Itzchak in h. l. f.° 58. col. 3.

(*c*) Sepher ikkarim L. IV. c. 42 ap. *De voisin*. Prooem. in Pugion. fid. f.° 68.

(*d*) Is. XX, 4.

(*e*) Vid. Lib. I. nu. 182. 183.

27. Quae secundum praedicta leguntur, sic ex hebraico sermone ad verbum sunt reddenda: *Et erit Edom hereditas, et erit hereditas Seir, inimici eius.* Nomina *Edom* et *Seir* non tamquam propria regionis hoc loco usurpantur, construuntur enim cum verbo masculino, sed tamquam nomina gentis. Sententia vero haec est: Fore, ut ei, quem stella virgaque significant, hereditate obveniant ipsi eius inimici Edom et Seir. Quorumdam opinio est *Seir*, non secus ac *Edom*, esse cognomen Esau, nam שָׂעִיר *pilosum* sonat, ipsamque regionem ab Esau possessam sic de eius cognomine appellatam fuisse (*a*). At, si attente legas caput XXXVI geneseos, interque se conferas potissimum versiculos 10, 19, 20, et 21, certior, puto, fies nominibus illis duos viros distingui. Ceterum, licet utrumque Esau cognomen foret, insolens non est in poesi Hebraeorum virum binominem veluti duos viros inducere (*b*), quod a Balaamo ipso saepius factum est (*c*), adeoque in hoc ipso vaticinio (*d*); quin et apud historicos bibliorum scriptores huius rei exemplum luculentissimum non deest (*e*). Tum eo tempore utriusque posteri iam in unum populum coaluerant, atque Idumaei vocabantur.

28. *Israel vero fortiter aget.* Hebraica ad verbum sic vertas: *Et Israel faciens virtutem*, id est, *vim*, *robur.* Verba haec sunt primum membrum periodi, quae ex his et ex sequentibus constat, ut prodit analogia inter utraque exsistens.

29. *De Iacob erit, qui dominetur*, vel, si verbum verbo reddamus: *Et dominabitur de Iacob*; in quibus ellipsim haberi manifestum est, dictaque haec sunt pro: *Et dominabitur vir, qui erit de stirpe Iacobi,* quod optime expressum est in translatione vulgata. Etenim verbum *dominabitur* hoc loco non construitur cum nomine *Israel,* quod prius legitur, quum nullo sensu forent haec: *Et Israel dominabitur de Iacob.* Sed neque cum nomine *stella* aut *virga* construi potest, iam enim sermo de iis absolutus est. Praeterea illud *de Iacob* vel significat locum, *de quo* stella seu virga esset egressura ad

---

(*a*) Vid. Gen. XXXVI, 8. 9.

(*b*) Vid. ib. XLIX, 7; Deut. XXXIII, 10; etc.

(*c*) Num. XXIII, 10. 21. 23; XXIV, 5.

(*d*) Ib. XXIV, 17 - 19.

(*e*) Ex. I, 1.

dominium exercendum, sed hoc includitur in illis: *Orietur stella ex Iacob etc*; vel locum, *in quo* stella seu virga veluti imperii sedem regiamque haberet, id est, *dominabitur ex regione Israelitarum*, at sensus iste nec commode fluit, nec satis congruit cum reliquis oraculi partibus, nec unquam verbum רָדָה construitur cum praepositione מִן *de*; vel denique locum, *ex quo* imperii seu ditionis initium duceretur, sed et hoc iisdem difficultatibus premitur. Superest igitur, ut dicamus haberi in hac sententia ellipsin pronominis *qui* poetis hebraeis per quam familiarem, et *de Iacob* idem valere, ac *qui erit de stirpe Iacobi.*

30. *Et perdat reliquias civitatis.* Hebraica sic sonant: *Et perdet relictum, de civitate*, in quibus, ut accentus indicant, utque ars grammatica Hebraeorum postulat, quae casum cum praepositione מִן *de* recipit utique post verbum הֶאֱבִיד *perdet*, non item post nomen שָׂרִיד *relictum*, illud *de civitate*, non cum *relictum*, sed cum *perdet* iungendum est. Nomen שריד proprie is est, qui *superstes* elabitur ex clade, ex ruina, ex vastatione hostili. Unde solemnis illa formula, quum de expugnatione urbium aut regionum vastatione agitur, הִשְׁאִיר שָׂרִיד (*a*), et huic opposita עַד־בִּלְתִּי הִשְׁאִיר שָׂרִיד לְכָל׳ (*b*); hinc ad *posteros* quoque significandos nomen hoc usurpatur (*c*). Quaenam vero sit illa civitas, inferius dicemus.

31. Declarata singularum vocum significatione ita secundum hanc totum vaticinium exprimi poterit: *Videbo eum, sed non (est) modo; intuebor eum, sed non (est) propinquus. Incedet stella (oritura) ex Iacobo et surget virga (germinatura) ex Israele, et percutiet utrumque latus Moabi, et recreabit omnes filios Sethi. Et erit Edom hereditas (eius), et erit hereditas (eius) Seir, inimici eius. Et Israel faciens robur*, id est, robuste, *et perdet de urbe, (quod) relictum (est).*

(*a*) Deut. II, 34; Ios. X, 28. 30. 37. 39. 40.

(*b*) Num. XXI, 35; Deut. III, 3; Ios. VIII, 22; X, 33; XI, 8; II Reg. X, 11.

(*c*) Iob. XVIII, 19; XXVII, 15.

ARTICULUS II

Verum vaticinium his verbis haberi demonstratur.

32. Constat quidem Balaamum ariolum fuisse (*a*) et auguria captasse (*b*), atque adeo in hac re, quam Balac rex Moabitarum ipsi demandaverat, gerenda contra Israelitas, et postquam, ne regis iussa faceret, pluries Deus obstiterat (*c*), etiamsi compertum insuper plane haberet fore, ut non alia agere aut loqui posset, nisi quae Deus vellet (*d*). Neque obest, quod Petrus *prophetam* illum vocet (*e*), quum saepe hoc nomine etiam, qui veri prophetae nequaquam sunt, appellentur (*f*). Neque quod Deum consuluerit (*g*), voluit enim et Israelitarum, ad quos diris devovendos vocabatur, numen consulere, quippe cuius terror omnes illas regiones iam pervaserat (*h*); tum simul et augurium ille quaesivit (*i*). Neque demum obsunt, quae Balaam de se loquitur (*k*), haec enim pertinent ad oracula, quae tunc divino numine edebat.

33. Vera quippe oracula, divino, inquam, numine edita, ea ceteroquin fuisse, quae Balaam protulisse narratur, historiam illam legentibus apparet manifesto. Nam propositum erat Balaamo Israelitis mala precari, utque id exsequeretur, ex alia regione advenerat (*l*), vocatus a rege Moabitarum, magnis praemiis atque honoribus allectus (*m*), nulla vero spe posita in Israelitis, a quibus demum necatus est (*n*); qui igitur fieri potuit, ut, contra ac sibi propositum fuerat, Israelitis iterum, tertio, et quarto, bene diceret? Quia nimirum Deus ipse agebat. Id sane ea confirmant, quae Balaam professus est, se auditorem esse *sermonum Dei*, se nosse *doctrinam Altissimi*,

---

(*a*) Ios. XIII, 22.
(*b*) Num. XXIV, 1.
(*c*) Conf. ib. XXII, 12. 20. 35; XXIII, 5. 16.
(*d*) Ib. XXII, 13. 18. 38; XXIII, 12. 20. 26; XXIV, 12. 13.
(*e*) II Petr. II, 16.
(*f*) Deut. XIII, 1. 3. 5. etc.
(*g*) Num. XXII, 8. 19; XXIII, 3.
(*h*) Ex. XV, 13-16; XXIII, 27; Deut. II, 25.
(*i*) Conf. Num. l. c. et XXIV, 1.
(*k*) Ib. XXIV, 4. 16.
(*l*) Ib. XXII, 5.
(*m*) Ib. 7. 17; XXIV, 11.
(*n*) Ib. XXXI, 8; Ios. XIII, 22.

se *visionem Omnipotentis* intueri (*a*), quaeque non erat profecto, cur confingeret, imo, ne confingeret, gravissimae eum rationes deterrebant. Illud idem expressis verbis tum ipse Balaam saepius adseveravit, idque coram Balaco ipso (*b*), tum Deus Balaamo non semel praedixit (*c*), tum Moyses factum reipsa esse narravit (*d*).

34. Quod attinet ad illa Balaami verba, quae nunc explanamus, verum ac proprie dictum vaticinium iis contineri arguit Origenes (*e*) ex praefatiuncula illa, a qua Balaam exorsus est (*f*), et quam ipse Origenes sic explicat: *Consilium Dei enuncio tibi, et manifesto.* Neque enim consilium, quod Balaam se regi daturum promittit, nefandum illud est, quod alio loco refert Moyses (*g*); quandoquidem, etsi apud vulgatum interpretem praefatiuncula illa sic habeat: *Dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat*, quo suspicari quis posset secus esse, ac dicimus, in exemplaribus tamen hebraico et samaritico, atque in translationibus graeca, syriaca, samaritica, arabica, contra ea legitur: *Dabo consilium, quid populus hic populo tuo faciet.* Tum ea, de quibus Balaam loquebatur, fieri debebant, ut ipse aiebat, בְּאַחֲרִית הַיָּמִים *in postrema dierum* seu, ut vertit vulgatus interpres, *extremo tempore*; quae dictio quid significet, inferius dicetur (46), sentis tamen significare non posse tempus illud proximum, quo continuo post Balaami discessum nefariis eius consiliis Moabitae in Israelitas usi sunt (*h*).

35. Neque sententiae, quam defendimus, illud obest, quod Balaam propheta non fuerit; nam neque eius asina loquela erat praedita, et tamen loquuta est (*i*), Caiphas quoque propheta non erat, et tamen *prophetavit (k).* Quod vero Balaam, ut legimus apud vulgatum interpretem, sese dicat hominem, *cuius obturatus est oculus (l)*, non magis officit; continuo quippe subdit se *visiones Omnipotentis* videre, et oculos sibi apertos fuisse (*m*); vocabulum autem שְׁתֻם, quod

(*a*) Ib. XXIV, 4. 16.
(*b*) Ib. XXII, 18. 38; XXIII, 3. 12. 20. 26; XXIV, 13.
(*c*) Ib. XXII, 20. 35; XXIII, 5. 16.
(*d*) Ib. XXIII, 5. 16; XXIV, 2.
(*e*) In Num. hom. XVIII. §. 2.
(*f*) Num. XXIV, 14.
(*g*) Ib. XXXI, 16. Conf. Apoc. II. 14.
(*h*) Conf. Num. XXIV, 25 cum XXV, 1 seqq.
(*i*) Ib. XXII, 28-30.
(*k*) Io. XI, 51.
(*l*) Num. XXIV, 3. 15.
(*m*) Ib. 4. 16.

latine versum est *obturatus*, interpretes graecus, chaldaeus, syrus, et arabs, in sensum oppositum acceperunt.

ARTICULUS III

De Christo agit Balaam hoc vaticinio.

36. Praedictum esse hoc vaticinio illustrem aliquem regem aut belli ducem de stirpe Iacobi, adeo perspicuum est vel sola verba legentibus, ut Guillelmus de Wette, infitians esse haec rei adhuc futurae praedictionem, contendensque Saulis et Davidis victorias bis contineri, certum dicat se habere oraculum hoc, quo gloria Hebraeorum augeretur, fuisse confictum (*a*), Bleek vero id factum esse existimet statim post debellatos a Saule Amalecitas (*b*); quibus minime assentiens Rosenmüllerus quantum ad seriorem huius capitis scriptionem, autumat Balaami sermone prodi *opinionem illam Orientem longe lateque inde a remotissimis seculis pervadentem de magno aliquo rege futuro*, non tamen *ad rerum gestarum veritatem*, *quae ... praedicit Bileamus*, *examinanda* arbitratur (*c*).

37. Nec minus clare patet hunc Balaami sermonem, non secus ac priores, metaphoris constare. Idque comprobat nomen hebraicum מָשָׁל latinumque *parabola*, quo singulatim septem illius vaticinia vocantur (*d*). Usus huius nominis hebraici in universum quinam sit, discere est a Io. Davide Michaelis (*e*), a Rosenmüllero (*f*), a Winero (*g*), a Gesenio (*h*), aliisque; attamen, quum vaticinia hoc nomine vocantur, ea semper allegorica sunt (*i*). Nobis Aben Ezra adstipulatur de his Balaami verbis sic scribens: *Sensus duplex et* משל *est (k)*, id est, sensus allegoricus est, qui duplex dici potest quodammodo. Sed iam propositionem nostram confirmemus.

(*a*) Kritik der Israelit. Gesch. pp. 363 seqq. 367 ap. *Rosenmüll.* Schol. in h. l.

(*b*) Bibl. exegel. Reperlor. P. I. p. 58 ap. *Rosenm.* l. c.

(*c*) L. c.

(*d*) Num. XXIII, 7. 18; XXIV, 3. 15. 20. 21. 23.

(*e*) Not. in *Rob. Lowth* De sacra poesi Praelect. IV. nn. 8. 14.

(*f*) Schol. in Prov. I, 1.

(*g*) Lexic.

(*h*) Thes. philol. crit.

(*i*) Vid. Is. XIV, 4; Ezech. XVII, 2; XX, 49.

(*k*) In h. l.

ARGUMENTUM I

Ex serie materiaque parabolarum.

38. Mihi quidem vera admodum videtur opinio Isaaci Abarbanelis (*a*), quam explanavit Fridericus Miegius (*b*), quatuor prioribus Balaami sermonibus seu parabolis describi quatuor aetates populi israelitici. Id ubi sic esse demonstraverimus, veritas quoque, arbitror, patebit nostrae propositionis.

39. Prima parabola (*c*) complectitur primam Israelitarum aetatem ab gentis totius primordiis usque ad eius egressum ex Aegypto. Commemorat enim Balaam Israelitarum a ceteris gentibus separationem (*d*), quae ab ipsa eorum origine repetenda est, quum Abraham a Deo e Chaldaea eductus (*e*), innumeraque ei posteritas promissa est, cuius quoque Balaam nunc meminit (*f*), minime praeteriens cetera bona, quae Deus Abrahamo tunc fuerat pollicitus (*g*); quae posteritas quaeque bona iterum ac tertio Abrahamo promissa, tum Isaaco, ac demum Iacobo (*h*), omnia pertinent ad primam illam aetatem. Conferenda etiam sunt illa Balaami: *pulverem Iacob*, cum illis: *eritque semen tuum quasi pulvis terrae (i)*, Iacobo a Deo dictis. Denique Israelitae in numerum adeo grandem, ut dixit Balaam, excreverant, dum in Aegypto morarentur (*k*), prima, inquam, illa aetate, totidem enim ferme numerabantur, quum Balaam ea loquebatur, ac numerati fuerant cum ex Aegypto profecti sunt (*l*). Prima igitur hac parabola meram historiam rerum prima aetate actarum haberi satis liquet.

40. Secunda parabola (*m*) partim historica partim vaticina persequitur ea, quae ab egressu ex Aegypto usque ad occupatam Cha-

(*a*) Comment. in h. l.
(*b*) Diss. de stella et sceptro bileam. §. 11 in *Hasaei* et *Ikenii* Thesauro.
(*c*) Num. XXIII, 7-10.
(*d*) Ib. 9.
(*e*) Gen. XII, 1-3.
(*f*) Num. XXIII, 10.
(*g*) Ib. 8
(*h*) Vid. Quaest. V.
(*i*) Gen. XXVIII, 14.
(*k*) Conf. Gen. XLVI, 27 cum Num. I, 1. 2. 3. 45. 46 et III, 39.
(*l*) Conf. Num. ll. cc. cum XXVI, 2. 51. 62.
(*m*) Ib. XXIII, 18-24.

naanitidem evenere. Pergit quippe Balaam, quo coeperat, primamque parabolam cum altera hac veluti copulat transitione illa (a): *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit?* quasi dicat: Quae promisit Deus, et ex parte iam praestitit, ut prius narravi, procul dubio praestare perget, donec ea impleat, sicut mox narrabo. Quibus, sicut etiam his, quae statim subdit (b), Balacum monet frustra eum esse, qui in Israelitas hostilia moliretur. *Non est idolum in Iacob, nec videtur simulacrum in Israel (c)*; haec patet dicta esse de secunda hac aetate, nam post occupatam Chanaanitidem et idola et simulacra non raro inter Israelitas visa sunt. Quod si hebraica ad verbum ita vertas: *Non intuitus est (Deus) aerumnam in Iacobo, et non vidit laborem in Israele*, sensus erit, Deum non sustinuisse adversa intueri, quibus videlicet Israelitae premebantur in Aegypto (d). *Dominus Deus eius cum eo est*, quae et priorum et posteriorum caussam rationemque nos docent; nec sane unquam alias tam palam Israelitis adfuit Deus, cumque ipsis veluti versatus est, quam ab extremis diebus, quibus in Aegypto morati sunt, adeo dum Chanaanitide potirentur, ut testantur plagae in Aegyptios immissae, angelus itineris dux, columna ex nebula et igne, traiectio maris erythraei, legis latio in Sina, conspicua Dei maiestas, hostes profligati, annona e caelo parata, serpens aeneus, vestimenta quadraginta annorum itinere minime attrita, Iordanes transmissus, sexcentaque alia prodigia. *Et clangor victoriae regis in illo*, sic optime interpres vulgatus obscuriorem hebraicorum vocabulorum sensum expressit; patet quippe ea pertinere ad Pharaonem Israelitas persequentem, idque comprobant ea, quae statim subduntur: *Deus eduxit illum de Aegypto (e)*, quoniam plenam libertatem Israelitis victoria illa adsertam fuisse tenendum est. *Cuius fortitudo similis est rhinocerotis*, quae ut ut hebraearum vocum vim referant, aut secus, in id procul dubio exemplar hebraicum et translationes o-

(a) Ib. 19.
(b) Ib. 20.
(c) Ib. 21.
(d) Conf. ib. 22.
(e) Ib.

mnes congrunnt, quod ea imago sit potentiae ac roboris Israelitarum; רְאֵם quippe genus est ferae indomabilis ac saevae (*a*), qualem adeo, ut aetate hac, populus israeliticus numquam sese exhibuit. Audi Rosenmüllerum: *Sic pulchra imagine sistetur populus israeliticus, antea iacens et sub Aegyptiorum servitute oppressus, nunc vero in libertatem assertus, et in feliciorem statum evectus (b)*; haec ille. *Non est augurium in Iacob nec divinatio in Israel (c).* nihil, inquam, incantamenta valent in Israelitas, quibus tales vires assiduus praepotensque numinis favor conciliat; quibus verbis rex Balac denuo monetur in praesenti frustra eos esse, qui contra Israelitas aliquid auderent, aut machinarentur; atque istud quoque de Israelitis dici non potuit, nisi quales erant eo tempore. *Ecce populus quasi leaena consurget etc. (d)*, quae apertissima praedictio est Chanaanitidis brevi ab Israelitis subiugandae; ut enim nunc leo iste dicitur non cubaturus *donec devoret praedam,* in tertia parabola (*e*), quae tertiae aetati respondet, iam cubasse dicitur (*f*). Compertum itaque, puto, cuique fiet argumentum huius secundae parabolae esse secundam Israelitarum aetatem, quam diximus.

41. Tertia parabola (*g*) vaticina tota est, respondetque tertiae aetati, quae fuit inter occupatam Chanaanitidem et ortum Christi. Animadvertit Miegius duabus prioribus parabolis Balaamum nihil esse praefatum, huic vero tertiae praefatur se auditorem esse *sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est (h)*; quare vero, nisi quia tota vaticina illa est? quod sane comprobat distributionem atque explanationem, quas facimus, harum parabolarum. Exorditur deinceps Balaam a laude Chanaanitidis, quam Israelitae possessuri erant (*i*), horumque in illa incrementum praedicit (*k*). Tum ex ordine de futuro eorum regno primoque rege, deque huius crimine poenaque inde sequuta. Nisi vero si hebraica sic vertere malis: *Sublimis erit prae Agago*, id est,

(*a*) Vid. *Rosenmüll.* Schol. in Ps. XXII, 22.
(*b*) Schol. in h. l.
(*c*) Num. XXIII, 23.
(*d*) Ib. 24.
(*e*) Ib. XXIV, 9.
(*f*) Conf. Gen. XLIX, 9.
(*g*) Num. XXIV, 3-9.
(*h*) Ib. 4.
(*i*) Ib. 5. 6.
(*k*) Ib. 7.

prae rege seu regno Amalecitarum, *rex eius, et extolletur regnum eius*, populi, inquam, israelitici; quibus verbis Israelitarum regnum regno Amalecitarum potentius praedicitur, hosque ab illis superandos, ita ut Agag sit vel ille ipse, quem Saul devicit *(a)*, vel alius cognominis, qui tunc regnaret, vel appellatio communis omnibus regibus Amalecitarum. Facile autem intelliges ideo cum his potius quam cum alia gente comparari Israelitas, quia Amalecitae omnium finitimorum populorum potentissimi haberentur, idque colligimus ex amplitudine regionis, quam incolebant *(b)*, atque ex eo, quod Balaam inferius illos vocet: *Principium gentium (c)*, id est, ut syrus interpres vertit: *Caput populorum.* Mox praenuntiatur, quam male res cessura sit gentibus, quae Israelitas in propria regione degentes attentabunt *(d)*; in sua, inquam, regione degentes, ideoque tertia hac aetate, nam gentes illae צָרָיו dicuntur, quod praesertim sonat *obsidione prementes.* Denique *(e)* describuntur Israelitae rebus pacatis Chanaanitidem secure possidentes sub imagine leonis cubantis et dormientis, quem nemo audet suscitare (40). Plane itaque constat agi hac parabola de aurea Israelitarum aetate, quae tertia est ex quatuor supradictis.

42. Quarta denique parabola *(f)*, tota item vaticina, ea est, quam explicamus, quaque postremam rei israeliticae aetatem ab ortu Christi ad gentis exterminium comprehendi satis iam ex exposita hactenus parabolarum serie et materia quemque facile intellecturum esse putamus. Duo interea, velim, attendas. Primum est Balaamum quartae huic parabolae narrandae non ea modo praefari, quae priori parabolae praefatus fuerat, sed et illud sublimius, se nosse *doctrinam Altissimi (g)*; quae sublimior praefatio credere suadet sublimiores quoque res praedictum iri. Alterum est, quod primae parabolae initium ducitur a separatione populi israelitici a ceteris gentibus, quae in ipsa huius origine facta est (39), quarta vero haec concluditur einsdem huius populi pernicie (59).

(a) I Reg. XV, 8.

(b) Conf. Ex. XVII, 8 cum Num. XXIV, 20 et I Reg. XV, 7.

(c) Num. ib.

(d) Ib. 8.

(e) Ib. 9.

(f) Ib. XXIV, 15-19.

(g) Ib. 16.

ARGUMENTUM II

Ex Balaami consilio.

43. Illud praeterea nostram propositionem confirmat, quod omnino videatur Balaamus quartam hanc parabolam protulisse eo consilio, ut Balaco solamen aliquod afferret. Is enim ob priores parabolas Balaamo succensens fugam maturare ipsum iusserat (*a*). Excusat Balaamus, ut semper prius, se aliter loqui non potuisse nec *praeterire sermonem Domini Dei* (*b*), continuoque sponte sua novam parabolam se prolaturum promittit (*c*), sponte, inquam, sua, non autem a rege rogatus, ut priores parabolas; atque ita promittit, ut qui aliquid regi gratum sit loquuturus, ipsum, non more vatis ac sermone quodam fatidico, sed blande amiceque ad auscultandum invitans (*d*). Iam vero quis credat Balaamum regi Moabitarum, dum ipsi ob priores parabolas is succensebat, is, inquam, cui imo obsequi ipsum Balaamum voluisse, sicut ex tota historiae huius serie, sic etiam ex nequissima fallacia apparet, quam regem illum docuit ad Israelitas perdendos (*e*), quis, inquam, credat novam hanc parabolam narrare ausum esse, siquidem haec proderet aliquod Israelitarum facinus, quod in Moabitas essent patraturi? Nonne putandus potius est eam deprompsisse Balaamum, ut aperiret, quid tandem fieret gente illa, quam Balac tantopere reformidabat, quidve ex ea boni omnibus gentibus esset adventurum? Tale fuisse Balaami consilium, si ea attente consideres, colliges quoque ex illis *non modo, ... non prope (f)*, uti iam animadverterunt Vatablus, Clarius, Munsterus, et Fagius (*g*). Denique hoc ipso factum fuisse videtur, ut Balac post auditam parabolam hanc nequaquam Balaamo iratus fuerit, sicut post alias.

(*a*) Ib. 11.
(*b*) Ib. 13.
(*c*) Ib. 14.
(*d*) Ib. hebr.
(*e*) Ib. XXXI, 16.
(*f*) Ib. XXIV, 17.
(*g*) In Critic. sacris.

ARGUMENTUM III

Ex partibus atque adiunctis ipsius vaticinii.

44. Sed ipsum vaticinium plura nobis suppeditat, quibus vincamus eo non alium quam Christum resque a Christo gerendas praenuntiari.

§. I

Exordium.

45. In ipso exordio consideranda sese offerunt pronomina *eum*, . . . *illum*, quibus significari nequit profecto populus Israelitarum; neque enim Balaam dicere poterat se illum *tunc* aut *prope* non videre, quem coram se habebat (*a*). Verum pronomina huiusmodi, quum nemo in sermone ponitur, ad quem pertineant, aliquem significant adeo illustrem notumque, ut illum nec nominari necesse sit, sicut recte adnotavit Caietanus (*b*). Hoc modo, quod exempli caussa sit, Isaias loquitur ipso initio suorum vaticiniorum (*c*). Sed quemnam adeo illustrem adeo notum virum, ut hac loquendi ratione describitur, ex Israelitis ortum Balaam se visurum praediceret, qui brevi erat interimendus (*d*), nisi Christum? quem utique olim visurus erat, etsi nequaquam dum in vivis degeret, ideoque addit : *non modo*, . . . *non prope*.

46. Praeterea haec : *non modo*, . . . *non prope*, videntur omnino respondere et consonare illis : באחרית הימים *in postrema dierum* seu *in novissimis diebus (e)*, quibus Balaam edixit, quandonam ea futura essent, quae regi se aperturum promittebat. At dictione ista hebraica Messiae aetatem significari et ex scripturis colligimus (*f*), et Iudaei testantur (*g*).

(*a*) Conf. Num. XXII, 41; XXIII, 13; XXIV, 2.
(*b*) In h. l.
(*c*) Is. I, 6. Vid. et V, 26.
(*d*) Num. XXXI, 8.
(*e*) Ib. XXIV, 14.
(*f*) Vid. Genes. XLIX, 1 coll. 10; Deuter. IV, 30 coll. 25-29; Is. II, 2; Mich. IV, 1. Conf. I Cor. X, 11; I Io. II, 18.
(*g*) Vid. *Schoettgen*. Hor. hebr. in Act. II, 16 et in II Tim. III, 1; De Messia L. I. c. 2. §§. 1. 2.

47. Quare non caret probabilitate sententia Wisthoni et Parkeri (*a*), Balaamum eamdem spem his verbis prae se tulisse, qua Iob tenebatur, ubi aiebat: *In carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt (b).*

§. II

Stella et virga.

48. *Stellae* item et *virgae* appellationes e re nostra sunt. Aptissime enim sub imagine stellae Christum praemonstrari nullus dubitabis, sive dicta superius (18) consideres, sive caelestem eius originem spectes, sive doctrinae suae lumen, quod orbi universo affulsit, sive beneficam eius virtutem, sive quod, immensus quum esset, minimus comparuerit, qui praeterea, ubi ortus est, stellae indicio, proprio veluti symbolo, agnitus est, quique se ipse *stellam matutinam* vocavit (*c*). Dices fortasse, alios quoque hac stellae imagine posse portendi. At nemo melius quam Christus; his autem adiunctis, quae sunt in hoc vaticinio, nemo nisi Christus. *Virga* vero etiam ab Isaia Christus appellatus est: *Egredietur virga de radice Iesse (d).* Raymundus Martinius (*e*) secundum Origenem (*f*) et Eusebium (*g*) per *stellam* divinitatem, per virgam humanitatem Christi, portendi autumat.

§. III

Moab, Edom.

49. Metaphoris constare hoc vaticinium iam animadvertimus (37), quare et nomina gentium, *Moab, Edom*, in sensum translatum accipi nihil vetat; an autem ita accipi debeant, sique ita accipiantur, quae-

(*a*) Ap. *Lachais* La sainte bible in h. l.
(*b*) Iob. XIX, 26. 27.
(*c*) Apoc. XXII, 16.
(*d*) Is. XI, 1.
(*e*) Pug. fid. P. III. dist. III. c. 9. §. 5.
(*f*) In Num. hom. XVIII. §. 4.
(*g*) Dem. evang. L. IX. §. 1.

nam sit eorum significatio, disquirendum modo est. Ea quidem, quae de his gentibus Balaam vaticinatur, translata esse, earum historia testatur.

50. Praedicit enim fore, ut Idumaea (27) hereditate cedat illi Israelitarum principi, de quo loquitur. Id vero secundum proprium verborum sensum directo adversatur Dei promissionibus, quibus edixit se numquam concessurum Israelitis regionem illam, quod eam addixerit posteris Esau (*a*). Subegit quidem David Idumaeos, magnaque clade affecit (*b*), qui tamen mox Salomone regnante rebellare coeperunt (*c*), iugumque omnino excusserunt regnante Ioramo (*d*), ac demum Herode Idumaeo Iudaeae potito dici potius debuit regio haec Idumaeis cessisse.

51. At, si translata sunt, quae de Idumaea praedicuntur a Balaamo, iam tantum non cogimur translata habere ea quoque, quae praedicuntur de Moabitide. Tum, etsi aliquoties Israelitae Moabitas proelio ceciderint (*e*), iisdemque David tributum imperaverit (*f*), quod praedictum videtur illis verbis: *et percutiet duces Moab*, horum tamen sensus, prout est in exemplari hebraico, nosque eum superius sic expressimus: *et percutiet utrumque latus Moabi* (10), maius quid, quam victoriam aliquam aut tributa indicta, sonat, nam *percutere utrumque latus*, praesertim si attendas vim verbi מחץ, facile intelligis idem valere ac *transfodere*. At Moabitae decem et octo annis Israelitas servitio pressere (*g*), et, quamquam interdum ab his devicti et tributo damnati, non tamen unquam prorsus subacti sunt, quum proprios reges habere pergerent (*h*), ac demum servitutem hanc a se depulerunt (*i*), saepiusque Iudaeos vexarunt (*k*); quin et partem regionis israeliticae ab ipsis occupatam fuisse discimus ex variis Isaiae

(*a*) Deuter. II, 5.
(*b*) II Reg. VIII, 14; III Reg. XI, 15. 16.
(*c*) III Reg. XI, 14-25.
(*d*) IV Reg. VIII, 20-22.
(*e*) Iudic. III, 29; I Reg. XIV, 47; IV Reg. III, 24.
(*f*) II Reg. VIII, 2; IV Reg. III, 4.
(*g*) Iudic. III, 14.
(*h*) IV Reg. III, 4.
(*i*) Ib. I, 1; III, 5.
(*k*) Ib. XIII, 20; XXIV, 2; II Par. XX, 1. 2.

et Ieremiae vaticiniis (*a*) , atque ex historiis Iosephi (*b*) colligimus. Mitto , quod Moabitae maxima semper potentia atque opulentia floruerint, cuius rei testes sunt scriptor paralipomenon (*c*) , praesertim vero Isaias (*d*) et Ieremias (*e*) , qui tot ac tanta de illis loquuti sunt, quanta nec de Ammonitis , nec de Idumaeis, neque de ulla aliarum gentium finitimarum. Quamobrem proprius sensus verborum Balaami nullo pacto cum historiae veritate cohaerere potest.

52. Translata itaque sint, oportet, tum quae de Moabitis, tum quae de Idumaeis, Balaam futura praedicit. Nomina tamen ipsa *Moab* et *Edom* integrum fortasse est vel in proprium sensum vel in translatum accipere ; in utrumvis tamen sumas , numquam , quae praedicuntur de illis gentibus , commode interpretaberis , ita ut cum reliquis vaticinii partibus interpretatio tua cohaereat, nisi positum habeas haec ad Christum pertinere.

53. Si in sensum proprium nomina illa accipias, sic vaticinium exponas , necesse erit , ut Balaam praedixerit Balaco Moabitarum regi atque hosti Israelitarum fore, ut Moabitae atque Idumaei ab illo e Iacobi posteris subigerentur, quem stellae ac virgae nomine vocabat , quique homines universos (25) sibi subiectos et ad se convocatos recreaturus ac pacaturus erat (18), ipsos quoque inimicos , nempe qui Deum prius non noverant, quales tunc erant Idumaei ipsique Moabitae.

54. Sin autem , quod sane praestat , translata esse ea nomina putes, patet nil aptius per Moabitas Israelitarum hostes portendi, quam hostes eorum, qui Deum colunt, quique *Dei populus* appellari solent, et quorum τυπον fuisse Israelitas certo constat, sicut etiam constat illiusmodi hostes a Christo plane fuisse debellandos, quo is *omnes filios Seth*, id est, omnes homines saltem probos, *recrearet*, *quietosque redderet*. Ratio vero, cur Moabitae potius quam alia gens talem personam gerentes a Balaamo inducantur, non una est nec levis momenti. Nam id ferebant locus, tempus, aliaque adiuncta, quando-

(*a*) Vid. *Rosenmüll.* Schol. in Is. Argument. cc. XV et XVI.

(*b*) Antiq. L. XIII. c. 15. §. 4. Vid. *Rosenm.* ib.

(*c*) II Par. XX, 25.

(*d*) Is. XV, XVI.

(*e*) Ier. XLVIII.

quidem tunc et Moabitas Balaam alloquebatur, et de Moabitis agebatur, et Moabitae sese hostes apertos in Israelitas gerebant. Insuper non alia gens Israelitis inimica tam frequenter in scripturis sacris a prophetis praesertim commemoratur, tamque constanter hostilem animum in Israelitas prae se tulit, quam Moabitae. Imo nulla alia gens adeo gravia, ut Moabitae, contra Israelitas machinata est, quippe quos ad nefandissima scelera fraude pessima pellexerunt eo consilio, ut Deum ipsum in eos concitarent (*a*), quod et assequuti sunt, reis nocentibus ad viginti quatuor millia Dei iussu interfectis (*b*).

55. *Edom* vero *inimicus eius*, qui *stellae* ac *virgae* appellatione designatur, τυπος fuit gentium Dei cultu alienarum, sed quae, tandem futurum erat, ut Christo colla subderent, ita ut pars haec vaticinii gemina illius sit, quo David Deum sic cum filio loquentem inducit: *Dabo tibi* gentes hereditatem tuam (*c*). Haec interpretatio non modo ipsorum Iudaeorum auctoritate sese tuetur, a quibus *Edom* olim imperio romano, exinde Christianis, nomen factum est (*d*), sed, quod caput est, Paulum ipsum habet auctorem, qui in epistola ad Romanos data, cuius rei τυπον gererent Israel et Edom, id est, Iacob et Esau, longo sermone nos docuit (*e*), argumentis ex ipsa duorum fratrum historia petitis (*f*).

§. IV

Filii Sethi.

56. Quae de filiis Sethi praedicuntur, qui demum cumque sit sensus verbi קרקר, patet ea neminem praestare potuisse nisi Christum, quandoquidem iste *Seth* est ipse Adami filius, idque ipsum expresse affirmant Moses Maiemonides (*g*) et Ioseph Albo (*h*). At, si de

(*a*) Num. XXXI, 16 coll. 2 et XXV, 1-3.

(*b*) Ib. XXV, 9.

(*c*) Ps. II, 8.

(*d*) Vid. *Buxtorf.* Lex. chald. talm. ad v. אדום.

(*e*) Rom. IX, 6 seqq.

(*f*) Gen. XXV, 21-25.

(*g*) Hileoth melachim c. 11. §. 1.

(*h*) Sepher ikkarim L. IV. c. 42.

Christo haec dicta sunt, quid sonabit verbum illud? quid illa: *omnes filios Seth*? Siquidem verbum illud, ut fecimus (18.19), vertas *recreabit*, *quietos praestabit*, profecto iam sentis, quid sonet, et quam vere affirmem hanc vaticinii partem non de alio quam de Christo dictam esse posse. Sin autem pro verbo illo reddas cum Hieronymo *vastabit*, itaque, ut fecimus (20), utque fieri debet, istud exponas, hoc quoque pacto totam sententiam res Christi gestas, nec aliud quidquam praeter has, significare pervidebis, ac belle respondere aliis quibusdam de Christo vaticiniis, puta, quod edidit Iacob (*a*), quod Isaias (*b*), quod Michaeas (*c*), illisque verbis Ioannis, *quod Iesus* . . . FILIOS DEI, *qui erant dispersi*, CONGREGARET IN UNUM (*d*). Quod attinet ad *omnes filios Seth*, non videntur haec in proprium sensum esse accipienda; eccur enim Caini filii praeteriti? Si respondeas eos esse omnes homines, qui aetate Christi et post Christum victuri erant, quique omnes Sethi filii sunt procul dubio, et quibus solis lux illa affulsit, qua Christus veluti *stella* orbem collustravit, ipse illud obiiciam, eos omnes esse utique *filios Seth*, sed non esse *omnes filios Seth*, nempe Sethi filii fuerunt etiam, quotquot a Noe ad Christum usque vixere, pluresque alii ante Noe. Translata proinde est haec appellatio, eaque designantur vel homines veram religionem profitentes, qui *populus fidelis* vocari solent, vel homines omnes iusti et probi. Primum ex his duobus quominus nobis sese probet saltem aeque ac alterum, illud obstat, quod τυπον gerere *populi fidelis* proprium ac peculiare fuerit genti israeliticae, quae mox a Balaamo commemoratur. Posterius itaque praeferendum est, praesertim quia homines iusti ac probi ii sunt, quos Christus *expolians principatus et potestates*, qui per Moabitas significantur in hoc vaticinio, ac *palam triumphans* ... *in semetipso* (*e*), *recreaturus* erat et *quietos praestiturus*; tum etiam quia Sethi filii videntur quodammodo tacite opponi filiis Caini, quos improborum figuram gessisse, quamquam scriptorum sacrorum testimonio probare certo nequeamus, vero tamen haud absimile est (*f*);

(*a*) Gen. XLIX, 10 hebr. Vid. Quaest. VI. nn. 39. 40.
(*b*) Is. II, 2.
(*c*) Mich. IV, 1. 2.
(*d*) Io. XI, 51. 52.
(*e*) Coloss. II, 15.
(*f*) Conf. I Io. III, 12 seqq.; Iud. 11.

tum denique quia appellatio *filii Dei*, qua homines iusti ac probi non semel designantur in novo testamento (*a*), eadem Sethi filios, ut verior fert sententia, in genesi designat (*b*). Iudaeos autem in hac quaestione nobis suffragari testis est Meir Gabbaides, e schola Kabbalistarum, scribens a Caino esse omnes improbos, sicut a Setho sunt omnes probi (*c*).

§. V

Israelis fortia facta.

57. Verba *Israel vero fortiter aget* in sensum proprium accepta Israelitarum fortia facta significarent. At, quum et superiora et ea, quae sequuntur, translata sint, resque a Christo gerendas dumtaxat sonent, propriae illi praedictorum verborum significationi locum nunc non esse quisque intelligit. Pergit igitur Balaam ἀλληγορεῖν, atque his verbis *populi fidelis*, cuius τύπος fuit Israel, incrementa praedicit, quae futura erant post eversam a Christo tyrannidem daemonum, quos Moab (54), abstractasque a cultu fictorum numinum ceteras gentes, quas Edom (55) portendebat.

§. VI

Dominator de stirpe Iacobi.

58. Sequuntur illa: *De Iacob erit, qui dominetur*, vel, ut hebraica sonant: *Et dominabitur (vir oriturus) de Iacobo* (29), non alius procul dubio, quam qui prius *stella de Iacobo* oritura et *virga ex Israele* germinatura vocatus est; nam de duobus vaticinatum esse Balaamum ne suspicari quidem sinit series materiesque vaticinii. Verbum *dominari* absolute positum universalem dominatum, qualis Christo est, belle exprimit (*d*).

(*a*) Io. XI, 52; Rom. IX, 8; I Io. III, 10; etc.

(*b*) Gen. VI, 2.

(*c*) L. IV. c. 14 ap. *Iac. Rhenferd.* Diss. de Sethianis §. LIX in *Ugolini* Thesauro T. XXII.

(*d*) Conf. Is. XVI, 1; XL, 10; Mich. V, 2; Zach. VI, 13; Mal. III, 1.

§. VII

Reliquiae urbis.

59. Quaenam ea civitas sit, cuius mentione vaticinium absolvitur, quaerendum modo est. Negotium totum duas inter gentes tunc transigebatur, Israelitas inter et Moabitas; quamobrem ad alterutram civitas illa pertinere putanda est. Fuisse autem principem urbem minime dubitamus, quum absolute et κατ' ἐξοχὴν commemoretur, id enim, sicut aliis gentibus, ita quoque Israelitis moris erat (*a*). At nemo de regibus israelitis *principem urbem* vel Moabitarum vel Israelitarum, proinde nec populum in ea *superstitem*, unquam *perdidit*. Ergo ex hoc quoque capite haec de Christo dicta esse concludendum est. Et, siquidem urbs princeps Moabitarum illa sit, in nomine *civitatis* tropus erit illius similis, quem diximus esse in nomine *Moab* (54. 56), illaque: *et perdet reliquias civitatis*, significabunt fore, ut Christus reliquias imperii daemonum, quae usque adhuc supersunt, sit tandem plane destructurus. Sin autem, quod magis placet, magisque cohaeret cum tota serie harum parabolarum (42), urbs illa sit Hierosolyma, praedictam habebis a Balaamo huius urbis gentisque israeliticae, quae in ea *superstes* erat, πανωλεθρίαν, et Christo auctori tributam, utpote cuius respectu fieri debebat.

ARGUMENTUM IV

Ex diversorum auctoritatibus

60. Patres ad unum omnes, quotquot haec interpretantur, miro consensu tradunt vaticinium de Christo his contineri. Praecipuos nominabo. Ex graecis Iustinum (*b*), Irenaeum (*c*), Origenem (*d*),

(*a*) Vid. Eccli. L, 5; Ezech. XXXIII, 21; Dan. IX, 26; Am. VI, 8; etc.

(*b*) Apol. I. §. 32; Dial. cum Tryph. §. 106.

(*c*) Haer. L. III. c. 9. §. 2.

(*d*) Cont. Cels. L. I. §§. 59. 60; In Num. hom. XIII. §. 7; hom. XVIII. §. 4; et al.

Eusebium Pamphili (*a*), Athanasium (*b*), Basilium, qui esse creditur (*c*), Gregorium Nyssenum (*d*), Diodorum Tarsensem (*e*), Cyrillum Alexandrinum (*f*), Cosmam Aegyptium (*g*), Theophylactum (*h*). Ex latinis Cyprianum (*i*), Lactantium, (*k*), Ambrosium (*l*), Hieronymum (*m*), anctorem *Operis imperfecti in Matthaeum* (*n*), Evagrium (*o*), anctorem *Quaestionum veteris et novi testamenti* (*p*), Maximum Taurinensem (*q*), Leonem (*r*), scriptorem libri *De promissionibus et praedictionibus Dei* (*s*), Vigilium Tapsensem (*t*), Gregorium Magnum (*u*), Bedam (*v*).

61. Missos facio posteriores interpretes scripturarum ex Catholicis, quorum ne unum quidem, arbitror, reperies, qui secus ac patres praedicti sentiat. Ex Protestantibus superiorum praesertim aetatum plures nobiscum consentiunt, puta, Munsterus, Fagius, Drusius (*x*), Clericus (*y*), Heinsius (*z*), Willemerus (*aa*), Miegius (38), Warburton, Wisthon, Parker, Gill's (*bb*), Lachais (*cc*), Ioannes Henricus Michaelis (*dd*), Rosenmüllerus (*ee*), qui tamen negat vaticina haec esse, sed ad opinionem, quae inter Orientales obtinebat, accommodata. Grotius vero, pro sua opinione de duplici sensu vaticiniorum (*ff*),

(*a*) Dem. ev. L. III. §. 2; L. IX. §. 1.
(*b*) De incarn. §. 33.
(*c*) Or. XXV in sanct. Chr. generation. §. 5.
(*d*) Testimon. II adv. Iud.
(*e*) Ap. *Photium* Biblioth. sub fin. cod. CCXXIII.
(*f*) In Iulian. L. VIII. p. 263. Lipsiae 1696.
(*g*) De opific. mundi L. V. p. 222 ed. *Montfauc.*
(*h*) In Matth. II, 2.
(*i*) Testimonior. L. II. c. 10.
(*k*) Institut. div. L. IV. c. 13.
(*l*) In Luc. L. II. §. 45.
(*m*) Ad Fabiol. ep. LXXVIII al. CXXVII. §. 42 coll. ad Ocean. ep. LXXVII al. XXX. §. 7; in Matth. II, 2.
(*n*) Hom. II al. III int. opp. *Chrysostomi* T. VI. p. XXVIII ed. *Montfauc.*
(*o*) Consultat. Zacch. et Apollon. L. II. c. 4.
(*p*) Quaest. LXIII.
(*q*) Hom. XX al. de Epiph. IV; hom. XXVI al. de Epiph. X.
(*r*) Serm. XXXIV al. XXXIII, qui et IV de Epiph. c. 2.
(*s*) P. III. prom. 6.
(*t*) Contr. Varimad. L. II. c. 16.
(*u*) In Iob. L. XXVII. c. 35. §. 59.
(*v*) In Matth. II; Quaestion. lib. q. 1.
(*x*) In Criticis sacr. h. l.
(*y*) In h. l.
(*z*) Ap. *Lachais*. La sainte bible in h. l. La Haye 1742.
(*aa*) Diss. de stella ex Iacobo orinnda, in Thesauro theol. philol. Amstelaed. 1701.
(*bb*) Ap. *Lachais*. l. c.
(*cc*) Ib.
(*dd*) In annot. brevib. ad biblia hebr. in h. l.
(*ee*) Schol. in b. l.
(*ff*) Vid. Lib. I. nu.° 393. 488.

haec proprie de Davide, τυπικῶς de Christo, praedicta fuisse existimat (a).

62. Scribit Munsterus (b), per stellam a Balaamo praedictam Messiam portendi, opinionem esse omnium Iudaeorum; quod tamen verum non est. Verius fortasse Petrus Cunaeus (c) ait, nullum vaticiniorum magis quam istud admiratione dignum a Iudaeis existimari. Illud indubium, Balaami verba ita a plerisque ac praecipuis Iudaeorum doctoribus, etiam qui vetustissimi habentur, exponi, ut quae vel integre vel ex parte de Messia dicta sint. Sic factum reperies in Pesikta rabbathi (d), in Medrascim rabboth (e), in Zohar (f), in Tikkune zohar (g), in Zohar chadasch (h). Sic quoque fecerunt Moses Haddarschan praeceptor Salomonis Iarchi in suo Bereschith rabba manu scripto (i), ipse Salomon Iarchi (k), scriptor libri Nitzachon vetustioris (l), Tobias Ben Eliezer scribens haec dicta esse *de Messia filio Iosephi, qui congregabit discipulos in Galilaea (m)*, Aben Ezra, qui narrat haec *a multis exponi de Messia (n)*, Moses Maiemonides, qui ita fere totum oraculum distribuit, ut priora hemistichia ad Davidem, posteriora ad Messiam, pertineant (o), atque ex hoc vaticinio argumentum petit ad comprobandum duodecimum dogma de tredecim religiosas omnes recentiorum Iudaeorum doctrinas continentibus, quod est de Messia (p), Moses Nachmanides (q), Bechaius Ben Ascer exponens oraculum sicut Maiemonides (r), Iacob Ben Ascer cognomi-

---

(a) In h. l.

(b) In Criticis sacr. h. l.

(c) De rep. Hebraeor. L. I. c. 17.

(d) Ap. *Schoettgen*. Hor. hebr. et talm. de Messia L. II de Num. XXIV, 19.

(e) Ib. locor. gener. nn. 9. 10; L. V. c. 1. class. III. §. 12.

(f) Ib. L. II. locor. gener. n.° 90; de Num. XXIV, 17; L. V. c. 1. class. III. §§. 11. 12; L. VI. c. 5. §. 6.

(g) Ib. L. II de Num. XXIV, 17.

(h) Ib. et locor. gener. n.° 100; L. V. c. 1. class. III. §. 4.

(i) Ap. *Raymund. Martin.* Pug. fid. P. III. dist. III. c. 9. §. 5. Vid. observat. *Ioannis De voisin* in hoc op. P. II. c. 3. p. 222.

(k) In h. l.

(l) Ap. *Wagensil.* Tela ignea Satanae p. 48.

(m) Pesikta zolarta f.° 58, 1. 2 et ap. *Ugolin.* Thesaur. T. XV. coll. 688. 692. 810.

(n) In h. l.

(o) Hilcoth melachim c. 11. §. 1.

(p) In cod. Sanhedr. c. 11 Chelek. §. 1.

(q) In h. l.

(r) In h. l.

ne Baal Hatturim (*a*), Ioseph Albo (*b*), Isaac Arama (*c*), Isaac Abarbanel (*d*), Abraham Seba, qui etiam argumentis ex kabbala depromptis rem confirmat (*e*), Isaac Ben Abraham (*f*), Salomon Ben Iizchak levites thessalonicensis (*g*). De quibus omnibus sive libris sive scriptoribus si quid nosse velis, adeas Wolfium (*h*) et Ioannem Bernardum de Rossi (*i*).

63. Porro interpretationem hanc apud Iudaeos novitiam minime esse evincit historia de Barcocheba, quo duce Iudaei Hadriano imperatore rebellarunt (*k*). Is quippe, quum sese Iudaeis pro Messia venditaret, commentum suum confirmabat ea, quae de stella praedixit Balaamus, sibi tamquam de se praedicta attribuens, occasione capta ex nomine suo, quod *filium stellae* significat, sive illud sibi ipse fecerit, sive a patre habuerit, sive etiam a patria, ut autumant Pontacus (*l*) et Relandus (*m*), qua fraude plurimos e popularibus suis in suas partes pertraxit. Lege, quae de hoc nebulone scripserunt Gedalias Ben Ioseph Iachia (*n*), Ioannes Buxtorfius (*o*), Ioannes a Lent (*p*), Ioannes Leonardus Haubnerus (*q*).

ARTICULUS IV

An astrum Christi natale his praenuntiatum sit.

64. Plures patres ex enumeratis (60) sensere, Magos, qui ad Christum venerunt, ex Balaami vaticinio stellam, quae ipsis visa est, olim

(*a*) In h. l.

(*b*) Sepher ikkarim L. IV. c. 42 ap. *Ioann. De voisin* Observ. in Prooem. Pug. fid. *Raymundi Martini* f.° 68.

(*c*) Akidath Itzchak Porta LXXXII. f.° 240, 4.

(*d*) Malene haiieschua, id est, Comment. in Daniel. p. 136 ap. *Vorstium* not. in *Abraban*. Rosch amana latine ab eo vers. c. 14. p. 67.

(*e*) Tzeror hammor in h. l.

(*f*) Chitzuk emuna P. II. c. 49.

(*g*) Dibre Scelomo P. I. f.° 277, 2.

(*h*) Biblioth. iudaic.

(*i*) Dizionario storico degli autori ebrei.

(*k*) *Iustinus* Apolog. I. §. 31; *Euseb.* H. E. L. IV. c. 6.

(*l*) Not. in *Euseb.* Chronic. ann. XVII Hadriani.

(*m*) Palaestina ex monum. veterib. illustr. L. III. Cochaba.

(*n*) Schalscheleth hakkabbala ap. *Martin.* Pug. fid. P. II. c. 2 in not. *Ioann. De voisin.*

(*o*) Synag. iudaic. c. 50. p. 719; Lexic. chald. talm. ad v. כוזיבא.

(*p*) Schediasma histor. philol. de Iudaeor. pseudomessiis c. 1. §. 9 seqq. ap. *Ugolin.* Thes. T. XXIII.

(*q*) De academiis Hebraeor. §. 13 ap. *eumd.* T XXI.

futuram, quidque ea portenderet, didicisse. Ita Iustinus, Irenaeus, Origenes, Eusebius, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Maximus Taurinensis, Diodorus Tarsensis, auctor *Operis imperfecti in Matthaeum*, qui totam hanc historiam refert, Evagrius, auctor *Quaestionum veteris et novi testamenti*, Leo, Beda, Theophylactus.

65. Nec levis est huius opinionis ratio, quam suggerit evangelium. Magi enim, quum Hierosolyma advenissent, ut Christum venerarentur, aiebant vidisse se *stellam eius (a)*. Quamnam autem ob caussam *stellam Christi* hanc vocare poterant, nisi quia Christum huiusque ortum ea portenderet? Christi vero *regis Iudaeorum* (*b*), illius, inquam, de quo Balaam haec praedixerat: *De Iacob erit, qui dominetur*, diem natalem per stellam hanc portendi qui poterant comperisse, nisi prius nossent futurum, ut stella aliqua diem illum annuntiaret? Unde porro id nossent, nisi ex aliquo vaticinio? At quodnam aliud, praeter illud Balaami, vaticinium est, in quo stella tamquam Christi symbolum usurpetur?

66. Narrat quidem Abulpharagius (*c*), qui floruit saeculo XIII, a Zoroastre praedictum fuisse Christi ortum, quem stella mirabilis proderet, eamque Magos sequuturos, ut dona illi afferrent. At suspicio est Abulpharagium ex *legendariis*, ut vocant, Christianorum orientalium exscriptam historiam hanc concinnasse (*d*). Constat praeterea Zoroastrem illum, quem sub Dario Hystaspis filio floruisse certum fere est (*e*), alium quam Magorum auctorem (*f*), et libros veteris testamenti novisse, et ex his plura transcripsisse (*g*).

67. Ioannes Fridericus Miegius (38) negat probabile videri Balaami vaticinium servatum fuisse apud eam gentem, ex qua erant Magi illi qui Christum invisere, quum putare non sit Balaamum, ut id fieret, curasse, ipse vero ab Israelitis necatus paucis post diebus id praestare nequiverit. At nonne et Aegyptios, et Persas, et Indos, et

(*a*) Matth. II, 2.

(*b*) Ib.

(*c*) Histor. dynastiar. p. 83 arab. p. 54 lat.

(*d*) Vid. *Lachais* La sainte bible in h. l. not.

(*e*) Vid. *Prideaux* Hist. des Juifs ann. 486 av. J. C.

(*f*) Vid. nostr. Quaestiones de evangel. Tit. XIII. q. 1. art. 2. ed. lithogr.

(*g*) Vid. *Prideaux* ib.

Graecos, et Romanos, suorum vatum sive effata sive oracula religiose asservasse, non secus ac Israelitas, testis historia est? Quare et Moabitae ipsi, vel pueri, quos secum ex regione sua adduxerat Balaam (*a*), huius vaticinium excepisse ac servasse, tum posteris tradidisse, non est, cur non credantur. Ad haec veri omnino simile est Magis, praesertim quum eorum esset sapientiam scientiasque profiteri, libros sacros Israelitarum notos fuisse.

68. Aliud enimvero longe gravius est, quod in hac quaestione difficultatem creat, ipsum videlicet *stellae* nomen, quod, non proprie, sed τροπικῶς usurpatum esse, quae superius disseruimus, plane demonstrant. Ut enim cetera omittam, quomodo stella proprie dicta ex stirpe Iacobi esse poterat? Si, contra ac patitur sermo hebraicus, per illud *ex Iacob* in oratione Balaami, non originem seu stirpem, sed locum exprimi contendas, in quo stella apparitura erat, attendas, oportet, non in Iacobi regionibus, id est, in Iudaea, neque in illa caeli plaga, cui Iudaea subest, sed in suis regionibus, quas Iudaea ad orientem spectat (*b*), stellam a Magis conspectam fuisse, imo in ea caeli plaga, quae Iudaeae opposita est, et ab oriente regionibus illis obtenditur, id enim in bibliis sonat illud ἐν ἀνατολῇ (*c*).

69. Difficultas tamen haec, quantum satis est, diluetur, si memineris a prophetis interdum pro gentis alicuius nomine usurpari nomen rei, quae gentis huius symbolum foret; hoc autem pacto duo simul illos exprimere, directe quidem id, quod de gente illa futurum praedicunt, oblique vero huius gentis symbolum fuisse eam rem, cuius nomine gentem appellant. Iuvabit exemplis id declarare, eoque magis, quod, quantum scio, nemini adhuc hic locus tractatus fuerit. Chamos Moabitarum deus erat (*d*), Melchom Ammonitarum (*e*), Bel Assyriorum (*f*), proinde hi dii veluti harum gentium symbola habebantur; hinc Moabitis nomen Chamos (*g*), Ammonitis Melchom (*h*), Assyriis Bel (*i*), factum videas. Sic etiam Chaldaeis *columbae* no-

(*a*) Num. XXII, 22.
(*b*) Matth. II, 1.
(*c*) Ib. 2. Vid. nostras Quaestion. de evangel. Tit. XIII. q. IV. art. 3. edit. lithogr.
(*d*) Num. XXI, 29.
(*e*) IV Reg. XXIII, 13.
(*f*) Dan. XIV, 2.
(*g*) Ier. XLVIII, 7.
(*h*) Ier. XLIX, 3; Am. I, 15.
(*i*) Is. XLVI, 1; Ier. L, 2; LI, 44.

men ter fecit Ieremias (*a*). Quod quidem non pauci infitiantur (*b*), ainntque יוֹנָה in his vaticiniis non esse *columbam*, sed participium femininum verbi יָנָה *oppressit*, nomen vero, quo cum construitur, esse חֶרֶב *gladium*, quod, licet κατ' ἔλλειψιν omissum sit in primo illorum capitum Ieremiae, habetur tamen in duobus posterioribus, totamque primi dictionem ita esse vertendam: *a facie irae (gladii) opprimentis*, italice diceres: *dal cospetto dell'ira della (spada) opprimente*. At nemo non sentit ἔλλειψιν huiusmodi sane quam inconcinnam fore, nec nisi tenebras sermoni offundere; ecquis enim vocabulo illi יונה *opprimentis (della opprimente)* nomen *gladii* addendum divinet? Insuper eccur Ieremias tunc solum ita loquutus fuisset, quum de Chaldaeis gentes alias bello vastantibus agebat? Quum autem notum sit columbas a Chaldaeis tamquam numina fuisse habitas (*c*), imo, ut fertur (*d*), columba pro vexillo iis fuerit, non intelligo, cur vocabulum יונה nequeat verti *columba*, neque idem putari debeat huius nominis usus in hoc, ac nominum *Chamos*, *Melchom*, et *Bel*, in illis aliis vaticiniis. Sic Isaias Aegypto *cymbalo alarum* (*e*) appellationem fecit, quae quidem appellatio interpretum ingenia hactenus torsit, sed illustratis aetate nostra Aegypti monumentis et ipsa tandem claruit. Nam Hippolytus Rosellinius, Italorum in scientia ἱερογλυφικῶν facile princeps, ut mihi relatum est, animadvertit *cymbalum alarum* esse illud ἱερογλυφικόν, quod sic delineatur,



et quod scribit Aloisius Maria Ungarellius esse *Symbolum Har-hat .... regum imaginibus plerumque superpositum* (*f*). *Hat mysticum*

(*a*) Ier. XXV, 38; XLVI, 16; L, 16.

(*b*) Vid. *Rosenmüll.* Schol. in hh. ll.

(*c*) *Diodor. Sicul.* L. II. pp. 66. 76 ed. *Stephan.*

(*d*) *Azarias de Rubeis* Meor enaiim L. III. c. 21. p. 89 v.ª seqq.

(*e*) Is. XVIII, 1.

(*f*) Interpr. obeliscor. Urbis. De obel. lateran. not. 161 ex *Rosellinio*.

nomen Apollinopolis magnae (Edfu) Dei Horus magni seu Thot domicilium, qui et ipse proinde Hat vocatur (*a*). *Quovis modo accipias, symbolus est maximi Hori Pharaonum imagines plerumque comitantis et protegentis, ex quo Horus ille dimanat, qui, in doctrina mystica, regum Aegypti typus est* (*b*). Etsi vero figura haec referat orbem solis, eam tamen Isaias ex contemptu, ut videtur, quo prophetae ficta numina habere solebant, *cymbalum alatum* vocavit; ita enim צִלְצַל כְּנָפַיִם cum Hieronymo vertendum omnino est, nam etiamnum apud Orientis populos cymbala sunt duo orbes sive disci ex metallo, qui simul percussi sonum edunt (*c*).

70. Quibus positis aio Christum a Balaamo *stellam* vocatum fuisse, quia stella Christi nascentis symbolum futurum erat, utque hoc ipsum oblique ea appellatione praediceretur. Quod si accipias, iam apparet ea, quae patres superius memorati de Magis narrarunt (64), nihil difficultatis huic nostrae totius vaticinii interpretationi facessere. Iustinus enimvero, qui sensit ipsum Christum a Balaamo nomine *stella* vocatum esse, haec scripsit: *Cum igitur exorta esset* ET *in coelo, statim atque natus est, stella,... ex Arabia Magi*, AB EX HOC SIGNO COGNITA, *advenerunt* (*d*); Eusebius autem: *Cuius (Christi) imaginem symbolice illa apparens tunc Magis importabat* (*e*).

QUAESTIO VIII

De vaticinio Moysis (Deuter. XVIII, 15. 18).

1. In vaticinio Moysis ab exemplari hebraico vix quidquam differunt verba vulgatae translationis, sicut et verba translationum ceterarum. Diversas tamen totius oraculi explanationes reperire est, quas quum expenderimus, sententiam nostram aperiemus, eamque probabi-

(*a*) Ib. De obel. pamphil. not. 5. Conf. de obel. flamin. not. 19 ex *Rosellinio*.
(*b*) Ib. de obel. flamin. not. 18.
(*c*) Vid. *Iahn*. Archaeolog. §. 96. II.
(*d*) Dial. c. Tryph. §. 106.
(*e*) Dem. ev. L. IX. §. 1.

mus argumentis directis atque indirectis, ea, quae obiiciuntur, deinceps soluturi.

§. I

Diversae interpretationes.

2. Prima interpretatio est oraculum simpliciter de Iosue dictum esse, quae sane vetusta est, nam patres eam refutant, atque ex quibusdam Augustini verbis colligi posse videtur hanc sectatos fuisse Iudaeos eius aetate (*a*). Hanc autem eo refellit Gregorius Nyssenus, quod *filius Nave (Iosue) multo ante per manus Mosis fuerat declaratus, ut in levitico legimus* (*b*); dicere voluit *in libro Numerorum* (*c*). Isidorus Pelusiotes autem (*d*) praeter hanc alias affert rationes, eaeque sunt, quod Iosue non fuerit *sicut Moyses*, sed eo longe inferior, quod secundum rationem allatam a Gregorio Nysseno dicendum fuisset *suscitavit*, non *suscitabit*, quod nihil legi addiderit (23) Iosue, sed tantummodo eam sectatus sit. Praeterea obstant verba deuteronomii: *Non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses* (*e*), quae inferius magis explanabimus (12). Ex quibus verbis Lachais (*f*) post Sherlockium (*g*) recte arguit, siquidem haec, ut a multis creduntur, adiecta deuteronomio fuerunt a Iosue, iam, ipso Iosue fatente, prophetam, qui hoc oraculo praenuntiatur, Iosuem esse non posse.

3. Secunda est oraculum pertinere ad Iosuem, ut τυπος erat et figura Christi, simulque ad Christum, ut qui per Iosuem τυπικως fuit praesignificatus, sive, quod idem valet, ad Iosuem secundum sensum literalem, ad Christum secundum spiritalem. Haec interpretatio est Clementis Alexandrini, qui de hoc oraculo haec scripsit: *Per Iesum Nave filium Iesum Dei filium significans* (*h*). At, quae con-

(*a*) Cont. Faust. L. XVI. c. 19.
(*b*) Ap. *Euthym. Zigab.* Panopl. dogm. P. I. Tit. VIII init.
(*c*) Num. XXVII, 18-23.
(*d*) Epistolar. L. III. ep. 94.
(*e*) Deut. XXXIV, 10.
(*f*) La sainte bible in. h. l. not. La Haye 1743-1790.
(*g*) L'usage et les fins des prophéties Disc. VI.
(*h*) Paed. L. I. c. 7 sub fin.

tra primam explanationem attulimus, evincunt sensum literalem oraculi ad Iosuem pertinere non posse; hinc etiam altera haec respuenda est.

4. Tertia est praedici prophetas in universum seu seriem prophetarum. Ita post Salomonem Iarchium (*a*) et Moysem Maiemonidem (*b*) recentiores Iudaei. Sed, quod maius est, huic sententiae favere videtur unica quidem sed maximi ponderis auctoritas, Hieronymi (*c*), inquam. At, quum ex Hieronymi verbis nullo modo sequatur Christum ab huius oraculi significatione esse excludendum, nemo obsistere potest, quominus Hieronymi patrocinium, huic sententiae ademptum, illi, quam secundum hanc exponemus, a nobis addicatur. Iarchii autem et Maiemonidae auctoritati adversari vetustiores Iudaeos inferius demonstrabimus. Tum huic quoque interpretationi obstant verba deuteronomii iam allata (2), sive ea a Iosue προφητικῶς, sive historice ab Esdra, libro huic fuerint adiecta. Imo, si ab Esdra addita sunt, patet iam, quod modo diximus, vetustiores Iudaeos adversari huic interpretationi. Si enim oraculum secundum vetustiorum Iudaeorum sententiam ad prophetas in universum pertineret, prophetae, item secundum illorum eorumdem sententiam, dicendi forent fuisse *sicut Moyses*. Quomodo ergo huic oraculo contradixisset Esdras ea verba in deuteronomium intrudens?

5. Quarta est et prophetas et Christum simul praedici. Haec plurium et magni nominis interpretum sententia est, etsi non omnes uno modo eam proponant. Vel enim quaedam ex hoc oraculo Christo congruere affirmant, quaedam vero solis prophetis, Christo, inquam, versiculum decimum octavum, prophetis vero decimum quintum; ita nonnulli apud Tostatum (*d*). Vel omnia de prophetis dicta esse accipiunt, praecipue tamen de Christo, ut Oleaster, Lyranus, Tostatus, Cornelius, Bonfrerius, Tirinus, Frassen, et ex *Criticis sacris* Fagius. Huius sententiae patronis adnumerandi sunt, qui oraculum modo tamquam de Christo, modo tamquam de prophetis, dictum accipiunt, sicut fecit Origenes (*e*). Sed, si dixeris etiam de prophetis

(*a*) In h. l.
(*b*) Iad chazaka P. I. L. I. Tr. V. c. 10. §. 4.
(*c*) In Is. VIII, 19.
(*d*) In h. l. quaest. 6.
(*e*) In Ex. hom. XII. §. 3; in Ier. hom. I. §. 12; in Matth. T. XVII. §. 14. Conf. cont. Cels. L. I. §. 36.

oraculo hoc agi, nescio, quam solide poteris probare ad Christum praecipue illud pertinere, praesertim si cum Iudaeis tibi res fuerit. Sin vero illud dicamus, quod nonnulli apud Tostatum, vix non Moysi obsistimus, qui nos docet, quae leguntur in versiculo decimo quinto, et ab ipso prolata sunt, ea ipsissima esse, quae iam Deus protulerat, quaeque legimus in versiculo decimo octavo. Denique qui factum est, ut hoc Dei promissum evanuerit ea aetate qua secundum templum stetit?

6. Praeterea his omnibus interpretationibus ea argumenta adversantur, quibus nostram comprobamus, quae sic est.

§. II

Propositio.

7. Oraculum hoc ad unum Messiam pertinet, hoc est, de Messia solummodo agit Moyses hoc oraculo. Legendi sunt Caietanus (*a*), Sherlock, et Lachais (*b*). Hanc propositionem argumentis primo directis tum indirectis comprobabimus.

§. III

Probatio directa.

8. Ac primo probatur argumento petito ex rerum congruentia. Praecipui inter prophetas Christum omnes expressis verbis praenuntiarunt. Credibile ne igitur cuiquam fiat Moysem solummodo, prophetarum omnium maximum, nihil expresse aperteque praedixisse de re maxima omnium, quae ad Israelitas spectabant? At, nisi hic, nusquam alibi ipsum Moysem id praestitisse deprehendas, tametsi aliorum praedictiones retulerit.

9. Secundo probatur auctoritatibus. A Tirino aliisque patronis quartae sententiae (5), imo et a nonnullis, qui nobiscum sentiunt, vi-

(*a*) In h. l. (*b*) LL. cc.

deas ex tota antiquitate unum Eusebium proferri, ac si solus esset inter patres, qui propositioni nostrae patrocinaretur, quum tamen patres, qui hoc oraculum simpliciter de uno Messia dictum putant, adeo multi sint, ut intra quinque priora saecula rei Christianae ad viginti saltem numerentur. Sunt autem Tertullianus (a), auctor *Recognitionum* (b), Cyprianus (c), Novatianus (d), Archelaus (e), Methodius (f), Eusebius (g), Lactantius (h), Athanasius (i), Cyrillus Hierosolymitanus (k), Titus Bostrensis (l), Gregorius Nyssenus (m), Epiphanius (n), Philastrius (o), Gaudentius Brixiensis (p), Augustinus (q), Chrysostomus (r), Cyrillus Alexandrinus (s), scriptor *Consultationis Zacchaei et Apollonii* (t), auctor *Quaestionum ad Orthodoxos* (u).

10. Affirmamus autem hos omnes oraculum ita intellexisse, ut quod simpliciter de uno Messia dictum sit. Licet enim non omnes expresse atque aperte prophetas alios excludant, quum tamen ex oraculo argumentum petant ad ea probanda, quae ad Messiam unum pertinent, dicendi sunt ceteros quoscumque ab oraculi significatione excludere. Nam secus argumentum nihil conficeret; responderet enim quis, oraculum vel secundum ipsorum patrum sententiam ad prophetas omnes pertinere.

11. Tertio probatur argumento deprompto ex ipsis oraculi verbis, etiam sine respectu antecedentium et consequentium. Habes enim primo nomen נָבִיא *prophetam* numero singulari; deque hoc pro-

(a) Adv. Marc. L. IV. c. 22.
(b) L. I. c. 36.
(c) Testim. adv. Iud. L. I. c. 18.
(d) De Trin. c. 9.
(e) Disp. cum Man. §§. 41. 43.
(f) De Symeone et Anna §. 11.
(g) Dem. ev. L. III. c. 2; L. IX. c. 11.
(h) Instit. div. L. IV. c. 17.
(i) Or. I cont. Arian. §. 54.
(k) Catech. XII. §. 17.
(l) Cont. Manich. L. III. c. 6.
(m) Testim. adv. Iud. II.
(n) Haer. XLII. §. 11. schol. 27 ex evang. Luc. et schol. 8 ex ep. ad Gal.; Haer. LIV. §. 3; LXIX. §. 37.
(o) Haer. de deuter. CXVI al. LXVIII.
(p) Serm. IX.
(q) Cont. Faust. L. XVI. c. 15.
(r) Cont. Anomaeos hom. XII. §. 1; in II Cor. h. VII. §. 3; in Galat. c. II. §. 7.
(s) De ador. in sp. et ver. L. II. pp. 51. 74. Lutet. 1638; in Is. L. I. or. 1. p. 13; in Mal. IV fin.; in Io. I, 21; V, 46; VII, 40. 49; VIII, 24; IX, 30; XII, 49.
(t) L. II. c. 4.
(u) Int. opp. *Iustini* quaest. CI.

pheta singulari numero sermo est in toto oraculo. Nec infitior in lingua hebraica, sicut et in ceteris, singularem numerum subinde pro plurali usurpari, cuius rei exempla passim sunt, puta, illud: *Diliges* PROXIMUM TUUM (*a*). Imo scio nomen נביא singulari numero adhibitum esse pro plurali in celebri illo Danielis oraculo (*b*), ubi, quamquam recentiores quidam Protestantes nomine hoc designari putent Ieremiam, quia totum oraculum dictum esse aiunt de captivitate Israelitarum brevi solvenda (*c*), nobis tamen, qui vaticinium de Christo scriptum esse contendimus, in eo nomen נביא necessario collectivum habendum est. Nihilominus, quod attinet ad oraculum Moysis, haec, quae subdimus, quisque accipere debet, quum manifesta ea sint. Primum est, proferri nomen illud eo numero, quo necessario proferendum fuisset, si sermo re ipsa esset de uno Messia. Secundum est, singulari numero nomen illud esse accipiendum atque exponendum, si nihil obstet; nihil autem obstare mox videbimus. Tertium est, eum, qui simpliciter caput illud legit, ne suspicari quidem plures potius, quam unicum et singularem prophetam, a Moyse promitti. Quartum est, Messiam nomine *propheta* praedictum fuisse, ut ex evangelio (*d*) apparet; quem tamen nusquam tamquam prophetam praenuntiatum reperies, nisi hoc oraculum de uno Messia dictum esse teneas (16. 17). Quintum denique est, ubi habent scripturae nomen collectivum vel singulare pro plurali positum, saepissime pronomina et verba, quae ab eo pendent, pluralia esse (*e*), at hoc in oraculo constanter esse singularia.

12. Habes deinde vocem כָּמֹנִי *sicut me*. Ex hac vero, quae prophetae illi futura praedicitur, cum Moyse similitudine eum non alium esse aut esse posse nisi Messiam, arguunt Archelaus (*f*), Eusebius (*g*), Gregorius Nyssenus (*h*), Augustinus (*i*), Cyrillus Alexandrinus (*k*). Ratio vero desumitur ex his verbis deuteronomii: *Non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses* (*l*); nec unquam surrexis-

(*a*) Matth. V, 43.
(*b*) Dan. IX, 24.
(*c*) Vid. *Rosenmüll.* Sch. in h. l.
(*d*) Io. VI, 14; etc.
(*e*) Vid. *Gesenius* Lehrg. §. 183, 1 *b*; §. 184, 2; §. 186, 1.
(*f*) Op. cit. §. 44.
(*g*) L. c.
(*h*) Ap. *Euthym. Zigab.* l. c.
(*i*) L. c.
(*k*) Cont. Iulian. L. VIII. p. 257. Lipsiae 1696.
(*l*) Deut. XXXIV, 10.

se Iudaei omnes semper firmissime asseverarunt, idque ipsum confirmant ea, quae leguntur in libro Numerorum (*a*). Sensisse porro veteres Iudaeos vocem כמני dictam esse, non de quacumque, sed de tali similitudine, quae prophetam illum Moyse haud inferiorem efficeret, ac proinde de illa ipsa similitudine, quam ceteris prophetis abnegant verba modo allata ex deuteronomio, testem habemus Pseudoionathanem, qui vocem illam sic exponit: *sicut me in Spiritu sancto.* Ne vero quis tuto reponat, verba *in Spiritu Sancto* non esse iungenda prioribus illis *sicut me*, sed subsequentibus *suscitabit vobis*, praesto est collatio instituta cum versiculo decimo octavo, in quo hoc ipsum oraculum a Deo iampridem prolatum ipsius Dei verbis refertur, quae verba ita idem ipse Pseudoionathan παραφράζει: *Prophetam suscitabo eis,... in quo Spiritus sanctus sicut (in) te.* Qua vero ratione inter Moysem et Christum similitudo intercedere dicatur, videre est potissimum apud Archelaum, Eusebium, Augustinum, et Cyrillum Alexandrinum (*b*). Consulantur etiam Sherlock et Lachais (*c*). Ceterum praecipua nomina, quibus Moyses et Christus similes dici possunt, sunt *mediator*, *redemptor*, et *legislator*.

13. Denique etiam voces אֵלָיו תִּשְׁמָעוּן nos iuvant. Ex quibus quid confici possit in rem nostram, brevi patebit (14), quum promemus argumenta ex aliis scripturarum locis. Interea animadverte, verbum שָׁמַע saepe idem esse ac *obedire*, semper vero, quoties, sicut hoc loco fit, construitur cum praepositione אֶל. Quare, non modo *audire* prophetam illum, sed ei etiam *obedire* Israelitae iubebantur hoc oraculo. Pulcre Cyrillus Alexandrinus (*d*) ex his vocibus ratiocinatur κατ' ἄνθρωπον adversus Pharisaeos haec effutientes: *Nos autem Moysi discipuli sumus; nos scimus, quia Moysi locutus est Deus* (*e*). Chrysostomus vero (*f*) ex his iisdem verbis desumit rationem exponendi illud Pauli: *Ego enim per legem legi mortuus sum* (*g*), in quantum videlicet lex Moysis praecipit obedire Christo, qui eam erat abrogaturus.

(*a*) Num. XII, 2. 6-8.
(*b*) LL. cc.
(*c*) LL. cc.
(*d*) In Io. IX, 29.
(*e*) Io. IX, 28. 29.
(*f*) In ep. ad Gal. c. II. §. 7.
(*g*) Gal. II, 19.

14. Quarto probatur aliis scripturarum testimoniis. Christus sic carpebat Iudaeos: *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit* (*a*). Ex quibus Christi verbis hoc oraculum ad eumdem ipsum pertinere arguunt (9) Cyprianus (*b*), Archelaus (*c*), Epiphanius (*d*), Chrysostomus (*e*), Cyrillus Alexandrinus (*f*), scriptor *Consultationis Zacchaei et Apollonii* (*g*). Et recte arguunt. Ut enim animadvertit Tostatus, unicus hic locus est, quo dici possit Moyses sermonem de Messia habuisse *ita, quod sint verba Moysis* (*h*). Alias enim in pentateucho utique sermo de Christo est, attamen vel sub involucris typorum, vel aliorum verbis quam Moysis. Verum, quod caput est, quodque vim omnimodis adiungit argumento huic ex Christi verbis deducto, occasionem attende, qua Christus ea protulit, quum videlicet Iudaeis exprobraret, quod sibi credere nollent; tunc quippe Moysem veluti appellavit his, quae continuo subdidit: *Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud patrem; est, qui accusat vos, Moyses* (*i*). At, nisi Moyses aliquid legibus sanxisset circa fidem Messiae adhibendam, locus non esset appellationi. Iam vero ubinam aut quando Moyses verba de hoc fecit? Nisi agnoscas id haberi in illo *ipsum audies, ipsi obedies*, frustra quaeras in toto Moyse.

15. Neque neglidenda est collatio, quae institui potest inter haec Moysis verba *ipsum audies* et inter verba ab aeterno Patre prolata, quum Christus in monte transfiguratus est, *ipsum audite* (*k*). Nam Moyses illud oraculum proferens nihil egit, nisi ut illud ipsum repeteret, quod Deus quadraginta ante annis ediderat in monte Horebo (*l*); quare verba illa *ipsum audies* (*m*) eadem ipsa sunt, quae Deus iam olim protulerat (*n*). Sicut autem ea protulerat Deus in monte Horebo, quum filium suum venturum promitteret, ita denuo protulit in

(*a*) Io V, 46.
(*b*) L. c.
(*c*) Op. cit. §. 41.
(*d*) Haer. LXVI. §. 72.
(*e*) Primo ex ll. cc.
(*f*) In Io. h. l.
(*g*) L. c.
(*h*) In h. l.
(*i*) Io. V, 45.
(*k*) Matth. XVII. 5; Luc. IX, 35.
(*l*) Conf. Deut. XVIII, 15 cum seqq.
(*m*) Ib. 15.
(*n*) Ib. 19.

illo alio monte, quum filium suum iam advenisse manifestavit, utrobique vero praesente Moyse.

16. Iudaei visis Christi prodigiis obstupescentes exclamabant: *Hic est vere propheta* ὁ προφήτης (*a*); alias vero: *Hic est vere propheta* ὁ προφήτης, *qui venturus est in mundum* (*b*). Attendere autem in his potissimum oportet vim articuli graeci, ex qua Isidorus Pelusiotes (*c*) arguit prophetam aliquem singularem ab illis Iudaeis commemorari; neque enim huic syntaxi locus est in novo testamento neque forsan in vetere, nisi quum unus aliquis propheta memoratur. Quare patet Iudaeos illos exspectasse eo tempore prophetam aliquem singularem; proinde noverant eum a Deo fuisse praenuntiatum. Iam vero, illos nomen *prophetam* usurpasse veluti unum ex nominibus, quibus Messias praenuntiatus fuerat, facile quisque sibi persuadebit, ut credat, neque enim alium exspectabant, quum nullus alius praenuntiatus esset. Quod si sic est, aliud inde argumentum promimus. Si enim Messiam hac *prophetae* appellatione praedictum exspectabant Iudaei, quaerendum est, quinam ex prophetis veteribus nomine isto Messiam vocaverit? Nullus profecto praeter Moysem, dum hoc ederet oraculum.

17. Elegans porro et ingeniosa est probatio, quam excogitavit Isidorus Pelusiotes argumento desumpto (*d*) ex alio scripturarum capite. Narratur in evangelio, eos, qui Hierosolymis missi fuerant ad Ioannem Baptistam, ipsum interrogasse, an esset ὁ προφήτης (*e*), Ioannem vero respondisse, se non esse. At nonne Zacharias Ioannis pater de eo haec vaticinans cecinerat: *Et tu, puer* PROPHETA *Altissimi vocaberis* (*f*)? Nodum hunc dextere solvit Isidorus: προφήτης μεν γαρ ἦν, ὁ προφήτης δε οὐκ ἦν *(era profeta, ma non era il profeta)*. Quae vero Isidoro opponi possent, alias (29) diluemus. Similia iam scripserant Origenes (*g*) et Eusebius (*h*).

18. Denique scriptores novi testamenti aperte nos docent, hoc oraculum de Messia dictum esse Iudaeos illa aetate putasse. Etenim Pe-

---

(*a*) Io. VII, 40.
(*b*) Id. VI, 14.
(*c*) Epistol. L. III. ep. 94.
(*d*) L. c.
(*e*) Io. I, 21.
(*f*) Luc. I, 76.
(*g*) In Io. T. VI. p. 101 ed. *Huetii*.
(*h*) Dem. ev. L. IX. c. 11.

trus (*a*) et Stephanus (*b*), quum probare vellent Iesum esse Messiam, argumentum ex oraculo illo sumpserunt.

§. IV

Probatio indirecta.

19. Hoc quoque argumento res confici posse videtur. Propheta, quem Moyses praenuntiat, non alius est, nisi quem praenuntiavit Deus in monte Horebo. At propheta a Deo praenuntiatus est Messias. Propheta igitur, quem Moyses praenuntiavit, non alius est nisi Messias.

20. Prima propositio omnino patet. Moyses promissionis suae rationem statim affert (*c*), eaque est, hoc idem a Deo promissum fuisse in Horebo (*d*), quod iisdem fere verbis ipse mox praenuntiaverat (*e*). Etenim, ut animadvertit Caietanus (*f*), qui praeclare quaestionem hanc habet, non alio sane nisi huc spectare potest, quod Moyses in audientium mentem revocet ea, quae populus in Horebo a Deo petierat (*g*), quaeque Deus populo promiserat illa ipsa die, qua conventum est ad legem audiendam (*h*), videlicet ut, qui Moysi ea vaticinanti tunc aderant, audiebantque prophetam illum praenuntiari, probe nossent a Moyse non alium prophetam nisi illum promitti, quem Deus iam olim promiserat in Horebo.

21. Alteram vero propositionem argumenta non pauca confirmant de illis, quibus directo probavimus sententiam nostram; sed alia etiam praeterea. Nam propheta, quem promisit Deus in Horebo, esse nequit ullus aliorum prophetarum, nec tota simul prophetarum series. Quum enim tunc prophetam illum Moysi *similem* futurum dixisset, ferme post annum dixit ceteros prophetas longe *dissimiles* Moysis esse ob diversam rationem, qua cum Moyse atque cum his ipse agere solebat (*i*). Id iam animadverterat Lachais post Sherlockium (*k*).

(*a*) Act. III, 22.
(*b*) Ib. VII, 37.
(*c*) Deut. XVIII, 16.
(*d*) Ib. 18. 19.
(*e*) Conf. Ib. 15 cum 18. 19.
(*f*) In h. l.
(*g*) Deut. XVIII, 16.
(*h*) Ex. XX, 1. 18. 19 coll. Deut. V, 2. 23-28.
(*i*) Num. XII, 2. 6. 7. 8.
(*k*) LL. cc.

At, si propheta iste nemo est ceterorum prophetarum, quinam esse potest nisi Messias?

22. E patribus superius numeratis (9) quidam, quos nunc fortasse enumerare praestitisset, non afferunt verba versiculi decimi quinti, quae Moysis sunt, sed versiculorum duodevicesimi et undevicesimi, ea, inquam, quae Deus ipse protulit in Horebo. Sensere proinde, prophetam, quem promisit Deus in Horebo, esse Messiam.

23. Sed, quae apprime id evincunt, sunt adiuncta rerum ac temporis, quibus ea promissio facta est. Quod argumentum mirifice prae ceteris urget Caietanus (a), belle etiam tractant Sherlock et Lachais (b). Ipsa Caietani verba referre praestat. *Libra, prudens lector, hanc circumstantiam prophetae huius, de quo est sermo, videlicet quod est ille propheta, qui promissus est a Deo, quando dedit legem ore proprio in monte Sinai, universo audiente populo, (huc enim tendit universa haec commemoratio dictorum a populo in die, quo adunatus est populus ad audiendam ex ore Dei legem), ut hinc haurias, quod, non de propheta in genere, sed de propheta vice Dei latore legis est sermo. Deum siquidem timebant audire ad ulteriora legis procedentem*, atque ideo *aptissime . . . ex tunc promittitur ipsemet Deus in natura humana allocuturus populum humanissime, non maiestate ... Extra propositum erat* TUNC *Deum revelare Mosi, futurum prophetam similem ipsi Mosi, nisi de propheta* LEGISLATORE *loqueretur. Haec enim causa, scilicet ferendae legis, quadrat universis commemoratis hic a Mose. Nam quadrat petitioni populi horrentis ulteriorem legislationem ex ore Dei in maiestate. Quadrat materiae, quae tractabatur tunc. Quadrat similitudini Mosis. Quadrat poenae subiunctae illis, qui non audierint vocem illius prophetae. Quadrat imperfectioni legis veteris perficiendae per Messiam. Quadrat et singularitati atque excellentiae illius prophetae, cum tanto apparatu, tali tempore revelati Mosi, et in hac litera descripti.* Huic interpretationi favent Lactantius (c), Gregorius Nyssenus haec

(a) In h. l.
(b) LL. cc.
(c) L. c.

scribens : *Illud enim* SIMILEM TIBI *similitudinem in legibus sanciendis potissimum indicat* (*a*), Chrysostomus (*b*), Isidorus Pelusiotes (*c*), qui omnes Christum hoc deuteronomii capite tamquam *novum legislatorem* praenuntiari ponunt, aut etiam expresse docent. Praeterea Cyrillus Alexandrinus haec pronuntiat: *Quum igitur spectaculum eorum, quae ad Dei gloriam figurata erant, ferre non possent, qui tum temporis instituebantur, homines, tandem necessario incarnationis unigeniti modus praedictus est* (*d*). Imo Chrysostomus (*e*) hoc oraculo producto probat legem veterem a Christo fuisse abrogandam. Nimis profecto manifestum est prophetam illum non ita praenuntiari, ut qui futura praedicat, aut occulta retegat, sed ut qui leges a Deo latas referat.

24. Concludendum igitur est prophetam a Moyse praedictum alium non esse nisi Messiam. Interea hoc callide consideremus, Moysem, quum id praedixit, novum oraculum haudquaquam edidisse, sed illud in mentem Israelitis revocasse, quod ipse Deus iam ediderat. Non ergo hoc oraculum inspicere atque explanare oportet, tamquam si foret connexum cum iis rerum adiunctis, quae fuerunt, quum Moyses illud recolebat, sed tamquam prolatum a Deo in Horebo, ac si reapse legeretur in eo exodi capite, in quo Deus legem primo promulgasse narratur (*f*). Quo fiet insuper, ut multa corruant aut praecipua saltem eorum, quae in contrarium congeruntur.

§. V

Contraria diluuntur.

25. Diodorus Tarsensis haec opponebat (*g*): *Ex* FRATRIBUS *non est Deus Verbum*; quum vero prophetae sit ministrare Spiritui, *Deus ... Verbum cui ministerium praebuit*? Verum ista, quum nihil con-

(*a*) Ap. *Euthym. Zigab.* l. c. Vide et Testimon. adv. Iud. l. c.
(*b*) In II Cor. et Gal. ll. cc.
(*c*) L. c.
(*d*) Cont. Iulian. L. VIII. p. 256.
(*e*) In II Cor. l. c.
(*f*) Ex. XX coll. Deut. V, 23-31.
(*g*) Inter opp. *Marii Mercatoris* in *Gallandi* Biblioth. veter. patr. T. VIII. p. 705.

ficiant, nisi ut prodant errores Diodori *Christum dividentis*, qualem eum dicit Marius Mercator, securi negligimus.

26. Faustus contendebat non potuisse Messiam dici *similem* Moysis aut *sicut* Moysem futurum, siquidem Iesum, quem Messiam esse credimus, longe excellentior fuerit quam Moyses. Hinc oraculum non pertinere ad Messiam. Quod Fausti argumentum bona fide redintegravit Bonfrerius (*a*). Sed, quid Fausto respondeas, iam Augustinus suggessit, instituta inter Christum et Moysem comparatione, amborum similitudinem eruens ex illis ipsis rebus, propter quas eos dissimiles omnino Faustus dicebat (*b*). Bonfrerio autem respondemus, excellentiae unius prae alio adversari utique aequalitatem, non vero similitudinem inter utrumque. Tum nonne hominem *ad similitudinem Dei* factum dixit ipse Deus (*c*)?

27. Voces כָּמֹנִי *sicut me (d)* et כָּמוֹךָ *sicut te (e)* ita intelligere oportet, ac si dictum esset, prophetas, qui praenuntiabantur, fuisse orituros ex ipsa gente israelitica, *sicut* ex hac ortus erat Moyses, quae interpretatio est Salomonis Iarchi; vel futuros fuisse veros prophetas, *sicut* verus propheta Moyses fuit, quae Tostati sententia est. Quare ex illis vocibus nullum desumere possumus argumentum (12). Equidem non infitior posse has voces sic intelligi, si seorsum a toto sermone atque ab huius vaticinii adiunctis illas spectemus. Atqui hoc ipsum fieri minime debet, ut seorsum ab illis considerentur, sed prorsus e contrario. Iam vero ea disseruimus (20 seqq.), ex quibus consequitur, significationem eorum, quae Moyses loquutus est ad vada Iordanis, pendere ex significatione eorum, quae Deus loqnutus fuerat in Horebo. Quare significatio prioris vocis כמני pendet ex significatione posterioris כמוך. Hanc ergo alteram expendamus, de qua haec dicenda occurrunt. Primum est, sensum, quem nos in ea voce deprehendimus, magis obvium esse, utpote qui ad plura sese porrigat, quae Moysi tantae excellentiae caussa fuerunt, non vero ad unum aliquod, quod coniectando divinare aduitamur, ut

(*a*) In h. l.
(*b*) Cont. Faust. L. XVI. c. 15 seqq.
(*c*) Gen. I, 26.
(*d*) Deut. XVIII, 15.
(*e*) Ib. 18.

Salomon Iarchi et Tostatus suis interpretationibus faciunt. Profecto, qui primo legeret versiculum illum duodevicesimum, voce illa כמוך intelligeret potius plenam similitudinem, quam unam aliquam, significari. Secundum, quod aio, est, omnino superfluam vocem istam videri, si accipienda foret in sententiam Salomonis Iarchi sive Tostati. Iam enim Deus dixerat prophetam illum oriturum ex eadem gente, ex qua erat Moyses; quod autem verus propheta futurus esset, ecquis in dubium revocare vel cogitasset? Tertium est, utrique illi interpretationi obstare veterum Iudaeorum sententiam (12. 14. 16. 17. 18). Quartum denique est utrique obstare etiam adiuncta rerum ac temporis, quibus Deus oraculum protulit, quae e contrario sententiae nostrae apprime. favent.

28. Quum in pentateucho pluries Christus praenuntietur, aiunt necesse non esse Christi verba *de me enim ille scripsit* accipere ita, ut quae ad hoc oraculum solummodo spectent. Verum hoc superius iam occupavimus, ubi ex his Christi verbis argumenta petebamus (14).

29. Argumentum, quod Isidorus Pelusiotes (17) depromit ex iis, quae narrantur de legatione sacerdotum et levitarum ad Ioannem, nullius ponderis esse videtur, quum in ea narratione Christus a propheta plane distinctus sit, ita ut duo sint, non unus (*a*). Verum illud attende, quod in eam narrationem congestae sint interrogationes diversae, quas diversi fecerunt; plures enim a Iudaeis legati fuerant ad Ioannem (*b*). Quid ergo mirandum est, si diversi diverso nomine Messiam vocarunt (*c*)? Praeterea fieri potuit, ut aliqui de vulgo minus periti scripturarum sacrarum, sicut eo errabant, quod Eliam ipsum exspectarent, sic etiam errarent putando prophetam et Messiam, qui tunc ab omnibus exspectabatur, esse duos homines, non autem duo unius eiusdemque hominis nomina. Quem tamen errorem male quis inde concluderet Iudaeis omnibus communem fuisse aut maximae eorum parti, ideoque minus valere, quidquid in rem nostram promebamus ex sententia Iudaeorum illius aetatis (12. 14. 16-18). Dices eos,

(*a*) Io. I. 20. 21. 25.
(*b*) Id. ib. 19. 21. 22. 24. 25.
(*c*) Vid. et Io. VII, 40. 41.

qui Ioannem interrogabant, fuisse sacerdotes et levitas, quos oraculorum interpretationem probe calluisse, ideoque errore immunes fuisse in ea habenda, deceat putare. Verum scientia scripturarum penes scribas erat (*a*), non autem penes sacerdotes et levitas, tametsi ex sacerdotibus et levitis scribae esse possent; imo sacerdotes levitasque ignorantia legis laborasse satis apparet vel ex loco hoc, sicut etiam ex iis, quae Nicodemo pro Christo verba facienti responderunt (*b*), et arguere est ex quibusdam historiis Flavii Iosephi, atque ex eo quod a scriptoribus novi testamenti scribis tribuantur, numquam vero sacerdotibus, quaecumque ad illam scientiam possunt pertinere. Fortasse etiam, qui Ioannem interrogarunt, loqui maluerunt secundum quorumdam de vulgo imperitorum opinionem, ex quo Eliae quoque mentio repetenda foret. Denique argumentum, quod urget Isidorus Pelusiotes petitum ex articulo graeco, insolubile est, quum ex eo appareat manifesto singularem aliqnem prophetam tunc fuisse commemoratum; hunc vero alium esse non potuisse nisi Messiam, aeque apparet ex aliis argumentis a nobis productis (16).

30. Tostatus etiam ad prophetas, nuper vero Rosenmüllerus ad prophetas dumtaxat, oraculum pertinere arguebant ex eius et praecedentium ac consequentium connexu, id est, ex oppositione ariolorum et divinorum, de quibus antea, et falsi fictique prophetae, de quo postea sermo est. Sed contra haec interpretamenta facit id, quod iam suadebamus ante oculos habendum (24), Moysem, non aliquid novum promittere, sed ea repetere, quae Deus promiserat in Horebo. At in Horebo neque de ariolis aut divinis, neque de falso fictoque propheta, sermo fuit. Nos vero hoc oraculum interpretamur, atque urgemus, non tamquam a Moyse ad vada Iordanis, sed tamquam a Deo in Horebo editum. At enim, inquies, ex hoc ipso, quod Moyses huius promissionis Dei meminerit, eamque repetat respectu ariolorum et falsi prophetae, concludamus oportet, Moysem ipsum sensisse a Deo haudquaquam Messiam, aut saltem non eum unum, esse promissum, sed seriem prophetarum non defuturam,

(*a*) Vid. nostr. Quaestion. de evangel. Tit. XIII. q. 7. nn. 5. 6 edit. lithogr.

(*b*) Io. VII. 52 coll. 45. 50.

quos loco ariolorum et ficti prophetae populus consuleret. Verum, rogo, certum ne exploratumque est prophetam illum ideo promitti, quia ariolorum loco Israelitis futurus esset? Nam id, quod horum vicem eo in populo esset, indicatum est superioribus verbis, quae, ut sunt in exemplari hebraico, ita sonant: *Et tu, non sic dedit tibi Dominus Deus tuus (a)*, ex quibus si quid concludere licet, illud Deus, haudquaquam *daturus* יִתֵּן, sed iam *dedisse* נָתַן dicendus est, quum Moyses haec loquebatur. Quod autem usque ad illud tempus dederat, fuit munus pontificis maximi, cuius erat Deum consulere et huius responsa referre, quacumque demum ratione illud fieret (*b*); cuius rei non modo expressa mentio habetur in legibus mosaicis (*c*), sed insuper a Deo sic constitutum fuisse nos docet ipsa sacra historia (*d*). Etsi vero, posteaquam prophetae esse coeperunt, etiam per hos Deus daret responsa (*e*), tamen, quum id agerent prophetae legatione extraordinaria, necesse non erat, ut de hac ratione consulendi Deum leges essent, secus autem se res habet quantum ad pontificem maximum, qui ordinaria potestate Dei loco erat. At, si Messias hoc vaticinio praenuntiatus fuisset a Moyse, interrogat Rosenmüllerus, *quomodo haec cohaererent*: *Nolite ariolos adire*, NAM *Deus vobis prophetam Messiam excitabit (f)*. Sed primo illud *nam* ab ipso intrusum a nobis deleri Rosenmüllerus bonus facilisque patiatur; quo iam cohaerentiae illius necessitas disparet. Sed et ego vicissim ipsum rogabo, quomodo cohaereant ea, quae habentur in prima huius capitis parte circa victum sacerdotum et levitarum (*g*), cum iis, quae de ariolis dicuntur in secunda parte (*h*)? Si inter haec nullam cohaerentiam esse videmus, cur haec putetur necessario esse oportere inter illam secundam capitis partem et tertiam, in qua de Messia (*i*), atque inter tertiam et quartam, in qua de ficto propheta (*k*) sermo est? Sed dare etiam possumus Rosenmüllero, quod po-

(*a*) Deut. XVIII, 14.

(*b*) Vid. *Calmet*. Dictionar. ad v. Urim et Tummim.

(*c*) Num. XXVII, 21.

(*d*) Ios. IX, 14 coll. Num. XXVII, 21; Iudic. XX, 28, I Reg. XIV, 18. 36. 37; XXIII, 9-12; XXX, 7. 8; etc.

(*e*) I Reg. XXVIII, 6.

(*f*) Schol. in h. l.

(*g*) Deut. XVIII, 1-8.

(*h*) Ib. 9-14.

(*i*) Ib. 15-19.

(*k*) Ib. 20-22.

stulat, ut sit illa cohaerentia inter ea, quae prius dicta sunt, interque ea, quae habentur in oraculo, imo et illud *nam* retinere, quum, quid praeterea ipsi respondeamus, iam suggesserit Lachais ita oraculum cum prioribus connectens (a): *Turpe esset vos ad ariolos recurrere, vos, inquam, quibus Deus adeo praesto est respondendo, ut maximum quoque prophetam promiserit etc.* Animadverte praeterea Rosenmüllerum illud dare, quod aliis scriptorum sacrorum testimoniis (b) constat, hoc oraculum aetate Christi ita fuisse intellectum, ut quod ad Messiam pertineret. Quamobrem concludimus, quum ex una parte nihil sit, quod reipsa nos cogat, ut Tostati aut Rosenmülleri interpretationibus assentiamur, ex altera vero parte plurima esse viderimus, quae nos compellant, ut in illo oraculo Messiam unum praedictum agnoscamus, hoc alterum omnino a nobis praeferendum esse.

31. Aiunt nihil valere argumentum ductum ex eo, quod (23) populus in Horebo Deum rogasset, ne ipse ad eos loqueretur; quin imo hoc evincere potius Deum promisisse se in posterum per prophetas, non autem ipsum per se, Israelitas alloquuturum. Verum primo animadverte populum haudquaquam simpliciter petiisse, ne eos Deus alloqueretur, sed tantum ne ea ratione ac modo, id est, de medio ignis, inter fulgura atque tonitrua, tantoque cum audientium terrore (c). Tum populi petitionem pertinuisse tantummodo ad illud tempus illamque legis promulgationem, non autem ad futuram aetatem; rogabant quippe, ut Moyses ipsos alloqueretur (d). Denique Deum hoc populi votum probasse (e), quia ex metu procederet (f), profecto haud probaturum, si qualecumque Dei ipsius alloquium Israelitae refugissent. His diligenter consideratis levi negotio contraria refelluntur.

§. VI

Quidnam in hoc oraculo portenderet Iesum futurum Messiam.

32. Demonstravimus hoc oraculo Messiam, neque alium praeter hunc, fuisse praedictum. Ut vero ex hoc eodem oraculo argumentum

(a) L. c.
(b) Act. III, 22; VII, 37; Io. VI, 14.
(c) Vid. Deut. V, 23-27.
(d) Ib. 27; Ex. XX, 19.
(e) Deut. V, 28; XVIII, 17.
(f) Ib. V, 29.

sumi possit ad probandum Messiam hunc esse Iesum, necesse est illud aliquam notam nobis suppeditare, quae in Iesum conveniat. Hanc habes in eo, quod propheta ille, ut alter a Moyse et huic similis *legislator*, praenuntietur (23). Hunc vero Iesum fuisse, qui nova lege condita mosaicam maxima ex parte abrogavit, caecus sit, oportet, qui non perspiciat.

QUAESTIO IX

De vaticinio Nathanis
(II Reg. VII, 11 - 16 Coll. I Par. XVII, 10 - 14).

1. Quum David regum pientissimus vovisset templum se Deo aedificaturum (*a*), rebus Israelitarum compositis ac pace parta (*b*) de voto solvendo cogitare coepit (*c*). At Deus ipsum id exsequi vetuit (*d*), quia bellis distentus multum hostilis sanguinis effudisset (*e*), ac, veluti bonam eius voluntatem remuneraturus (*f*), misso ad ipsum Nathane propheta (*g*) promisit se ipsi praestiturum, quaecumque hoc vaticinium complectitur, simulque ea indicavit, quae ad futuram templi aedificationem pertinebant.

ARTICULUS I

Ratio et modus huius quaestionis.

2. Quaestio igitur, ad quam aggredimur, sic in universum est: Quidnam Deus hoc oraculo edito Davidi promiserit, vel quanam de re Nathan loquutus fuerit. Diversi diversa opinantur, quae ubi retu-

(*a*) Ps. CXXXI, 2 seqq.
(*b*) II Reg. VII, 1.
(*c*) Ib. 2. 3 coll. 5; I Par. XVII, 1. 2 coll. 4.
(*d*) Ib.
(*e*) III Reg. V, 3; I Par. XXII, 8; XXVIII, 3.
(*f*) III Reg. VIII, 18; II Par. VI, 8.
(*g*) II Reg. VII, 5; I Par. XVII, 4.

lerimus, sententiam nostram aperiemus. Haec autem ita ex pluribus veluti membris constabit, ut simul singulis aliorum sententiis ex parte congruat, ex parte autem opponatur. Quod congruat, ex eo fiet, ut plura ex argumentis, quibus illae confirmantur, in rem nostram convertere liceat. Quod vero opponatur, ideoque, si nostra vera sit, illas esse falsas oporteat, consequens est eadem argumenta, quibus sententiam nostram probabimus, simul valere ad ceteras illas convellendas, ut necesse minime sit peculiari disputatione eas refutare. Quamobrem in id unum incumbemus, ut veritas sententiae nostrae, quam fieri poterit, explorata sit. Quod quidem etsi potissimum simus consequuturi totius vaticinii consideratione atque explicatione, quam inferius habebimus, prius tamen alia, quae praeterea suppetunt, momenta promemus, ex quibus non leve pondus singulis sententiae nostrae partibus accessurum esse putamus.

ARTICULUS II

Diversorum sententiae.

3. Prima sententia est oraculo illo Christum solummodo resque ab eo praestandas Davidi promissas a Deo fuisse, ac solummodo de his Nathanem loquutum esse. Ita sentientibus suffragantur Lactantius (*a*), Ambrosius (*b*), Augustinus (*c*), Eucherius Lugdunensis, qui esse dicitur (*d*), et suffragari videntur Iustinus (*e*), Tertullianus (*f*), Cyprianus (*g*), Eusebius (*h*), Basilius (*i*), Cyrillus Alexandrinus (*k*).

4. Altera est nihil praeter filium Salomonem ac regnum in aevum eius posteris mansurum verbis illis Deum Davidi esse pollicitum, deque ea re tantummodo sermonem habitum a Nathane. At, si Iudaeos aliquot excipias, nullos praeter istos sententia haec patronos sortita est.

(*a*) Institut. divinar. L. IV. c. 13.
(*b*) In Luc. L. III. §§. 8. 9; Apolog. Davidis II. §. 23.
(*c*) De civ. Dei L. XVII. cc. 8 seqq.
(*d*) In h. l.
(*e*) Dial. cum Tryph. §. 118.
(*f*) Cont. Marc. L. III c. 20.
(*g*) Testimonior. L. I. c. 15; L. II. c. 11.
(*h*) Demonstr. ev. L. VI. c. 12.
(*i*) Ad Amphiloch. ep. CCXXXVI al. CCCXCI. §. 3.
(*k*) Cont. Nestorium L. III sub init.

5. Tertio ii veniunt, qui autumant vaticinii partem ad Salomonem tantummodo, partem vero tantum ad Christum pertinere. Isti autem Theodoretum auctorem iactare possunt (*a*). Quod enim Tirinus ait, hanc fuisse Augustini sententiam, nullo modo accipient, qui Augustinum legerint.

6. Tum ii succedunt, qui eadem ac praedicti sentiunt, sed praeterea quaedam esse in illo oraculo, quae simul de Salomone et de Christo dicta sint. Cum his sentiunt Huetius (*b*) et Drach (*c*).

7. Alii vero sic intelligunt, ea ita accipi oportere, ut quae omnia de Salomone dicta sint, quaedam vero etiam de Christo; iis vero, quae de utroque dicta sunt, duplicem sensum subesse, alterum literalem, alterum spiritalem. Ita Tostatus (*d*) et Cornelius a Lapide (*e*), quorum prior etsi utrumque illum sensum literalem esse dixerit, id tamen nomine tenus, re enim in eadem sententia erat ac Cornelius (*f*).

8. Sunt denique, qui autumant omnia haec de utroque dicta esse, de Salomone quidem secundum eorum significationem literalem, secundum spiritalem autem de Christo, vel, quod idem est, de Salomone, ut qui Christi τυπος esset, de Christo, ut qui Salomonis esset ἀντιτυπον. Lyranus hanc sententiam amplexus est.

ARTICULUS III

Sententia nostra exponitur.

9. Mihi tamen id verius esse videtur, si affirmemus Deum Davidi promisisse futuram sobolem, tum quae regnum terrenum ac temporarium, tum quae caeleste atque aeternum erat consequutura, quarum prior illa huius posterioris τυπος esset et quaedam veluti effigies; illum esse Salomonem, hunc Messiam. Cuius rei veritati enucleandae satis esse videretur, si quaedam solummodo ex Nathanis verbis de Salomone, quaedam autem de Messia dicta fuissent. Attamen, quod equidem sentio, si verba haec in literalem sensum accipiantur, ad

(*a*) In h. l.

(*b*) Dem. ev. Prop. VII. §. 12.

(*c*) Deuxième lettre ch. 3. sect. 3. pp. 222. 224.

(*d*) In h. l. q. IX.

(*e*) In h. l.

(*f*) Vid. Lib. I. n.° 65.

Salomonem dumtaxat ea omnia pertinere putandum est ; posse nihilominus omnia accipi in sensum spiritalem, quo Messiam quoque, id est, Christum, sonent, imo eorum nonnulla sic accipi omnino oportere; quod tamen non impedit, quominus quaedam sint in hoc oraculo, quae Christum indicent etiam in sensum literalem accepta. Porro de conditionibus, quibus regnum ipsum israeliticum Davidis posteris perpetuo mansurum promittitur, non est, cur nunc dicamus (80. 82. 90). Lege sis ea, quae de hisce conditionibus disputavimus in *Quaestionibus de evangeliis (a).*

ARTICULUS IV

Sentenţia nostra confirmatur.

10. Quum tribus potissimum partibus constet sententia ista, earum quamlibet distincta argumentatione confirmabimus, quaedam simul refutantes, quae, ut ut aliorum sententiis faveant, nostram convellere videntur.

§. I

Argumenta aliquot pro prima parte.

11. Integrum vaticinium secundum literalem eius significationem ad Salomonem pertinere pronuntiavimus. Id omnino perspicuum faciet ipsa vaticinii explicatio, quam inferius habebimus (*b*). In praesenti satis est in universum demonstrare de Salomone Nathanem loquutum esse, quo prima ex diversis a nostra sententiis refellatur, et quo semel posito facile inde quisque colliget integrum vaticinium de Salomone esse prolatum.

12. Qui enim legit caput illud bibliorum, ac verba accipit, sicut sonant, is intelligit filium Davidi a Deo promitti, qui post Davidem ipsum regnaturus esset, et templum, de quo aedificando agebatur (*c*), esset exstructurus. Is vero Salomon fuit procul dubio.

(*a*) Tit. IV. q. 14. nn. 15 seqq. edit. lithograph.

(*b*) Art. 5.

(*c*) II Reg. VII, 2-7.

13. Testes sententiae nostrae in ipsis bibliis plures habemus. Primo Davidem ipsum, qui expresse ait haec de Salomone a Deo dicta esse (*a*). Tum ipsum Salomonem (*b*), praesertim in psalmo CXXXI, quem Salomonis esse aut huius aetate conscriptum alias demonstravimus (*c*). In eo enim Salomon, quum Deum precatus esset pro se verbis illis: *Propter David servum tuum non avertas faciem christi tui (d)*, qui *christus* sane esse nequit Iesus, sed ipse Salomon est, rationem continuo subdit fiduciae ac precationis suae ex iis petitam, quae Deus Davidi promiserat: *Iuravit Dominus David veritatem, etc. (e)*; quae ratio nihili sane esset, nisi promissio illa ad Salomonem pertineret. Testem denique habemus Deum ipsum (*f*).

14. De patrum ac veterum scriptorum numero nobis favent Tichonius (*g*), Hieronymus (*h*), Iacobus Nisibenus (*i*), auctor libri de Promissionibus et praedictionibus Dei (*k*), et Theodoretus (*l*). Hi vero abunde sunt, quos opponamus quatuor patribus (3) primam sententiam tuentibus. Quatuor, inquam; qui enim praeter hos citantur, eos sententiae illi favere, vel negandum est, vel in dubium revocandum. Nam Iustinus profert versiculos decimum tertium et decimum quartum ex libro secundo Regum, quos tamen versiculos non negat etiam ad Salomonem pertinere. Idem dicas de Cypriano, qui totum ferme oraculum profert, eadem tamen ratione ac Iustinus. Tertullianus unam particulam huius vaticinii considerat tantummodo, est autem illud: *Semen, quod erit ex ventre tuo (m)*, sic enim illud refert, neque prorsus haec de Salomone dicta esse infitiatur, sed solum affirmat non esse *simpliciter* ita intelligenda, utpote qui, sicut nos, autumabat, potissimum, quod verbis illis promittitur, esse Christum; quod tamen non obstat, quominus literalis eorum sen-

(*a*) III Reg. II, 3. 4; I Par. XXII, 11 coll. 7. 8. 9; XXVIII, 6. 7. 10 coll. 3. 4. 5; XXIX, 1.

(*b*) III Reg. V, 5; VIII, 15. 20. 24. 25. 26 collat. 17. 18. 19; II Par. I, 9; VI, 10 coll. 4-9.

(*c*) Quaest. de evang. Tit. IV. q. 14. n.° 13 edit. lithograph.

(*d*) Ps. CXXXI, 10.

(*e*) Ib. 11.

(*f*) III Reg. VI, 12; IX, 5.

(*g*) De septem regulis reg. 4 in Biblioth. PP. *Gallandi* T. III.

(*h*) Cont. Pelagian. Dial. II. §. 20.

(*i*) Serm. XVI. §. 3.

(*k*) P. II. c. 27. §. 3 inter opp. *Prosperi*.

(*l*) In h. l.

(*m*) II Reg. VII, 12.

sus Salomonem exhibeat. Eusebius scripsit solummodo, Salomonem sensisse promissa haec esse μαλλον ἁρμοζοντα τῷ θεῷ, ἤπερ αὐτῷ MAGIS *apta Deo quam ipsi*, quod et nos ex parte saltem damus ita esse. Basilius allegat locum, ut vocant, parallelum ex psalmis: *Et ponam in saeculum saeculi semen eius, et thronum eius sicut dies caeli (a)*, nihilque praeterea; neque negat haec ad Salomonem pertinere, nec quidquam dicit, ex quo suspicari possimus eum id negare. Cyrillus denique neque ipse negat haec dicta esse de Salomone, sed negat solum non esse dicta de Christo, sive refutat eos, qui haec de Christo dicta esse infitiabantur.

15. Rationes vero contrarias ex Augustino (*b*) praecipue desumptas (3) enumerat, et refellit Tostatus (*c*). Plures illarum et nos refellemus inferius in explicatione huius vaticinii; ceterae autem hae sunt. Aiunt Nathanem Davidi promisisse diuturniorem pacem, quam alias fuerit (*d*); at Salomone regnante diuturnior pax esse non potuit quadragiuta annis, quot ille regnavit, quum tamen olim profligatis ab Aodo Moabitis Israelitae composita pace quievisse dicantur annis octoginta (*e*). Verum pax illa Davidi promittitur ante ea, de quibus quaerimus, ideoque parum nostra refert, quid de pace illa sentire oporteat. Praeterea, quaenam foret ea pax, quam Deus Davidi promittebat, apparet ex ipsis Dei verbis: *Israel .... non turbabitur amplius, nec addent filii iniquitatis, ut affligant eum* SICUT PRIUS *ex die, qua constitui iudices*, id est, sicut superioribus aetatibus, quibus saepissime servitute premebatur; neque addidit Nathan pacem illam vel aeternam vel diuturniorem futuram. Iam vero post Davidem non amplius servitutem populus expertus est usque ad captivitatem babylonicam. Denique, si lubet, versiculum illum tamquam de solo Christo dictum quisque accipiat; nihil enim id officit sententiae nostrae.

16. Aliam rationem contra sententiam nostram proferunt ex aliis scripturarum locis, in quibus, aiunt, sermo esse videtur de Salomone, quum ipsum Salomonis nomen in illis legatur, quamquam

(*a*) Ps. LXXXVIII, 30.
(*b*) L. c.
(*c*) In h. l. quaest. IX.
(*d*) II Reg. VII, 10. 11.
(*e*) Iudic. III, 30.

ceteroquin constet sermonem esse de Christo. Huiusmodi esse affirmant, exempli caussa, psalmnm LXXI, in quo ea legimus, quae nullo pacto in Salomonem convenire queant. Velim tamen, consideres psalmum illum, sicut et alia similia, quae habentur in scripturis sacris, qnum quaedam ex illo optime in Salomonem quadrent, esse de eo genere prophetiarnm, quae diversas miscent sententias, quarum aliae τυπον, aliae vero significant rem per τυπον expressam (a). At in vaticinio Nathanis nihil est, quod tamquam de Salomone dictum accipere nequeamus.

17. Iam vero, si constat a Nathane promissum Davidi fuisse Salomonem, constat etiam totum vaticinium de Salomone prolatum esse; non enim de pluribus, sed de uno eodemque Nathan loquutus est, ut historiam illam legentibus clare apparet.

§. II

Argumenta aliquot pro secunda parte.

18. Alterum, quod affirmavimus, est, quaecumque vaticinium complectitur, accipi posse in sensum spiritalem, ut quae de Christo per Salomonem τυπικως expresso prolata fuerint. Id etiam vaticinii explicatio inferius evincet, quo simul altera ex oppositis sententiis destruetur. Sunt tamen et alia argumenta, quibus idem conficitur, quaeque nunc proponimus.

19. Ut vero difficultates quasdam ac tricas declinemus, sedulo animadvertere oportet, dnplici ratione Christum hoc oraculo fuisse praenuntiatum, non solum, inquam, secundum spiritalem verborum significationem, sive ex ea parte, qnatenus Salomon Christi typus erat, et quatenus Christus per Salomonem praesignificabatur, sed etiam secundum sensum literalem quarumdam loqnutionum ac praesertim duorum versiculorum postremorum (b), quibus diserte Christus Davidi ac Salomoni ex ipsis oriturus promittitur, quod perspicuum fiet, quum versiculos illos explanabimus. Utrumque negant, qui se-

(a) Vid. Lib. I. nn. 84. 87.

(b) II Reg. VII, 15. 16.

cundam sententiam defendunt. Nos vero promiscue ac simul secundum ambas rationes rem nostram nunc expediemus.

20. Primo itaque dico, non modo Messiam ex Davide oriturum Iudaeos credidisse, quae res notior est, quam probatione indigeat, sed etiam Davidi id ipsum fuisse promissum (*a*). Ad cuius rei confirmationem maxime faciunt testimonia eorum, qui, quum viverent post sublatum regnum stirpis davidicae, nequivere promissionem illam ita intelligere, ut quae regni tantum temporarii promissio foret (*b*). At, nisi in verbis Nathanis, nullibi illud Davidi promissum reperias.

21. Id confirmatur eo, quod hoc oraculum editum fuerit, quum David consilium iniret *aedificandi domum Dei*, sicut alio loco explicabimus (36).

22. David promissione ista audita statim Deo gratias agit, primo in summam veluti colligens, quaecumque Deus ad id beneficia ei praestiterat: *Quia adduxisti me huc usque (c)*, continuoque loquens de illa promissione: *Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum (d)*, atque deinceps his verbis concludit: *Ista est enim lex Adam (e)*. Verba haec eos omnes torserunt, quotquot vel biblia vertebant, vel ea interpretabantur. Nam Alexandrini sic ea verterunt: *οὗτος δε ὁ νομος τȣ ἀνθρωπȣ*, Chaldaeus: *Et haec est visio filiis hominis*, permutans verbum יָרָה verbo רָאָה, Syrus: *Haec doctrina hominis*, vetus interpres latinus: *Haec est lex hominis*, quemadmodum etiam Hieronymus alias (14) vertit, etsi in translatione vulgata scripserit: *Ista est enim lex Adam*. Quomodo vero haec interpretes exposuerint, nec refert, nec vacat hic describere. Unam tamen Pauli Drachii interpretationem omittere non licet, quae, si ita solida esset, ut est ingeniosa, rem omnino conficeret. Scribit vocem תּוֹרָה, non modo *legem*, sed etiam, imo praecipue, *doctrinam* seu *documentum* significare; verba autem illa ita exponit: *Id ipsum est, quod Adam docuit*, scilicet fore olim, qui

(*a*) Ierem. XXXIII, 20. 21 coll. 15-17.
(*b*) Ps. LXXXVIII, 4. 5. 36-38; Eccli XXIV, 34; XLVII, 13; I Machab. II, 57; Act. II, 30; XIII, 23.
(*c*) II Reg. VII, 18.
(*d*) Ib. 19.
(*e*) Ib.

res perditas generis humani restitueret (a). Unum tamen obest huic interpretationi, ille, inquam, articulus ה additus vocabulo hebraico אָדָם, quod, quum sit appellativum (b), nomina vero propria secundum praecepta grammaticae articulum illum minime accipiant, videtur vertendum esse *hominis*, non autem *Adam*, et re ipsa praeter Hieronymum omnes illud verterunt *hominis*.

23. Alias idem ipse David haec, quae promissa sibi a Deo fuerant, commemorans aiebat: *Elegit (Deus) Salomonem filium meum, ut sederet in throno regni Dei (c).* Hanc porro electionem Salomonis aliud non esse nisi illam ipsam promissionem apparet vel ex iis, quae statim subdidit David veluti rationem modumque narrans electionis huius *(d): Dixitque mihi: Salomon filius tuus aedificabit domum meam, etc. . . . Et firmabo regnum eius etc.* Et alias illud factum re ipsa narratur: *Seditque Salomon super solium Domini (e).* Verum, quam ob caussam regnum Salomoni promissum vocetur *regnum Dei, solium Domini*, nulla commodior apparet, nisi quia τυπος esset regni Christi, et quia ex Salomonis stirpe futurus erat rex ille, qui simul Deus esset, cui daturus erat *Deus sedem David patris eius (f),* quique esset regnaturus *in domo Iacob in aeternum (g).* Sensit igitur David promissione illa comprehendi etiam Messiam sive Christum.

24. Eadem haec promissio fusius explanatur in psalmo CXXXI (13), atque ita Deus loquens inducitur: *Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo (h).* Vocabulum *cornu* in poesi hebraica id exprimit, quod alicui honori ac gloriae esse solet, proinde interdum etiam *liberos* et *posteritatem (i)*; atque secundum hanc significationem hoc loco esse accipiendum nos docet alterum hemistichium: *paravi lucernam Christo meo*, quae loquutio idem valet (k).

(a) La sainte bible *De Vence*. Paris 1828. T. V. not. in h. l.

(b) Vid. Gen. V, 2 coll. I, 27.

(c) I Par. XXVIII, 5.

(d) Ib. 6. 7.

(e) I Par. XXIX, 23.

(f) Luc. I, 32.

(g) Ib.

(h) Ps. CXXXI, 17.

(i) Vid. Deut. XXXIII, 17; I Reg. II, 1 coll. I, 11. 20. 27; I Par. XXV, 5 hebr.

(k) III Reg. XI, 36; XV, 4; IV Reg. VIII, 19 coll. II Paral. XXI, 7; Iob. XXI, 17 coll. 8.

25. Quod autem verba *cornu David*, in quantum nomine *cornu* posteritas significari potest, potissimum Messiam indicent, aliquot argumentis confirmare est. Quod enim in Davidis progenie potissimum futurnm erat eique gloriosissimum, Messias est. Si igitur vocabulum illud sonat id, quod alicui honori et gloriae duci solet, patet, si ad posteritatem Davidis designandam usurpatur, Messiam praecipue eo significari. Praeterea Siracides haec scripsit de Davide: *Dominus . . . exaltavit in aeternum cornu eius (a)*, quae sane ille scribere nequivit de gloria temporaria posteritatis Davidis, quum enim ipse haec scriberet, iam ab annis ferme trecentis Davidis stirps regno pulsa fuerat; dixit itaque de Christo. Denique Christum brevi oriturum ita canebat Zacharias: *Et erexit* CORNU *salutis nobis in domo David pueri sui (b).*

26. Patrum auctoritatem allegare superfluum est. Omnes enim ita sensisse putandi sunt, quum profecto nemo eorum sit putandus dissensisse a Paulo, qui aliquid ex oraculo hoc desumptum profert, et de Christo dictum esse docet (c). Habes tamen, qui expresse affirmaverint hic sermonem esse de Christo, quotquot primae et tertiae sententiae patronos enumeravimus (3. 5).

27. Sed et rabbinos nobis assentientes habemus Abarbanelem, et Alschec. Huius verba inferius afferemus (60). Prioris vero testimonium quanti faciendum hac in re sit, ille solus ignorabit, qui nesciat Abarbanelem non modo inter populares suos omnium εὐρεσωτατον facile habendum esse, sed et Christianis fuisse infensissimum. Is itaque, postquam totum vaticinium tamquam ad Salomonem pertinens enarravit, haec subdit: *Et vidi aliquem, qui interpretatus est visionem hanc de diebus Messiae, qui erit de semine David, et ipse aedificabit domum Dei. Et non adiicient nationes, qui sunt filii iniquitatis, ad humiliandos eos (Israelitas) ultra. Et de eo fuit promissio de perpetuitate regni: Et non amovebit ipsum ultra. Et propterea dixit (scriptor): Secundum totam visionem istam sic loquutus est Nathan propheta ad Davidem (d). Quoniam fuit haec visio magna. Et David quoque dixit: Et et-*

(a) Eccli. XLVII, 13.
(b) Luc. I, 69.
(c) Hebr. I, 5.
(d) II Reg. VII, 17.

iam loquutus es de domo servi tui in longinquum (a), indicans Messiam filium Davidis (b).

28. Quod autem cuncta, quae in hoc vaticinio legimus, possint ita intelligi, ut quae dicta sint de Christo secundum sensum spiritalem, ex eo colligimus, quod versiculus decimus quartus, teste Paulo (c), de Christo μυστικως dictus sit; at cetera omnia in hoc vaticinio, ut ex una parte nihil exhibent re ipsa, quo Christum resque huius μυστικως nequeant significare, ita ex altera parte cum illo versiculo penitus connexa sunt atque in unum sermonem composita, ut ex nostra interpretatione perspicuum fiet.

§. III

Argumenta pro tertia parte.

29. Quaedam in hoc oraculo necessario sic accipienda esse, ut quae de Christo dicta sint secundum sensum spiritalem, tertia sententiae nostrae pars est, eamque brevi expedimus, auctoritate, inquam, Pauli, qui docet de Christo agi in versiculo decimo quarto (*d*), et ex orationis serie atque contextu, qui prodit manifesto sensum literalem illius versiculi ad Salomonem pertinere, ideoque de Christo ibidem sermonem esse non posse nisi secundum sensum spiritalem. Lege versiculi huius explanationem, quam inferius (69) habes.

ARTICULUS V

Explanatio totius vaticinii.

30. Sed iam vaticinium hoc explanemus singulosque versiculos separatim. Id autem ita fiet, ut primo inspiciamus, quid translationes ab exemplari hebraico tum libri secundi Regum tum libri primi paralipomenon discrepent, prolatis solummodo iis, quae maioris momenti atque e re nostra sunt. Tum, si opus sit, propriam vocum,

(*a*) Ib. 19.
(*b*) Comment. in II. Sam. VII, 17.
(*c*) Hebr. I, 5.
(*d*) Ib.

quas vel exemplar vel translationes habent, significationem enucleabimus. Deinde quaeremus, quomodo ea, quae dicuntur, ad Salomonem pertineant. Denique et modum ostendemus, quo pertinere possunt ad Christum secundum sensum spiritalem. Iuvabit autem prius ea recoluisse, quae alias disputavimus de Christo per Salomonem praesignificato, utque is in persona sua imaginem ac τυπον Christi expresserit (*a*).

SECTIO I

Praedicitque tibi Dominus et cetera.

§. I

Translationum disparitas.

In libro II Regum VII, 11	In lib. I Paralipomenon XVII, 10.
31. Hebraeus: *Et nuntiavit* vel *nuntiabit tibi.*	*Et nuntiavi tibi.*
Vulgatus: *Praedicitque tibi.*	*Annuntio ergo tibi.*
Vetus latinus interpres consonat in toto oraculo alexandrinis.	
Alexandrini: *Annuntiabit tibi.*	*Et augebo te.*
Chaldaeus: *Et indicavit tibi.*	. . . .
Syrus: *Et indicavit tibi.*	*Et indicavit tibi.*
Arabs: *Magnificabit te.* Lege Alexandrinos in paralipomenis.	*Et Dominus docet te.*
32. Hebraeus: *quoniam domum faciet tibi.*	*et domum aedificabit tibi.*

(*a*) Quaest. de evangeliis Tit. IV. q. 14. nn. 7-10 edit. lithogr.

Vulgatus: *quod domum faciat tibi.*	*quod aedificaturus sit tibi . . . domum.*
Vetus latinus interpres consonat alexandrinis.	. . . .
Alexandrini: *quod domum aedificabis ipsi.*	*et domum aedificabit tibi.*
Symmachus: *faciet.*	. . . .
Codex alexandrinus: *quod domum aedificabis ipsi.*	*et aedificabit tibi.*
Complutens: *aedificabit tibi.*	*et aedificabo tibi domum.*
Chaldaeus: *quod domum regni statuet tibi.*	. . . .
Syrus: *quod domum faciet tibi.*	*quod regnum stabile est tibi.*
Arabs: *et ampliabit domum tuam.*	*quod tu non aedificabis ipsi domum.*
Theodoretus: *quod aedificabit domum sibi.*	. . . .
Cyprianus, Lactantius, Ambrosius: *non aedificabis.* Lege Arabem in paralipomenis.	. . . .

§. II

Vocum et loquutionum significatio.

33. Vox hebraica, quae in oraculo prima est, reddi potest sive per tempus verbi praeteritum sive per futurum. Graeci et vetus interpres latinus futurum praetulerunt, sicut etiam Caietanus, qui hoc futurum ita explanat, tamquam si Nathan praediceret ipsam praedictionem, quam mox editurus erat. Exquisita nimis interpretatio, sed et minus recta, siquidem ex loco parallelo paralipomenon apparet vocem illam reddendam esse per praeteritum tempus. Arabs, quum hanc vocem verteret, videtur ob oculos habuisse interpretem graecum libri paralipomenon, quamvis in eo libro hebraicum exemplar potius quam graecum interpretem sequutus sit.

34. Hebraica loquutio עֲשׂוֹת vel בְּנוֹת בַּיִת לְפַל׳ *facere* vel *aedificare domum alicui* tantumdem valet ac alicui liberos et posteritatem dare (*a*).

§. III

Explanatio sensus literalis.

35. Promisit itaque Deus Davidi liberos (34) progeniemque, quae secundum interpretationem Ionathanis του ψευδωνυμου (32), proinde etiam secundum veterum Iudaeorum sententiam, quibus interpres syrus adstipulatur, regnum obtentura erat; idque ipsum etiam versiculus sequens evincit, in quo consectaria huius promissi exponuntur, sicut infra (48) demonstrabimus. Hactenus tamen universalis est ista promissio, utpote quae Davidis posteros in universum, ideoque, non modo Salomonem, sed etiam Christum videtur complecti, et, siquidem nil praeterea adderetur, ita omnino foret intelligenda, ut, non Salomonem modo, sed Christum quoque secundum sensum literalem, licet implicite, promissum crederemus. Id autem multo potiore ratione, si sequamur interpretes alexandrinos in vertendis verbis libri Regum (32), ea enim sic versa et cum versiculo quinto illius capitis collata aliter nequeunt intelligi, nisi secundum sensum loquutionis hebraicae *facere alicui domum* (34). Sed multo etiam magis ea sic intelligere oportet, si versiculum hunc legamus, ut legit Theodoretus; quae tamen lectio neque antecedentibus congruit, neque consequentibus. Attamen, quum ea verba, quae continuo subduntur, et quibus manifestum est comprehendi consectaria huius universalis promissionis, in sensum literalem accepta de Salomone dicta esse appareat, liquet de Salomone secundum literalem sensum dicta esse etiam illa, de quibus loquimur.

(*a*) Lege Ex. I, 21; Deut. XXV, 9; Ruth. IV, 11; I Sam. II, 35; I Reg. II, 24; XI, 38, et considera Genes. XVI, 2 hebr. et XXX, 3.

§. IV

Explanatio sensus spiritalis.

36. Possunt tamen eadem haec etiam in sensum spiritalem accipi, atque ita Christi quoque ex Davide orituri promissio esse. Quod quum dicimus, idem est, ac si diceremus, Spiritum sanctum hisce verbis voluisse remote, id est, per Salomonem τυπικῶς praesignificare ipsum Christum. Non equidem affirmo id ita reapse esse factum, sed solum posse id ita factum esse. Ad quod probandum satis esset vel ipsa significatio verborum, quae nihil habet, quod quadrare nequeat in Christum, qui utique filius Davidis futurus erat; vel etiam quia Salomon Christi figuram gessit, potissimum vero tunc, quum Davidi a Nathane promissus est, ut arguere est ex versiculo decimo quarto, in quo certum fit ex Pauli auctoritate (28) Christum praenuntiari, attamen non aliter quam significatum per Salomonem, quo de in illo versiculo sermonem esse videbimus (65 seqq.). Sed praeterea favet sententiae nostrae auctoritas eorum, qui totum oraculum tamquam de Christo editum vel accipiunt (3. 5), vel accipi posse arbitrantur. Insuper aliud sese offert, quod consideremus. Manifesto enim apparet Deum hisce verbis, non modo filium, qui templum conderet, praenuntiare Davidi voluisse, sed etiam consilium, quod David inierat, templi aedificandi remunerari. Id facile colligimus tum ex eo, quod, quum David vellet Deo *domum aedificare*, Deus vicissim promittat se ipsi Davidi *domum aedificaturum* (1), tum etiam ex eo, quod ante hanc promissionem habita sit enumeratio beneficiorum, quae Deus in Davidem iam contulerat, ita ut pateat promissionem hanc addi tamquam novum beneficium. Iam vero quis neget templum, quod David exstruere cupiebat, quodque postea exstruxit Salomon, Christi figuram fuisse (*a*)? Cui autem videatur Deus non alia ratione Davidem tunc remunerari voluisse, quam promittendo alium filium praeter eos, quos iam ad sex numero habebat, et poste-

---

(*a*) Lege Io. II. 19-21; Coloss. II, 9 coll. III Reg. VIII, 10. 11 et II Par. VII, 1. 2.

ritatem ex illo potius quam ex istis futuram, quin quidquam Davidi indicaret de eo, qui inter eius posteros maximus futurus erat, id est, de Messia ? Quamobrem Dei sermo in sensum spiritalem acceptus talis esse videtur : *Quoniam tu mihi* domum aedificare *decrevisti, templum, inquam, quod Messiae typus erit, ego vicissim tibi* domum aedificabo, *progeniem videlicet impertiam, ex qua sit ipse Messias per templum praesignificatus ac per filium illum tuum, qui templum condet, et ex cuius nepotibus idem hic Messias progignetur.*

37. Dices fortasse, id, quo Deus Davidem remuneratus est, fuisse promissionem regni posteris eius perpetuo mansuri (*a*). Verum promissio haec alia est promissione posteritatis, deque ea postea loquemur. Utraque porro Deus Davidem est remuneratus. Neque opponas non videri fuisse conveniens Christum Davidi praenuntiari per spiritalem verborum significationem quandoquidem per literalem praenuntiatur versiculis decimo quinto et decimo sexto. Etenim hisce versiculis proprie, nequaquam Christus ex Davide oriturus, sed regnum Christi aeternum, utique secundum sensum literalem (73 seqq.), praedicitur, ideoque, ut David intelligeret hoc regnum Christi aeternum ad progeniem suam pertinere, necesse erat iam ea praedicta esse, quibus Christus ex ipso oriturus praenuntiaretur. At, quaecumque praedicta fuerant, Salomonem secundum sensum literalem sonant tantummodo. Necesse igitur est aliqua ex illis esse, quae in spiritalem sensum accipi debeant, atque ita accepta Christum ex Davide oriturum significent. Instabis fortasse, et dices sensum literalem unius sententiae declarari non posse per sensum spiritalem alterius sententiae. Iam vero ea, quae dicta de Christo habentur in versiculo undecimo, de eo dicta non sunt nisi secundum sensum spiritalem. Ergo haec nequibant Davidem iuvare ad colligendum sensum literalem versiculorum decimi quinti et decimi sexti. Verum, quod initio ponis in argumento, falsum est, quoties de sensu illo spiritali nobis certo constat. Davidi porro id certo constitisse putandum est, sibi per filium Salomonem tamquam δια τυπου Christum ex ipso oriturum a Deo portendi

(*a*) II Reg. VII, 12. 13.

atque promitti; secus enim, ut aiebam, literalem sensum versiculorum decimi quinti et decimi sexti non recte percepturus fuisset. Has autem difficultates nunc diluisse proderit, ne denuo in eas incurramus, quum versiculos, qui sequuntur, declarabimus.

SECTIO II

Cumque completi fuerint et cetera.

§. I

Translationum disparitas.

IN LIBRO II REGUM VII, 12.	IN LIB. I PARALIPOMENON XVII, 11.
38. Hebraeus: *Quum* vel *Quando.*	*Et erit, quando.*
Vulgatus: *Cumque.*	*Cumque.*
Vetus Latinus ut Alexandrini.	*Et erit, cum.*
Alexandrini: *Et erit, si.* Lege Hebraeum in paralipomenis.	*Et erit, quando.*
Chaldaeus: *Quoniam.*	. . . .
Syrus: *Et quando.*	*Et quando.*
Arabs: *Et quando.*	*Sed quando.* Confer v. 10.
Cyprianus: *Sed erit etc.* } Confer arabica paralipomenon et v. 11.	. . . .
Lactantius: *Sed cum etc.* }	. . . .
Ambrosius: *Sed* }	*Et erit, cum.*
39. Hebraeus: *et suscitabo* vel *suscitavero.* }	Ut in libro Regum.
Vulgatus: *suscitabo.* }	
Alexandrini: *et suscitavero.* }	
Chaldaeus: *et suscitabo* vel *suscitavero.*	. . . .

Syrus: *suscitabo.*	*et suscitabo* vel *suscitavero.*
Arabs: *suscitabo.*	*ego suscitabo.*
Athanasius: *surget.*	. . . .
40. Hebraeus: *semen tuum post te.*	Ut in libro Regum.
Chaldaeus: *filium tuum post te.*	. . . .
Arabs: *filium tuum.* Expende, quae sequuntur.	*de stirpe tua post te.*
Athanasius: *ex semine tuo alius.*	. . . .
41. Hebraeus: *qui egredietur de visceribus tuis.*	*qui erit de filiis tuis.*
Vulgatus: *quod egredietur de utero tuo.*	*quod erit de filiis tuis.*
Vetus Latinus ut Alexandrini.	*qui erit de ventre tuo.*
Alexandrini: *qui erit ex ventre tuo.*	Ut in libro Regum.
Symmachus: *de visceribus.*	. . . .
Chaldaeus: *quem generabis.*	. . . .
Syrus: *qui egredietur de lumbo tuo.*	Ut in libro Regum.
Arabs: *qui egredietur de lumbo tuo post te.* Expende vocem antecedentem.	*qui erit de lumbo tuo.*
42. Hebraeus: *et firmabo* vel *firmavero regnum eius.*	Ferme ut in libro Regum.
Alexandrini: *et paravero regnum eius.*	Ut in libro Regum.
Symmachus: *firmabo* vel *firmavero.*	. . . .
Syrus: *et firmabo regnum eius.*	*et firmabo* vel *firmavero eum in regno tuo.*

§. II

Vocum et loquutionum significatio.

43. Particula כִּי hoc in loco non indicat caussam aut modum, sed tempus; proinde vertenda est *quando* vel *quum*, non vero *quoniam*, ut interpres chaldaeus fecit. Nam primo ea, quae sequuntur, non sunt caussa aut modus rei, de qua prius dictum est, sed potius huius consectaria. Ad hoc omnes praeter interpretem chaldaeum ita eam reddiderunt (38). Denique id confirmat loquutio libri paralipomenon, in qua, siquidem particula haec caussam aut modum indicaret, verbo וְהָיָה *et erit* locus esse non posset.

44. Haec libri paralipomenon loquutio hyperbaton habet apud Hebraeos frequentissimum, de quo consulatur Gesenius (*a*). Protasis est *Et erit*. Utra vero apodosis, id est, utrum eorum, quae sequuntur, subiungendum? verbum *suscitabo*, an sequens versiculus duodecimus? Interpretes vulgatus, syrus, arabs, illud praetulerunt; alexandrini ob coniunctionem καὶ, quam praeposuerunt voci ἀναστήσω, videntur alterum praetulisse. Solutio huius quaestionis pendet ex alia quaestione, utrum cum particula כי construatur etiam verbum וַהֲקִימֹתִי, an secus. Utrumque esse potest tum in hoc tum in libro Regum; si tamen horum prius praeferatur, magis connexa erit sententia huius versiculi cum sequentis. Quare ita potius haec vertenda putarem, ferme ut vertisse videntur interpretes alexandrini: *Et erit, quum completi fuerint dies tui, et suscitavero semen tuum, ... et firmavero regnum eius, ipse aedificabit etc.* Quae interpretatio vel eo praestat, quod hac ratione vaticinium, quamquam haec quoque alia huc inserta oblique complectatur, tamen veluti recta tendit ad principale huius capitis argumentum, quod est templi aedificatio.

45. Verbum וַהֲקִימֹתִי plures potest habere significationes, quarum passim exempla sunt. Nos ea solum afferemus, quae libri Regum suppeditant. Prima significatio est *erigere*, puta, columnas, domos,

---

(*a*) Thesaur. philolog. crit. ad verbum היה.

cetera (*a*), item iacentem aut sedentem (*b*), τροπικως inopes, afflictos (*c*). Altera *constituere* aut *confirmare (d)*. Tertia *implere* promissa, iussa, horumque similia (*e*). Quarta *comparare* sibi aut alteri filium, regem, successorem, prophetam (*f*). Quinta denique *excitare*, *ciere (g)*. Harum significationum non aliam hoc loco accipi commode posse quam secundam, attente rem considerantibus facile apparebit.

46. Voces *post te* idem valent, ac *qui sit post te*. Neque enim haec iungenda sunt verbo *suscitabo*, ut in bibliis polyglottis reddita latine sunt arabica libri Regum, quae aliter habent (39. 41), atque etiam syriaca, quae tamen consonant hebraicis; nam hoc verbum idem significare diximus ac *constituero* (44. 45), Salomon autem, haudquaquam post Davidis obitum, sed eo vivente est *constitutus (h)*. Quare verba *post te* coniungere oportet cum verbis *semen tuum*, ita ut veluti adiectiva sint, subauditis *quod erit* aut *quod sit*; cuius ellipseos passim exempla habes, ex quibus proferre sufficiat illud בְּאֶרֶץ לֹא לָהֶם *in terra non ipsis*, id est, *quae non est ipsis*, videlicet *in terra non sua*, ut habet translatio vulgata (*i*). Ita apud Latinos: *Omnes* retro *principes (k)*, *Heri* semper *lenitas (l)*, *Sola mei* super *Astyanactis imago (m)*; ita nos Dei matrem dicimus semper *virginem*.

47. Verbum וַהֲכִינֹתִי reddendum est verbo *firmare* vel *stabilire*, ut vulgatus ceterique omnes interpretes reddiderunt, praeter alexandrinos ac veterem latinum, qui illud reddiderunt verbo *parare*. Neque enim ea, quae deinceps praedicuntur (*n*), contigerunt, quum Salomoni regnum paratum esset, sed quum iam regnum is securus possideret (*o*).

(*a*) III Reg. VII, 21; IV Reg. XXI, 3.
(*b*) IV Reg. IX, 2.
(*c*) I Reg. II, 8.
(*d*) III Reg. IX, 5.
(*e*) I Reg. III, 12; II Reg. VII, 25; III Reg. II, 4; VI, 12; VIII, 20; XII, 15; IV Reg. XXIII, 3. 24.
(*f*) I Reg. II, 35; III Reg. XIV, 14; XV, 4.
(*g*) I Reg. XXII, 8; II Reg. XII, 11; III Reg. XI, 14. 23.
(*h*) III Reg. I, 32-39; I Par. XXIX, 22 coll. praecedd. et 25-28.
(*i*) Gen. XV, 13.
(*k*) *Gruter*. Inscript. p. 281. n. 4.
(*l*) *Terentius* in Andria I, 2, 4.
(*m*) Aeneid. Lib. III. v. 489.
(*n*) II Reg. VII, 13.
(*o*) Conf. I Par. XXII, 9. 10, et III Reg. II, 12, et V, 4. 5.

§. III

Explanatio sensus literalis.

48. Praenuntiata Davidis sobole pergit Nathan ad alia, quae illius promissionis consectaria essent, et quae in sensum literalem accepta ad Salomonem pertinere affirmamus. Primo enim liquet non esse sermonem de progenie, quam David habiturus erat ex filiis, quos iam genuerat; id docent ea verba *quod egredietur de utero tuo*, quae ideo adduntur, ut hac de re Davidi constaret. Sed neque de tota progenie haec dicta esse, verum de uno aliquo ex ea, pluribus evincere possumus. Nam is dicitur regnaturus post Davidem, at non omnes Davidis posteri regnarunt. Idem, ut legimus in versiculo decimo tertio, templum exstructurus erat, quod etiam de tota posteritate dici non potuit. Liber paralipomenon rem prorsus conficit, ubi verba illa *semen . . . de filiis tuis* alterutrum necessario significant, vel *semen filiorum* Davidis, id est, huius nepotes unum aut plures, vel *unum de filiis eius*. Primum dici nequit, hoc enim posito ipsi filii Davidis excluderentur ab hac promissione, idque pugnaret cum illis, quae legimus in decimo tertio versiculo. Ergo alterum, oportet, significent verba illa, *unum*, inquam, *ex filiis*, quos adhuc geniturus erat David. Quare ratione fecerunt interpretes chaldaeus et arabs, qui pro verbis *semen tuum*, reddiderunt in libro Regum *filium tuum*, arabs vero in paralipomenis *de stirpe tua*, unum videlicet. Recte etiam alexandrini post neutrum nomen σπέρμα articulum ὅς masculinum posuerunt. Adstipulatur denique nobis Athanasius ita legens: *Surget ex semine tuo alius (a)*.

49. Sed neque ad Messiam literalis horum sensus pertinere potest. Nam lectio obvia et simplex huius versus nihil exhibet legentium menti, quo de Messia cogitemus, multoque minus, quo id necessario fiat. Tum verba illa: *Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis*, designant tempus, sub quod even-

(a) Exposit. in Ps. CXXXI, 11.

tura erant ea, quae praedicebantur. At possunt ne designare sensu obvio et simplici tempus, sub quod Messias erat oriturus, quum inter Davidis obitum atque ortum Messiae plus quam mille et ducenti anni intercesserint?

50. Si igitur haec secundum sensum literalem neque de tota Davidis progenie, neque de Messia, attamen de uno aliquo ex posteris Davidis, praedicta sunt, quinam is erit, nisi Salomon? Sentiunt nobiscum Tichonius et Theodoretus (14).

51. Adversatur tamen nobis Augustinus (3), quia Salomon regnum auspicatus est vivo patre (46), ideoque illa *suscitabo semen tuum* post te nullo modo in Salomonem convenire putat. Verum, quinam sit sensus vocum *post te*, iam exposuimus (46). Praeterea, si haec in Salomonem nullo modo conveniunt, quomodo convenient in tempus adventus Christi illa: *Cumque completi fuerint dies tui, et cetera* (49)? Insuper, quamvis verba *post te* iungeres verbo *suscitabo*, minus commodum utique sensum haberes, non tamen minus verum, etiamsi de Salomone haec dicantur; esset enim: *Post obitum tuum Salomonem regno confirmabo.*

§. IV

Explanatio sensus spiritalis.

52. Possunt tamen haec etiam spiritalem sensum continere, atque hoc pacto de Christo dicta esse. Sane de Christo dicta esse vel omnia vel ex parte sensere patres praeter Iustinum, qui haec non habet, quotquot enumerati sunt, ubi egimus de prima aliarum sententiarum (3). Item sensere duo Iudaei Alschec et Abarbanel (27. 60). Tum nihil est in hoc versiculo, quod nequeat in Christum aliqua ratione convenire. Huc fortasse spectabat Petrus ad Iudaeos de Davide et de Christo verba faciens die festo pentecostes (*a*).

(*a*) Act. II, 30.

SECTIO III

Ipse aedificabit et cetera.

§. I

Translationum disparitas.

In libro II Regum VII, 13.	In lib. I Paralipomenon XVII, 12.
53. Hebraeus: *Ipse aedificabit.*	*Ipse aedificabit mihi.*
Alexandrini: *Ipse aedificabit mihi.* Confer paralipomena.	Ut Hebraeus.
Syrus: *Et ipse aedificabit.*	*Et ipse aedificabit mihi . . . . nomini meo.*
Arabs: *Et ipse aedificabit.*	*Et ipse aedificabit mihi.*
54. Hebraeus: *et stabiliam thronum regni eius.*	*et stabiliam thronum eius.*
Vetus Latinus ut Alexandrini.	*et erigam sedem eius.*
Alexandrini: *et exstruam thronum eius.*	Ut in libro Regum.
Symmachus: *firmabo.*	. . . .
Syrus: *et firmabo thronum eius.* Confer paralipomena.	*et firmabo thronum regni eius.* Confer librum Regum.

§. II

Vocum et loquutionum significatio.

55. Illud *aedificabit mihi domum* in paralipomenis, quamvis sensu minus obvio, potest tamen intelligi etiam secundum illam significationem, quam alibi diximus (34), prout mox plenius demonstrabitur. Non tamen affirmare ausim eam alteri magis obviae praeferendam esse.

§. III

Explanatio sensus literalis.

56. Etiam vulgatus interpres iam genere masculino (48) uti incipit de *semine* loquens; de uno quippe aliquo Nathanis verba dicta esse probe sentiebat. Sed et de eodem, de quo priora, apparet dicta esse, de Salomone, inquam, ut prodit obvia ac simplex lectio. Negaverat quippe Deus templum a Davide constructum iri; nunc vero Davidem docet, quinam eius loco id esset perfecturus. Sane ita, ut nos, David ipse haec intellexit (*a*). Sic etiam sentiunt Tichonius quantum ad verba *Ipse aedificabit mihi domum*, Hieronymus, auctor libri de Promissionibus Dei, Theodoretus (14).

57. Si cui fortasse libet magis verba *Ipse aedificabit mihi domum* accipere in alteram huius dictionis significationem (55), ut sensus sit Salomonem ipsi Deo procreaturum esse filium, id est, futurum esse unum ex proavis illius, qui simul Dei filius esset, haec *κατα ῥητον*, non modo Salomonem, sed etiam Christum sonabunt.

58. At enim regnum Salomonidarum perduravit ad captivitatem usque Iudaeorum, nec ultra, regnum autem huius, de quo sermo est, dicitur fore, ut perduret עַד־עוֹלָם tota aeternitate. Docet quippe Moyses Maiemonides nomen עולם cum praepositione עד seu sequente nomine עד veram ac proprie dictam aeternitatem significare (*b*). Ergo Salomoni hic locus non est. Verum Maiemonides docet solummodo sic loquendum esse, quum veram ac proprie dictam aeternitatem quis exprimere vult, non tamen affirmat veram ac proprie dictam aeternitatem significari, quoties aliquis sic loquitur. Sane quandoque duae illae voces coniunguntur, quin tamen veram aeternitatem significent, puta, in libro primo paralipomenon (*c*), ubi regnum, quod memoratur, temporarium est, quum illud Salomonis posteris mansurum dicatur addita conditione: *si perseveraverit facere praecepta,*

(*a*) I Par. XXII, 10 coll. 6. 11; XXVIII, 6.

(*b*) More nebochim P. II. c. 28.

(*c*) I Par. XXVIII, 7.

quae sane, conditio pertinere nequit ad regnum aeternum sobolis Salomonis, Messiae, inquam, hoc enim Davidi et Salomoni nulla statuta conditione promissum fuit (9. 80. 82. 90).

59. Quin imo probabile omnino illud est, quod de istis oraculi verbis עד עולם scripsit Caietanus: *Quod autem dicitur* USQUE SEMPER, *etiam ad literam verificatur propter Messiam ex semine Davidis promissum Davidi, cuius regni non erit finis (a).* Quo semel posito liqueret, non modo in primo (57), sed etiam in hoc altero hemistichio Christum κατα ῥητον praedici.

§. IV

Explanatio sensus spiritalis.

60. Sed praeterea integer versus in sensum spiritalem, qui Christum prodat, accipi potest, idque duplici ratione. Primum ex ea parte, quatenus et Salomon Christum, et templum a Salomone exstructum ecclesiam a Christo conditam, quae *domus Dei* vocatur a Paulo (*b*), et regnum Salomonis regnum Christi, teste Augustino (*c*), τυπικως praesignificabant. Sed insuper etiam ex ea parte, quatenus templum ipsum τυπος Christi fuit (*d*), quo spectant ea, quae praeclare in rem nostram scripsit Alschec (*e*): *Vocari non posse domum mansionis Domini, nisi quae stabilis et sempiterna est, tertium videlicet templum, . . . quod non ex lapidibus construetur, sed Dominus illud operabitur in caelis (f).* Lege, quae inferius disseremus de versiculo decimo quinto (74). *Nam traditio est Magistrorum nostrorum bonae memoriae, quoniam tertium templum descendet spiritale de caelis.* Hoc autem, templum, quod ipse Christus futurus erat, a se tandem exstruendum esse, id est, a se Christum esse progignendum, Salomon praesignificabat, quum illud aliud templum exstrueret, quod Christi figura

(*a*) In h. l. v. 16.
(*b*) I Tim. III, 15.
(*c*) In Ps. CXXVI. §. 2.
(*d*) Conf. Io. II, 19. Vid. *Augustin.* l. c.
(*e*) In h. l.
(*f*) Conf. Ps. LXXXVIII, 3.

ac τυπος fuit. Diserte versiculum hunc tamquam dictum de Christo interpretantur Iustinus, Cyprianus, Eusebius, Lactantius, Basilius, Ambrosius, Tichonius, Augustinus, Encherius, qui esse fertur, Cyrillus Alexandrinus (3. 14), atque etiam Theodoretus (a) quantum ad posterius hemistichium.

SECTIO IV

Ego ero ei in patrem, et cetera.

§. I

Translationum disparitas.

In libro II Regum VII, 14.	In lib. I Paralipomenon XVII, 13
61. Hebraeus: *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium.*	Ut in libro Regum.
Chaldaeus: *Ego ero ei sicut pater, et ipse erit mihi assimilatus (somigliante) sicut filius.*	. . . .
Arabs: *Et fiam illi pater, et ipse erit mihi filius.*	*Ego ero illi pater, et ipse erit mihi filius.*
62. Hebraeus: *Quem, in pravitate sua (Cui nel suo mal fare).* Vulgatus: *Qui si inique aliquid gesserit.* Alexandrini: *Et si venerit iniquitas eius.* Chaldaeus: *Qui si peccabit.*	Desunt omnia.

(a) In h. l.

Syrus: *Et in stultitia sua.* Arabs: *Et si stultitiam egerit et peccatum.*	Desunt omnia.
63. Hebraeus: *in virga hominum et in plagis filiorum hominis* vel *Adami.* Vulgatus: *in virga virorum et in plagis filiorum hominum.* Alexandrini ut Vulgatus. Chaldaeus: *in plaga virorum et in castigatione filiorum hominum.* Syrus: *in virga viri, et in verberatione, quae in hominibus.* Arabs: *in virga viri, et in plaga, qua percutiunt homines.*	Desunt omnia.

§ II.

Vocum et loquutionum significatio.

64. Dubitari nequit, quin vox אדם etiam sine articulo saepissime sit nomen collectivum significans *homines* (a), ut omnes interpretes eam hoc loco verterunt. At aeque certum est accipi illam posse, ut quae significet primum hominem, etiam in frequentissima hac dictione בְּנֵי אָדָם, quod nulla ratione refelli potest. Quare etiam in explicando hoc versiculo ita accipi ea vox potest, ut dictionem illam vertamus *filiorum Adami.*

(a) Vid. *Gesen.* Thes. philol. crit. ad h. v.

§. III

Explanatio sensus literalis.

65. Nemo non dispicit, ut alterum hemistichium plano atque obvio sensu, non Christum, sed Salomonem exhibeat, atque inde est, quod psaltes, ubi vaticinii huius meminit, verba haec tamquam de posteris Salomonis dicta exponit adhibito numero plurali: *Si autem dereliquerint filii eius legem meam, etc. (a)*; Athanasius vero ex his iisdem verbis rationem profert, cur posteri Salomonis regno exciderint (*b*). Sed et prioris hemistichii significatio literalis Salomonem refert. Id enim eo palam fit, quod hemistichium hoc atque ea, quae proxime antecedunt, continuoque sequuntur, arcte inter se connectantur pronominibus, quae omnimodis referuntur ad nomen *semen (c)*, ut unum ac eumdem hominem constanter indicent. Id etiam David ipse nos docuit (*d*). Id sensere Hieronymus, Tichonius, Iacobus Nisibenus (14).

66. Negant alii in Salomonem convenire verba *Ego ero ei in patrem, etc.*, in sensum literalem accepta. Quod equidem fateor, si patrem et filium naturalem dicas; secus vero si adoptivum. Neque pluris faciendum est, quod opponit Lactantius (3), numquam Salomonem Dei filium vocatum esse. Quid enim? Num, quia nemo me patris mei filium vocet, ideo minus is sim? Num praedixerat Nathan Salomonem Dei filium vocatum iri? Quid vero si negem, quod Lactantius affirmat, et dicam hoc ipso in oraculo ita vocari Salomonem? Num uni Salomoni ea appellatio abneganda, quae tot aliis tribuitur?

67. Alii vero alio ex capite contendunt horum verborum sensu literali Christum significari. Ex hisce enim verbis arguit Apostolus divinam Christi υἱότητα (*e*); at ex spiritali sacrarum scripturarum significatione argumentum duci nequit. Ita Tostatus (*f*) aliique non pauci, ea ratio-

---

(*a*) Ps. LXXXVIII, 31.
(*b*) In Ps. CXXXI, 12.
(*c*) II Reg. VII, 12.
(*d*) I Par. XXVIII, 6.
(*e*) Hebr. I, 5.
(*f*) In II Reg. VII. q. 9.

ne ducti, quam ipsis videtur suggerere Thomas (*a*) Augustinum (*b*) sequutus. Quid de ratione hac sentiendum sit, et an ea Augustini auctoritati innitatur, alias disputavimus (*c*). Illud interea monemus, rationi huic locum esse, quum sensus spiritalis certus atque indubius non est, quum, inquam, Spiritum sanctum auctorem certo non habet; secus autem ecquis neget sensum spiritalem tantumdem ad probationem valere ac literalem?

68. Maioris profecto ponderis est aliud, quod quis intorquere sententiae nostrae posset. Si enim illa: *Ego ero ei in patrem, etc.*, de Salomone dicta sunt, illud Pauli argumentum corruere videtur, quo Christi prae angelis excellentiam demonstrat, quippe quorum nulli dixerit Deus, quod Christo dixerat: *Ego ero illi in patrem, etc.* Reponeres enim, nisi angelis, tamen homini, id est, Salomoni, haec Deum dixisse; num ideo Salomon angelis praestantior? Verum in primis, velim, consideres contra Pauli argumentum pugnare quemquam posse non magis ex hoc quam ex aliis bibliorum locis, in quibus *filii Dei* nominantur alii quam Salomon (*d*). Iam vero verba haec Salomoni utique dicta a Deo sunt secundum sensum literalem, in quantum, haudquaquam naturalem, sed adoptivum patrem ac filium significant; atque hoc modo de aliis quoque, quam de Christo, dicta ea sunt, ac dici possunt, sensu literali, cuius rei vel ipse Paulus testis est (*e*). At eadem ipsa de Christo dicta fuerunt secundum spiritalem ipsorum significationem, et ex hac parte accipi debent, ut quae patrem ac filium naturalem sonant, atque ita accepta negat Paulus de quoquam, sive angelo sive homine, dicta unquam fuisse. Neque enim est, cur verborum significatio, quantum ad ἀντιτυπον pertinet, nequeat sive latius sive brevius extendi, ac fit, in quantum ea pertinet ad τυπον, quum dispar sit utriusque conditio. Ita τυπος, hoc est, Salomonis υἱοτης, adoptiva fuit, ἀντιτυπον vero, id est, υἱοτης Christi, naturalis.

(*a*) 1. q. 1. a. 10. c.
(*b*) Ad Vincent. Rogatistam ep. XCIII al. XLVIII. c. 8. §. 24.
(*c*) Lib. I. c. XIV. q. 4.
(*d*) Vid. Ex. IV, 22. 23; etc.
(*e*) Rom. VIII, 16; Gal. III, 26; etc. Vid. Deut. XXXII, 6; Matth. VI, 9; I Io. III, 1; etc.

§. IV

Explanatio sensus spiritalis.

69. Porro priorem illam versiculi partem ad Christum pertinere nemini iam dubitare integrum est Paulo id affirmante (*a*); supervacaneum propterea foret auctoritates ad id confirmandum allegare (26). Potius animadvertam in toto hoc vaticinio nulla esse, quae, etiam secundum sensum literalem, in Christum magis proprie conveniant, quam verba ista, si tamen seorsum ac seiuncta a ceteris spectentur; in ipsa enim huius sermonis serie atque contextu non aliter Christum exhibere possunt nisi sensu spiritali, quum eum non proxime indicent, sed τυπικῶς per Salomonem, quem proxime sonant secundum significationem literalem. Ceterum, quamvis alia deessent argumenta, ipsa connexio sententiae huius atque antecedentium, in quibus Christum τυπικῶς exhibitum deprehendi posse iam vidimus, sufficeret, cur sententiam hanc quoque pari ratione exponi posse diceremus.

70. Alteram vero versiculi partem nec spiritaliter de Christo dictam esse potuisse plures arbitrantur. At rerum atque verborum nexus credere nos cogunt haec quoque de Christo dicta esse posse, si de eo dicta sunt, quae antecesserunt. Modum autem, quo haec de Christo dici potuerint, explicat Augustinus, cum hoc vaticinio conferens illa psaltae verba: *Si autem dereliquerint filii eius legem meam, etc. . . . . visitabo in virga iniquitates eorum etc. . . . . Misericordiam autem meam non dispergam ab eo (b)*, atque ita disserit: *Non dixit* AB EIS . . . . . *sed dixit* AB EO, *quod bene intellectum tantumdem valet. Non enim Christi ipsius, quod est caput ecclesiae, possent inveniri ulla peccata, quae opus esset humanis correptionibus servata misericordia divinitus coerceri, sed in eius corpore ac membris, quod populus eius est. Ideo in libro Regnorum* INIQUITAS EIUS (62) *dicitur, in psalmo autem* FILIORUM EIUS, *ut intelligamus* DE IPSO DICI QUODAM MODO, *quod de eius corpore dici-*

(*a*) Hebr. I, 5.

(*b*) Ps. LXXXVIII, 31-34.

tur (a). Aliam rationem, qua haec de Christo dici potuerint, nobis suggerit hebraicum ipsum exemplar, a quo abest particula *si* expressam ab interpretibus alexandrinis, chaldaeo, et vulgato, et in quo verbum בְּהַעֲוֹתוֹ verti potest *in peccato suo*; proprium enim est linguae hebraicae usurpare modum verbi infinitum loco nominis (*b*), sicut etiam Graeci dicunt ἐν τῷ εἶναι, et Itali *nel suo operare*, *nel suo dire*. Quo posito rationem etiam, qua Christo peccatum tribui possit, manifestam habemus in his aliis scriptorum sacrorum sententiis: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum (c)*, *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo (d)*, et similibus; ex quibus expende potissimum versiculum secundum psalmi XXI, deque eo consule Vigilium pontificem maximum (*e*) et Tirinum. Praeterea sedulo attende, cur poenae hic a Deo intentatae dicantur propriae *filiorum hominis* sive *filiorum Adami*. Etenim, in quantum illae Salomoni intentantur, nihil peculiare et notatione dignum in hac dicendi forma deprehendimus, sed solum aliquam poeticam loquutionem. In quantum vero Christo ipsi infligendae praedicuntur, eccur ita vocentur, nisi quia Deus sub Salomonis imagine significaret a se plectendum eum, qui simplex homo non esset, neque peccato obnoxius, proinde nullam esset promeritus illarum poenarum, quae hominum sunt, id est, hominibus debitae ob admissa peccata, adeoque nec ipsam mortem, poenam videlicet ob Adami peccatum universae huius soboli inflictam (*f*)?

SECTIO V

Misericordiam autem meam et cetera.

§. I

Translationum disparitas.

In libro II Regum VII, 15.	In lib. I Paralipomenon XVII, 13.
71. Hebraeus : *Et misericordia mea non recedet ab eo.*	*Et misericordiam meam non recedere faciam ab eo.*

(*a*) De civ. Dei L. XVII. c. 9.
(*b*) Vid. *Gesen.* Lehrgeb. §. 210.
(*c*) Is. LIII, 6
(*d*) I Petr. II, 24.
(*e*) Constit. c. 23. in Concil. oecum. V.
(*f*) Conf. Is. LIII, 8 hebr.

Vulgatus: *Misericordiam autem meam non auferam ab eo*. Confer hebraica paralipomenon.	*Et misericordiam meam non auferam ab eo.*
Vetus Latinus ut Alexandrini.	*Et misericordiam meam non dispergam ab eo.*
Alexandrini ut Vulgatus.	Ut Vulgatus.
Chaldaeus: *Et benignitas mea non recedet ab eo.*	. . . .
Syrus: *Et misericordiam meam non faciam transire ab eo.*	*Et beneficia mea non recedent de eo* ܡܢ ܠܘܬܗ.
Arabs: *Attamen misericordiam meam non amovebo ab eo.*	*Et bona mea non removebo ab eo.*

§. II

Vocum et loquutionum significatio.

72. Nihil aliud in his verbis considerationi occurrit praeter vim particulae syriacae ܠܘܬ, quae idem valet ac *apud*, sed dicitur solum de rebus, quarum dominium est penes aliquem, quantumvis longe sitae illae sint, ut est subinde usus hebraicae particulae ל (*a*).

§. III

Explanatio sensus literalis.

73. Haec quoque de Salomone dicta esse putarunt Tichonius, Hieronymus, et Theodoretus (14). Enimvero *misericordia*, quae hic promittitur, nihil est aliud nisi regnum, quod progenies Salomonis

---

(*a*) Vid. Gen. XII, 20; XIII, 1. 5; XIX, 8; XXXI, 1; etc. Vid. *Gesen.* Thes. philol. crit. p. 729 d.

aeternum habitura erat, regnum videlicet Messiae. Id primo probatur nexu huius et sequentis versiculi, in quorum altero regnum Messiae aeternum Davidi ac Salomoni promitti demonstrabimus aliis quoque argumentis praeter nexum hunc, qui inter duos istos versiculos intercedit.

74. Secundo, hoc idem probatur collatione instituta inter hoc oraculum et psalmum LXXXVIII. Huius argumentum psaltes ipse nos docet esse *misericordias et veritatem Domini (a)*; quam vocem *veritatem* animadverte redditam esse pro hebraico אֱמוּנָה, quod proprie significat *firmitatem*, saepissime vero *fidem*, qua quis *firmus* promissis manet. Porro loquutionem hanc *misericordiam et fidem* idem valere, ac *misericordiam promissam et fideliter praestandam (b)*, nemo negabit, nisi qui hebraicam poesim ne obiter quidem attigerit (*c*); idque totum eo illustrari potest, quod subinde coniungantur *misericordia* et *foedus* (*d*). Huiusmodi autem *misericordiae* quid sint, continuo psaltes enarrat (*e*), promissiones videlicet esse Davidi a Deo dictas. Idque ita esse integer psalmus confirmat, qui totus est de hisce promissionibus, et cuius brevem σύνοψιν si nunc exhibuerimus, omnino rem nostram egisse dicendi erimus.

75. Scriptus est psalmus, quum populus gravi calamitate premeretur (*f*), quae omnino fuisse putanda est captivitas post eversa a Chaldaeis Hierosolyma ac sublatum regnum stirpis davidicae (*g*). Propositum psaltae in eo scribendo fuit de his calamitatibus conqueri, his enim questibus constat postrema pars carminis; sed potissimum de *dilatione adventus Christi*, quem brevi adfuturum Iacobi prophetia (*h*) ex parte spem facere videbatur, hoc enim primum conqueritur secundum vulgatam interpretationem (*i*), hoc ultimum (*k*). Nam *Christi commutationem (l)* patet nihil esse aliud,

---

(*a*) Ps. LXXXVIII, 2.
(*b*) Vid. *Gesen.* Thesaur. philol. crit. ad litt. ר 1 d.
(*c*) Conf. Mich. VII, 20.
(*d*) Deut. VII, 9. 12; III Reg. VIII, 23; II Esdr. I, 5; IX, 32; Is. LIV, 10; LV, 3; Dan. IX, 4.
(*e*) Ps. LXXXVIII, 3-5.
(*f*) Ib. 39-52.
(*g*) Conf. Ib. 40-47. 50.
(*h*) Gen. XLIX, 10.
(*i*) Ps. LXXXVIII, 39.
(*k*) Ib. 52.
(*l*) Ib.

quam *commutationem temporis* sive dilationem adventus Christi, non autem, ut contendit Possinus (*a*), *translationem* iuris progignendi Christi a familia Salomonis ad familiam Nathanis huius fratris. Id autem comprobat vox hebraica עִקְּבוֹת, quae etsi *vestigia* sonet, quum tamen oriatur ex radice עקב forma pihel, quae sonat *retardavit (b)*, haud dubitem vocem hanc *dilationis* etiam notionem complecti (*c*), quod et alia argumenta credere suadent, potissimum totius sermonis, qui arctissime connexus est, series atque contextus, et arabicum verbum عقب, quod inter cetera significat etiam *distulit*, *procrastinavit*, et ex cuius secunda forma est مُعَقِّب *procrastinator*, vel *cui aliquid differtur*; quin et David Kimchius (*d*) nobis adstipulatur, et plenius quoque Talmudistae (*e*). Porro, etsi tale fuerit psaltae propositum, non tamen id, sed pio quodam atque eleganti artificio aliud dicit se assumere, quod canat, *misericordias*, inquam, Davidi a Deo *promissas*, ex quibus certum malo remedium sperabat. Itaque, carminis argumento paucis proposito (*f*) atque explicato (*g*), haudquaquam in questus continuo prorumpit, sed, his veluti planiorem viam consternens, opera Dei miranda infinitamque potentiam primum celebrat (*h*). Deinde venit ad ea bona, quae Deus in Davidem contulerat, fusius explicanda, postremoque ad *misericordiam* illam Davidi *firme promissam (i)*. Pergit ad Davidis sobolem ac praesertim ad Salomonem verbis illis *et in nomine meo exaltabitur cornu eius (k)*, quae Salomonem sonare dicenda sunt, non modo ob significationem nominis *cornu*, de qua iam diximus (24), sed praecipue quia postea de hoc praedicta narrantur, quaecumque de Salomone a Nathane praedicta fuerant (*l*). Horum autem postrema commemorat psaltes *misericordiam* ac cetera, quae comprehenduntur illis versiculis, qui sunt decimus quintus et decimus sex-

(*a*) Diallacticon theogenealogicum c. 42 in fine Tom. I Symbolarum in Matth.

(*b*) Conf. Iob. XXXVII, 4 et *Rosenmüll.* Schol. in Iob. ib.

(*c*) Vid. *Castelli* Lexic. heptaglott.

(*d*) In Ps. LXXXIX, 51.

(*e*) Sola c. 9 ap. *Castell.* l. c.

(*f*) Ps. LXXXVIII, 2.

(*g*) Ib. 3 - 5.

(*h*) Ib. 6 - 19.

(*i*) Ib. 20 - 25.

(*k*) Ib. 25.

(*l*) Ib. 25 - 30.

tus in capite septimo libri secundi Regum (*a*), ac subdit numquam futurum, ut a Salomone ob admissa ab eius posteris peccata *misericordia* haec auferatur (*b*); cuius rei ratio affertur, eaque est Deum iureiurando promissionem suam firmasse, fore, ut et posteritas et regnum Davidis ac Salomonis aeternum perdurarent (*c*). Tum demum psaltes mala illa conqueritur, veluti huic promissioni repugnantia (*d*); sic enim, postquam illa enumeravit, sermonem concludit (*e*): *Ubi sunt* MISERICORDIAE *tuae antiquae Domine*, SICUT IURASTI DAVID IN VERITATE TUA? Orat denique (*f*) Deum, ut rei illi prospiciat, quae maxime omnium eum angebat, quo totum psalmum spectare animadvertimus, videlicet ne Christi adventus tam in longum differatur (*g*).

76. Itaque, quum in hoc psalmo nomen *misericordiae* sonet ea, quae Deus Davidi promiserat, quaerendum ulterius est, quodnam horum promissorum potissimum sic vocetur. Dicimus autem *misericordias*, quae hoc psalmo celebrantur, esse regnum aeternum stirpis davidicae, id est, regnum Christi. Primo enim psaltes *dilationem Christi* conquerens (*h*) *misericordiam* illam urget (*i*). Praeterea *misericordia* haec dicitur *aedificanda in caelis* (*k*), quo cum confer ea, quae scripsit Alschec, nosque retulimus superius (60). Neque obest, quod illud *in caelis* solus interpres vulgatus iungat cum vocibus, quae antecedunt, reliqui vero omnes cum iis, quae sequuntur, atque ita legant: *In aeternum misericordia aedificabitur, in caelis praeparabitur veritas tua in eis*. Etenim, praeterquam quod *misericordia* dicitur *aedificanda in aeternum*, ex iis, quae antea diximus de significatione illius nominis *veritas* (74), apparet idem esse *veritatem praeparandam* et *misericordiam aedificandam*. Attende in hebraico exemplari haec ita legi: *In aeternum misericordia aedificabitur, in caelis confirmabis fidem tuam in eis*, fidem, inquam, in promissis servandis, hoc est, *implebis promissa tua in caelis*. Insuper inducitur Deus ita loquens: MISERICORDIAM *autem meam non di-*

(*a*) Ib. 29. 30.
(*b*) Ib. 31 - 34.
(*c*) Ib. 35 - 38.
(*d*) Ib. 39 - 49.
(*e*) Ib. 50.
(*f*) Ib. 51.
(*g*) Ib. 52.
(*h*) Ib. 39. 52.
(*i*) Ib. 23. 25. 34. 50.
(*k*) Ib. 3.

spergam ab eo (*a*). Quare ? Quia *semel* IURAVI *in sancto meo (si David mentiar?)* SEMEN EIUS IN AETERNUM MANEBIT , *et* THRONUS EIUS *sicut sol* IN CONSPECTU MEO , *et sicut luna perfecta* IN AETERNUM , *et testis* IN CAELO *fidelis* , sive , ut hebraica sonant , *sicut luna* STABILIETUR IN AETERNUM , *et testis* IN CAELO FIRMUS (*b*). Atqui haec adeo magna , ut sunt , neque pertinent , neque pertinere possunt, ad regnum temporarium Davidis eiusque sobolis. Denique animadverte psalmum scriptum fuisse longo tempore post sublatum regnum Iudae. Quum igitur psaltes dici nequaquam possit putasse Deum fidem fallere , dicendus etiam est nullo modo putasse *misericordiam* illam, quam commendat, pertinuisse ad regnum temporarium posterorum Davidis.

77. Porro *misericordiam* , cuius meminit psaltes , manifesto liquet esse eam ipsam , cuius meminerat Nathan , et quam Davidi promiserat. Ergo *misericordia* Davidi a Nathane promissa nihil est aliud nisi regnum Messiae (73).

78. Tertio , hoc idem confirmat Siracides. Is trecentis ferme annis , postquam stirps Davidis regnum amiserat , ea narrans , quae Salomon peccaverat (*c*) , et quomodo a Deo punitus fuerit (*d*) , quo impleta fuerat illa Nathanis praedictio : *Qui si inique aliquid gesserit, etc.* , continuo haec subdit : *Deus autem non derelinquet* MISERICORDIAM *suam* (*e*) , quae manifestum est desumpta esse ex vaticinio Nathanis. At Siracides haec dicere nequibat de regno Davidis terreno ; dixit ergo de regno aeterno et caelesti Messiae ex Davidis stirpe orituri.

79. Quarto, probamus hoc idem testimonio Pauli, qui demonstrat oportuisse Christum reviviscere prolatis Isaiae (*f*) verbis : *Dabo vobis sancta David fidelia* (*g*). Obscurum videtur hoc argumentum Pauli. Sed claret , statim ac accipimus *misericordiam* Davidi promissam esse regnum aeternum Christi , ut nobiscum consentit Kimchius (*h*). Etenim verba illa *sancta David fidelia* in Isaia ita sunt : חַסְדֵי דָוִד הַנֶּאֱמָנִים, hoc est, ut ea transfert Hieronymus, MISERICORDIAS

(*a*) Ib. 34.
(*b*) Ib. 36. 38.
(*c*) Eccli. XLVII, 21. 22.
(*d*) Ib. 23.
(*e*) Ib. 24.
(*f*) Is. LV , 3.
(*g*) Act. XIII , 34.
(*h*) In Is. l. c.

David fideles; vox autem *fideles*, secundum vim vocis hebraicae, sonat *fidem promissorum*, id est, *fidum in promissis servandis*, et eodem sensu iungitur nomini *misericordias*, ac in psalmo LXXXVIII huic eidem nomini nomen *veritatem* coniungi vidimus (74). Animadverte etiam ab Isaia *misericordias David fideles* vocari *pactum sempiternum* (74). Iam vero, si in hoc Isaiae vaticinio *misericordia Davidi firmiter promissa et praestanda* nihil sit, nisi regnum aeternum Christi, id autem eam esse intelligimus, tum quia ipsa vocatur *pactum sempiternum*, tum quia manifestum est Isaiam loqui de Christo, consequens est Christum omnino oportuisse redivivum surgere a sepulcro, ut ea promissio impleretur. En argumentum Pauli prorsus dilucidum. Lege Rosenmüllerum (*a*).

80. Quinto, hoc idem evincimus ipso hoc vaticinio et aliis testimoniis scriptorum sacrorum, quibus huius *misericordiae* mentio fit. Etenim in hisce omnibus certum est eam significare regnum Davidi promissum. Utrum porro regnum temporarium an aeternum, discimus ex eo, quod regnum temporarium perpetuum promissum fuerit sub certa quadam conditione (82), quum e contrario *misericordia* haec non modo absque ulla conditione fuerit promissa, sed ab eius promissione omnis prorsus conditio expresse exclusa sit; sensus enim omnium illorum locorum huiusmodi est: *Si soboles Davidis peccaverit, poenas luet, at non ideo* MISERICORDIA *ei auferetur*. Ergo haec *misericordia* est regnum Christi filii Davidis sempiternum (*b*), quod fortasse confirmatur verbis Zachariae (*c*) et Mariae virginis (*d*).

81. Neque interpretationi nostrae illud officit, quod statim verbis, quae modo explanavimus, subditum est: *sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea*; ex quo aliquis argueret, quum *misericordia* illa ablata dicatur a Saule, nihil aliud eam esse posse, nisi regnum temporarium, nam regnum Christi aeternum numquam ad Saulem eiusque stirpem pertinuit. Id, inquam, nihil est. Etenim, quandoquidem in hoc oraculo simul iungitur typus et res per typum significata, regnum vero Iudaeorum, sive rex esset Saul, sive

(*a*) Schol. in Is. l. c.
(*b*) Vid. Is. LIV, 10; LV, 3 coll. praecedent.
(*c*) Luc. I, 69. 72.
(*d*) Ib. 54. 55.

David, sive Salomon, sive quivis alius, semper fuit typus regni Christi, sensus huius versiculi est huiusmodi: *Non auferam Salomoni rem illam, cuius typum abstuli a Saule.* Vel dicere etiam poteris, non res, sed modos rerum comparari.

82. Nemo, arbitror, opponet, *misericordiam* hanc sub aliqua conditione Davidi fuisse promissam, ideoque esse non posse regnum Christi aeternum, quod nulli conditioni obnoxium Davidi a Deo promissum fuisse constat. Nemo, inquam, id pronuntiabit. Nam utique accipimus regnum temporarium stirpi davidicae perpetuo addictum fuisse sub ea conditione, ne legem divinam perfringerent (*a*); at prorsus negamus sub hac aut simili conditione promissam Davidi fuisse *misericordiam* illam, quum e contrario legentibus Nathanis vaticinium tum in libris Regum tum in paralipomenis palam sit quamcumque conditionem inde abesse, illamque *misericordiam* nullo modo ex moribus aut gestis posterorum Davidis pendere (80).

§. IV

Explanatio sensus spiritalis.

83. Quamquam autem secundum significationem literalem versiculus iste doceat futurum, ut Messias ex Salomone ortus aeternum regnet, posse tamen huic eidem versiculo inesse etiam significationem spiritalem, quae ad Christum pertineat, perspicuum est. Praedicitur quippe τυπικῶς numquam fore, ut Christo regnum auferatur, etsi (*b*) peccata nostra in se contulerit, eorumque poenas a patre inflictas luerit (70). Cui interpretationi illustrandae facit Isaiae caput LIII, in quo sermo est de peccatis nostris in Christum conferendis, deque poenis, quas propterea ipse soluturus erat, et de gloria, quam post illa erat consequuturus. Quae vero subduntur de Saule, nullam pariunt difficultatem, sensus enim idem est, ac si Deus ita Davidem alloquutus esset: *Regnum non auferam a Christo, qui ex te or-*

(*a*) III Reg. II, 4; VIII, 25 coll. II Par. VI, 16; III Reg. IX, 4. 5 coll. II Par. VII, 17. 18; I Par. XXVIII, 6. 7; Ps. CXXXI, 12.

(*b*) II Reg. VII, 14.

tus tandem post te regnabit, sicut abstuli a Saule, qui regnavit ante te. Igitur iste versiculus secundum sensum literalem pertinet ad Salomonem, eique praenuntiat regnum aeternum Christi ex ipso orituri; secundum sensum spiritalem pertinet ad Christum, praenuntiatque regnum, quod aeternum is esset habiturus. De Christo dicta haec fuisse sentiunt Tichonius, Ambrosius, Augustinus, quique Eucherius creditus est (3. 14).

SECTIO VI

Et fidelis erit domus tua et cetera.

§. I

Translationum disparitas.

In libro II Regum VII, 16.	In lib. I Paralipomenon XVII, 14.
84. Hebraeus: *Et firma erit domus tua.*	*Et stare faciam illum in domo mea.*
Vulgatus: *Et fidelis erit domus tua.*	*Et statuam eum in domo mea.*
Vetus Latinus ut Alexandrini.	*Et fidelem eum servabo in domo mea.*
Alexandrini: *Et praestita fide firmabitur domus eius.*	*Et fide praestita firmabo eum in domo mea.*
Symmachus: *firmà (domus).*	. . . .
Aquila, Symmachus, Theodotio: *domus tua.*	. . . .
Complutenses: *domus tua.*	*statuam.*
Chaldaeus: *Et firma domus tua.*	. . . .
Syrus: *Et erit fidelis domus tua.*	*Et praeficiam eum domui meae.*
Arabs: *Sed erit domus tua.* Lege, quae sequuntur.	Ut Syrus.

85. Hebraeus : *et regnum tuum usque in saeculum.*	*et in regno meo usque in saeculum.*
Vulgatus : *et regnum tuum usque in aeternum.*	*et in regno meo usque in sempiternum.*
Vetus Latinus ut Alexandrini.	*et in regno eius in saeculum.*
Alexandrini : *et regnum eius usque in aeternitatem.*	*et in regno eius usque in aeternitatem.*
Aquila, Symmachus, Theodotio: *regnum tuum.*	. . . .
Complutenses: *regnum tuum.*	Ut Alexandrini.
Chaldaeus ut Hebraeus.	. . . .
Syrus ut Hebraeus.	*et in regno meo in saeculum saeculorum.*
Arabs : *et regnum tuum firmum et stabile in aeternum* (87).	Ut Syrus.
86. Hebraeus : *ante faciem tuam.* Vulgatus : *ante faciem tuam.* Alexandrini : *coram me.* Chaldaeus : *coram te.* Syrus : *coram me.* Arabs :	Desunt.
87. Hebraeus: *thronus tuus erit firmus usque in saeculum.*	*et thronus eius.* Cetera ut in libro Regum.
Vulgatus: *et thronus tuus erit firmus iugiter.*	*et thronus eius erit firmissimus in perpetuum.*
Vetus Latinus ut Alexandrini.	. . . .
Alexandrini : *et thronus eius erit erectus in aeternitatem.*	*et thronus eius erit erectus usque in aeternitatem.*

Complutenses: *thronus tuus.*	Ut Alexandrini.
Chaldaeus: *solium regni tui erit stabilitum in saeculum.*	. . . .
Syrus: *et solium tuum stabilietur coram me usque in saeculum.*	*et solium regni eius erit paratum ei in saeculum.*
Arabs: . . . . (85).	*et solium regni eius erit perenne in aeternum.*

§. II

Vocum et loquutionum significatio.

88. Verbum נֶאְמַן, quod ab interpretibus vulgato et syro vertitur *fidelis fuit*, magis proprie et frequentius valet idem ac *firmus fuit* (74. 79). Atque ita id vertendum esse confirmant ipsa materia, posterius hemistichium, locus parallelus in paralipomenis, translationes reliquae, pluresque enarratores scripturarum, inter quos Tostatus et Nobilius. Imo ipsum nomen *fidelis* ab interprete vulgato non raro adhibetur pro nomine *firmus (a)*.

§. III

Explanatio sensus literalis.

89. Quae modo animadvertimus, eos refutant, qui ex voce *fidelis* argumentum sumunt, ut evincant hic sermonem non esse de Salomone, quippe qui, non secus ac ipsius *domus* progeniesque, *fidelis* Deo minime fuerit.

90. Quae continet hic versiculus, ea sunt continuatio promissionis, quae habetur in versiculo superiore, eiusdemque huius promissionis veluti consectaria, ac simul his habetur explanatio nominis *mi-*

(a) Ps. CX 8; I. XXII, 23; etc.

sericordiae, ideoque dicenda sunt pertinere ad regnum aeternum Messiae, qui ex Davide eiusque filio Salomone originem duceret. Etenim haec connexa prorsus esse apparet cum superioribus, quibus regnum illud praedici demonstravimus (73 seqq.), et aeque ac illa nulli prorsus conditioni obnoxia sunt, quin et quaevis ab his conditio expresse excluditur (80. 82); quare regnum temporarium stirpis davidicae nequeunt significare, utpote sub certis conditionibus a Deo promissum (82), idque confirmatur vocibus עַד־עוֹלָם, quas, ut scribit Iahn, *non solum longum temporis spatium, sed propriam perpetuitatem significare, ex circumscriptione Ps. LXXXIX, 35-38, Ier. XXXIII, 20. 21, liquet (a).* Animadverte praeterea haec ita narrari in libro Regum, ut quae Davidi a Deo dicta sint, et ad Davidem ipsum pertineant, in libro autem paralipomenon, ut quae pertineant ad eum, de quo et priora dicta sunt, id est, ad Salomonem, sicut rerum ac sermonis contextus prodit, atque Tichonius interpretatur (14). Quo manifestum est in paralipomenis ea declarari, quae sunt in libro Regum, ut appareat ea, quae in hoc Davidi ipsi promissa narrantur, in Salomone eiusque posteris implenda fuisse.

91. Itaque haec quoque κατα ῥητον dicta sunt tum de Salomone, ut de eo, cui promittitur, tum de Christo, ut de eo, qui promittitur.

§. IV

Explanatio sensus spiritalis.

92. Possunt tamen μυστικως dicta esse de Christo, ut de eo, cui promittitur. Quam enim apte haec in Christum conveniant, perspicuum est. Ita senserunt Cyprianus, Eusebius, Lactantius, Basilius, Ambrosius, Tichonius, Augustinus, Eucherius, qui esse creditur, Theodoretus (3. 14).

93. At, si haec tamquam de Christo in spiritalem sensum dicta accipiantur, quid sonabunt illa, quae Davidi dicuntur: *Regnum tu-*

(a) Enchirid. hermen. §. 27.

um usque in aeternum ANTE FACIEM TUAM? Verum animadverte et alexandrinos interpretes et syrum vertisse *ante faciem meam* seu *coram me*, et esse etiam codices hebraicos, qui habent לְפָנַי *ante faciem meam (a)*. Praeterea sensus aeque obscurus esset, quamvis haec ad regnum temporarium posterorum Davidis pertinerent. Denique, quo rem expediamus, responsum nobis suppeditat Alschec, qui ita scripsit: *Nam David rex Israelis vivit adhuc, et superest (b)*; vivit utique David in caelis, ideoque Christus filius eius aeternum regnabit *ante faciem eius*.

ARTICULUS VI

Conclusio.

94. Cuique, puto, ea, quae disseruimus, probabunt integrum oraculum, si secundum sensum literalem illud consideremus, accipiendum esse tamquam dictum, ut re vera est, de Salomone. Posse tamen, quaecumque in eo leguntur, secundum sensum spiritalem accipi, ut quae de Christo dicta sint. Insuper adeo apte omnia haec in Christum congruere, ut seorsum sumpta ac divulsa a tota narratione, quam exhibent libri Regum et paralipomenon, possint secundum sensum literalem Christo accommodari. Quin et hoc amplius, quum in toto vaticinio *Salomonis* nomen numquam legatur, sed solummodo *semen* Davidis nominetur, videri sensum literalem vaticinii ad Christum pertinere ex ea parte, quatenus per synecdochen totum pro parte usurpetur, *semen* videlicet seu *progenies* pro *uno* ex posteris. Cui opinioni haud invitus album calculum adiicerem, nisi nimis magni momenti ea essent, quae, prout disputavimus, suadent haec omnia ut de Salomone dicta secundum sensum literalem accipi oportere.

(a) Vid. *De Rossi* VV. LL. in h. l. (b) In h. l.

QUAESTIO X

De oraculo Iobi (Iob. XIX, 23-27).

1. Hieronymus haec scribebat ad Paulinum: *Iob . . . resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius vel cautius scripserit (a)*; et Ioannem Hierosolymitanum refutans haec loquebatur: *Tonet Iob tormentorum victor, et testa radens putridae carnis saniem miserias suas resurrectionis spe et veritate soletur. Quis mihi det, inquit, ut scribantur sermones mei? etc. . . . Quid hac prophetia manifestius? Nullus tam aperte post Christum, quam iste ante Christum, de resurrectione loquitur (b).* Verissime haec dicta esse, Iobum a Hieronymo latine versum legentibus ad liquidum exploratum est; at non item iis, qui in ipsum exemplar hebraicum oculos obiter coniiciunt. Nostrarum itaque partium esse arbitramur hoc, quod vetustiores bibliorum paginae communi omnium aetatum de hominum genere tandem revicturo sententiae comperiendae suppeditant, testimonium luculentissimum defendere atque illustrare.

2. Quum liber Iobi eam praeferat argumenti unitatem, quam nullus alius id genus e scripturarum sacrarum libris, saepe contingit, ut singularum huius partium intelligentia dependeat ex solida libri totius cognitione. Hinc cognitionis huius defectus culpandus procul dubio, saltem ex parte, si verba Iobi, quae enarrare aggredimur, in sensum omnino alium eo, qui verus est, non pauci detorserunt. Quin imo id quoque indidem consequatur necesse est, ut germana horum verborum enarratio, sicut fieri nequit, quin plane probetur, manifestaque appareat, iis, qui libri illius ingenium atque indolem plane tenent, ac sentiunt, ita eorum, qui plena hac notitia sensuque destituuntur, assensum non continuo indubium ac firmum queat sibi conciliare. Quamobrem interpretationem oraculi, quam faciemus,

(a) Ad Paulin. ep. LIII al. CIII. §. 8. (b) Cont. Ioann. Hierosol. §. 30.

praecedat, oportet, summarium aliquod, quod operis materiam et argumentum, finemque, in quem Iobi atque amicorum sermones miscentur, uno oculi aspectu percipiendum exhibeat, praesertim ea, quae ante ipsum oraculum editum disceptata narrantur; quo si quid plenius cupias, adi sis Pinedam nostrum (*a*), De vence (*b*), Schultensium (*c*), Michaelisium (*d*), Rosenmüllerum (*e*). Deinceps singula oraculi verba, quae hoc magis indigent, expendemus, atque illustrabimus, ut veriorem eorum notionem assequamur, et definiamus. Tum, quo nonnulla occupemus, quibus recta oraculi interpretatio impeti solet, planioremque viam interpretationi ipsi sternamus, praecipuos quosdam huius libri locos aperiemus, atque illustrabimus, in quibus palam est vitam futuram, secus ac nonnulli contenderunt, δόγμα Iobo incompertum haudquaquam fuisse. Postremo ipsam oraculi interpretationem habebimus, ac defendemus.

ARTICULUS I

Summarium libri ac singillatim priorum undeviginti capitum.

3. Locus ille πολυθρύλλητος aliisque etiam bibliorum scriptoribus tractatus (*f*), quibusnam de caussis quave ratione ac proportione tum prospera tum adversa inter homines hanc vitam degentes, sive probi illi sint sive improbi, Deus distribuat, is est, in quo totius libri veluti cardo versatur, atque materies continetur. Nemo enim non perspicit huc spectare sermones, quos inter se conferentes inducuntur Iobus, huiusque amici, ac postremo Deus ipse. Etenim sociis Iobum ex iis, quae patiebatur, improbitatis arguere adnitentibus, quod positum haberent, neminem, nisi male factis id meritum, a Deo adversis premi, Iobus in eo perstat, ut se insontem probet, immeritumque tot perpeti ac tanta, quae sibi Deum intulisse conqueritur, amicos

(*a*) Comment. in Iob.

(*b*) Sainte bible T. IX. pp. 6 suiv. Paris 1829.

(*c*) Comment. T. I. Praef.

(*d*) Epimetr. ad praelect. XXXII Roberti Lowth De sacra poesi Hebraeor.

(*e*) Schol. in Iob. Prolegom. II. III.

(*f*) Vid. Ps. LXXII; Eccl. VIII, 14 seqq.; Ier. XII, 1.

simul refellens improborum prosperitate eis obiecta atque exaggerata, miseriaque, in quam probi nati videntur. Deinceps vero Eliu sapientissima oratione rem totam edisserit, haudquaquam improbos putandos esse aut gravioris culpae poenas dare, quotquot calamitatibus franguntur, in probos quoque res adversas ingruere, nec sine optima caussa eis a Deo has infligi. Tandem Deus litem dirimit docens, frustra homines ac temere, quid ei consilii foret in ea re, de qua lis erat, velle investigare, idque comprobat propositis descriptisque suorum operum bene multis, quorum, sive maxima ea sint sive minima, caussae rationesque quaenam fuerint, aeque nos latet.

4. En brevem totius libri συνοψιν, qualem eam confecit Rosenmüllerus.

IOBEIDOS

ΣΥΝΟΨΙΣ

I. Exordium historicum *prosa oratione*	c. I. II.
II. Sermocinatio triplex *vorsa oratione*	c. III-XLI.
I. Disceptationum Iobum inter et triumviros eum invisentes orbis ternarius	c. III-XXXI.
Iobi orationem, qua diem natalem exsecratur,	c. III.
sequitur	
A. Congressus primus	c. IV-XIV.
1. *cum Eliphaso*	c. IV-VII.
a) Eliphasi oratio	c. IV. V.
b) Iobi responsio	c. VI. VII.
2. *cum Bildado*	c. VIII-X.
a) Bildadi oratio	c. VIII.
b) Iobi responsio	c. IX. X.
3. *cum Zopharo*	c. XI-XIV.
a) Zophari oratio	c. XI.
b) Iobi responsio	c. XII-XIV.
B. Congressus secundus	c. XV-XXI.

1. *cum Eliphaso*	c. XV. XVII.
a) Eliphasi oratio	c. XV.
b) Iobi responsio	c. XVI. XVII.
2. *cum Bildado*	c. XVIII. XIX.
a) Bildadi oratio	c. XVIII.
b) Iobi responsio	c. XIX.
3. *cum Zopharo*	c. XX. XXI.
a) Zophari oratio	c. XX.
b) Iobi responsio	c. XXI.
C. Congressus tertius	c. XXII-XXXI.
1. *cum Eliphaso*	c. XXII-XXIV.
a) Eliphasi oratio	c. XXII.
b) Iobi responsio	c. XXIII. XXIV.
2. *cum Bildado*	c. XXV-XXXI.
a) Bildadi oratio	c. XXV.
b) Iobi responsio	c. XXVI-XXXI.
II. Elihui iudicium de illis disceptationibus sermone tribus interiectis intervallis continuato	c. XXXII-XXXVII.
III. Dei oratio, qua omnem hanc litem dirimit	c. XXXVIII-XLI.
III. CLAUSULA HISTORICA *prosa oratione*	c. XLII.

5. Nexum, quo sermones ac sermonum partes simul colligantur, totiusque disceptationis seriem minutatim persequi atque oculis legentium proponere, ratio quaestionis, quam de aliquot solum huius libri versiculis habituri sumus, minime sinit, tametsi non parum ea re iuvaremur, ut sensus horum versiculorum validius mentem atque animum percelleret, veritasque interpretationis manifestior eluceret; illud autem plenissime praestiterunt, etsi non omnes uno modo, inter eos, quos nominavimus, Pineda, Schultensius, et Rosenmüllerus. Unum tamen est, quod praeterire minime oportet, quippe quod plurimum conducat communi Catholicorum aeque ac multorum Protestantium etiam recentiorum sententiae de Iobi oraculo comprobandae, oppositae vero omnem adimat probabilitatem. Est autem illud ratio ac modus affectuum, quibus Iobum agi apparet in illa disceptatione.

6. Etenim mortalium aerumnosissimus, quot quantisque angeretur motibus animi, quum amici advenientes eum ingente omnium miseriarum pondere pressum ac paene enectum conspexere, ipse illis ad diem septimum silentibus eumque commiserantibus lamentabili sermone declarat (a). Exspectaret iam amicos ipsum consolantes; quum contra omnes amicitiae atque humanitatis sensus omniaque iura acerrimis castigationibus illos tamquam procellam insurgere atque irruere in se sentit, indeque arreptam desaeviendi ansam, quo vel a feris commiserationem extorsisset, ex immani, inquam, aerumnarum eius cumulo, dum has veluti certum fucatae probitatis indicium vitio culpaeque ei vertere non dubitant. Primus omnium, sed solum oblique ac veluti eminus, id audet Eliphazus. Iniuriam Iobus repulsare conatur, suamque sibi innocentiam adserere, quae perferat, vividius obtendit, lamentatur immites amicos, iamque adeo usque eum dolor adigit, ut cum Deo expostulet, quod tali ratione ipsum habeat. Sed hinc acrior priore socio Balaadus Iobum impetere, Deoque iniurium iis, quae dixerat, coarguere; plagas ipsi a Deo inflictas exprobrare apertius, ut quae ὑποκριτὴν Deique immemorem prodant, idque exemplis in filios eius editis ob eorum iniquitatem, quod animum paternum immane quantum dilaceret, comprobare. His auditis gravius in animo Iobi fluctus intumescunt, quos contra eluctata viri religiosissimi virtus, prius quidem ea ex ore exprimit, quibus se credere profiteatur ius omne Deo in homines esse, neque posse id homines detrectare, at laxatis mox habenis impotenti moerori atque angori in amariores questus prorumpit, novamque cum Deo expostulationem facit variis ac vehementibus affectibus refertam; quia vero non datur iudicio cum eo certare, saltem se immeritum ab eo plecti ipsummet testem sibi appellat. Quibus verbis quum irritata esset Sophari religio, isque prioribus duobus sociis saevior atque inhumanior in insontem amicum invectus eum longe infra merita castigari contenderet, Iobus exasperato veluti ulcere acerbius dolens, postquam Dei sapientiam potentiamque, quarum notitiam tres illi grandibus verbis ostentabant, plenius quam eis sibi perspectas esse demonstrasset, longius quoque

---

(a) Iob. III.

progressus iam cum ipso numine, quae demum cumque sors vitam suam maneat, disceptare avet, iam iudicio veluti contendit, iam divinum adversarium, quid tandem criminis a se admissum, fidentius percunctatur, pluribus responsum provocans, utque illud sibi aperiat, efflagitans; fugacem demum hominis vitam caducamque conditionem obtendit haud dignam, quam Deus tam sollicite exagitet. *Hinc orbe primo certaminum evoluto*, inquit Schultensius, *ansa ministrata Eliphazo saevissime denuo in caput innoxium detonandi, et, . . . non ea tantum, quae prima aggressione dixerat, confirmandi, sed iras dirasque coelestes directius quam ante Nostro, ut apertissime improbo, intentandi et ingerendi. Quid faceret miserrimus mortalis fulminibus maledictionum undique impetitus? . . . Horum gurgitum aestu saeviente circumactus... eas sortis suae complorationes fundit, et miscet, ut nihil unquam lamentabilius ardentiusque ab una parte, ab altera nihil fidentius animosiusque, humanum pathos vel concipere vel efferre valeat. Haec fuit tertia Iobi provocatio, qua* A DEO *immeritis plagis pium cultorem exscindente* AD DEUM IPSUM APPELLARE *sustinuit . . . Novo hinc torrente Bildadi obrutus, . . . ac si . . . meritissimus pateretur diras, et scelerum furiis vexaretur, ipse vicissim, . . . post iteratos planctus questusque*, sed flebiliore quodam animi sensu atque ad precantis modum devexo, ut qui ulterius ferendo impar sit, iam in clamores prorumpit, se ab omnibus derelictum, suis abominatum, putrescente corpore paene enectum, amare luget, saevientes in eum socios, ut ipsos saltem eius misereat, iterum obsecrat, tum vero tandem *solennissimam illam suscipit contestationem, qua ad* IUDICII ULTIMI TRIBUNAL *a Deo hominibusque damnatam causam remittit, sepulcro interim suo insculpi postulans magnificum carmen, quo* CORONAM IUSTITIAE SIBI *in illo die* DESPONDET, *qui improbi atque impii nomine extirpatus infamatusque iacebat (a).*

7. Ex brevi hac rudique adumbratione facile apparet, ut utraque pars disceptando magis ac magis calere pergeret; utque, dum ex

(a) Op. cit. Praef. pp. 4. 5.

Iobi responsis iugiter vehementioribus ac fidentioribus caussam amici captabant, qua saevius acerbiusque eum castigarent, atque adlatrarent, Iobi vicissim angor ac dolor talibus maledictis, exsecrationibus, calumniis, usque exacerbatus magis magisque crudesceret; ut misere denique ac graviter mentem eius animumque affectum esse oportuerit, quum oraculum edidit, de quo nobis quaestio est. Quibus positis, sicut ex una parte fieri non poterat, quominus a viro tam grandi sapientia praedito adeoque vehementer ac varie affecto, ut Iobum tunc fuisse comperimus, aliquid subinde proferretur insigne, mirum, inexspectatum, puta, quod calamitates sibi a Deo illatas cum Deo ipso expostularet, Deum ipsum in disceptationem veluti vocaret, seque contra Deum vel Deo ipso iudice caussam victurum praediceret, ita quidquid friget, aut ab illis affectibus illaque affectuum vehementia more fluctuum magis atque magis exaestuante alienum est, ex totius libri, ne dum illius oraculi, interpretatione exsulet, necesse est.

ARTICULUS II

Verba ipsa hebraica explicantur.

8. *Quis dabit ergo, et scribentur verba mea?* Particula אפו in interrogationibus semper commodissime vertitur *ergo (a)*, atque ita hoc loco eam vertere suadent tum horum et priorum connexus, qualem flagitat ratio, ob quam Iobum haec pronuntiasse demonstrat ille, quo tunc erat, animi aestus, tum vis atque ἐνέργεια, quam ex ea significatione concipit totus sermo; quae quidem inferius patebunt (97). Illum autem connexum illamque vim minus exprimunt sive *iam nunc* Schultensii, sive *tandem* Gesenii (*b*), sive *utinam* interpretis arabis et Rosenmülleri, quod insuper de sermone Iobi tollit interrogationem; prorsus vero duo illa perimit particula *autem* usurpata ab interprete syro, atque pervertit particula γὰρ *enim* reddita ab alexandrinis.

(*a*) Gen. XXVII, 33. 37; Ex. XXXIII, 16; Iudic. IX, 38; Is. XIX, 12; XXII, 1; Os. XIII, 10; Iob. IX, 24; XVII, 15.

(*b*) Thes. philol. crit. ad h. v.

9. Constructio verborum *quis dabit, ... et scribentur*, hebraica est (*a*), eaque latine sonat *quis dabit, ut scribantur,* quem in sensum verba haec acceperunt interpretes graecus, syrus, latinus, et arabs.

10. Hebraicum מִלַּי *sermones meos* aeque ac *verba mea* significare potest; nos hoc loco posterius accipimus, quia palam est Iobum loqui de *verbis* oraculi, quod continuo editurus erat, hisque perennitatem optare, ut recte adnotavit Schultensius, tametsi et ipse vocem hanc verterit *sermones mei.*

11. *Quis dabit, in libro et exarabuntur,* id est, ut hebraica latine transtulit Hieronymus: *Quis mihi det, ut exarentur in libro?* videlicet *verba mea.* Ordo verborum praeposterus non caret exemplis loquutionum, quibus se hebraice scientibus probet (*b*), quaeque in ipso etiam Iobi libro fortasse reperies (*c*). Exempli caussa sint illa pincernae Pharaonis: *In somnio meo et ecce vitem coram me (d).* Horum Iobi verborum simulque priorum vim atque sententiam recte, ut videtur, assequutus Schultensius haec scripsit: *Suspicor autem ista occasione votum hocce'a Nostro susceptum, ut, quae mox dicturus esset, non pugillaribus excepta manerent, sed monumentis aevum laturis consignarentur, atque ad posteritatis memoriam propagarentur. Eum in finem primo postulat* ספר LIBRUM *sibi dari, in quo* CONSCRIBANTUR *et* EXARENTUR *ipsius verba. Intelligit librum publicum, in quo acta illustriora enotabantur a* ספרים SCRIBIS *civitatium in earundem tabulariis reponenda. Eandem vim recipit* כתב, *quod* COMMENTARIUM PUBLICUM *saepe designat, ac proinde* יכתבון *hac ipsa potestate accommodissime augebitur ad exemplum phraseos Esech.* XIII, 9: *Et in* בכתב COMMENTARIO DOMUS ISRAELIS *non* יכתבו CONSCRIBENTUR. *In* יחקו EXARENTUR *consimilis residet emphasis*; *nam* חקק *tritum in iis, quae publica auctoritate decernuntur et posteritati commendantur, vel ad memoriam et celebrationem, vel ad religiosam curam et observationem (e).* Emphasim tamen illam

(*a*) Conf. Deut. V, 26 al. 29.

(*b*) Vid. Ex. XII, 3; Num. XXIII, 3; I Sam. XXV, 27; Esth. V, 3.

(*c*) Iob. XIV, 10; XXVI, 5.

(*d*) Gen. XL, 9.

(*e*) In h. l.

ipse Schultensius plane perimit vertens : *Quis dabit librum , ut exarentur* , pro : *Quis dabit , in libro ut exarentur.*

12. *Stilo ferri et plumbo in aeternum in saxo excidentur.* Hoc ipso , quod stilus petatur *ferreus* intelligimus stilos scriptorios penes populares Iobi non semper ex ferro fuisse , sed ex alia quoque materia. Verum, quavis materia fuerint, Iobus non quaerit stilum scriptorium, sive quo scribendus sit liber praedictus. Etenim ferreum esse illum optat, quo verba altius insculpta aetatem ferant, ut quisque sentit , ad quod tamen non magis multo conduceret stilo quantumvis ferreo, quam ligneo aliove, librum conscribi; atque hac eadem de caussa epithetum illud quid , nisi frigeret , ubi de conscribendo libro ageretur ? Non ergo ad id pertinet ferreus iste stilus , sed ad aliquid aliud eorum, quae sequuntur.

13. Reddidimus *et plumbo* pro vocabulo hebraico , quod per se ipsum posses vertere *et plumbi*, sed quam inconcinne. Nam quaesisset Iobus vel stilum ex ferro plumboque constantem, vel ex alterutro. At num ferrum durius validiusque plumbo admixto ? Stilus vero plumbeus num saxis excidendis aptus ? ad id enim nunc quaereretur ; num non heic hebetissimus cum ferreo stilo compositus, post eum nominatus, proque eo quaesitus ? Num non ipsa disiunctio ipso hoc plumbeo stilo longe hebetior ? Aliae duae sunt de hoc plumbo sententiae, quarum utri calculum adiiciam, incertum est, quum utrique non leve quid obstet; referam tamen utramque.

14. Una est Salomonis Iarchi, et, ut videtur, interpretis arabis , imo fortasse, neque enim difficile est illum huc cogere , etiam vulgati, putantium petere Iobum, ut literarum formae in saxo excisae plumbo impleantur. Syntaxis quidem , non modo hanc interpretationem fert , sed aliam vix patitur. Attamen inscriptionibus perennandis, quod Iobus exoptabat, plumbum minus aptum est, quam plura alia metalla. Tum talem metallorum usum, Aegyptiis, Phoeniciis, Graecis , Etruscis , ceterisque illa aetate gentibus, incompertum, credibile vix est Orientalibus notum fuisse , penes quos eius nec vola nec vestigium exstat ; Schultensius vero, dum Pinedae nostro inventum hoc *recens* vocanti haec opponit : *Id enim cupidius dictum, quam verius , facile intelligitur* , merito fortasse arguatur illud ipsum peccasse , quod carpebat.

15. Altera sententia est eorum, qui autumant eo nomine significari a Iobo laminam, sive tabellam, aut etiam librum, ex plumbo, in quo eius verba exararentur. Hos inter Hieronymus probabilius numeratur. Favent his Plinii et Pausaniae narrationes. Ille enim scribit: *Antea non fuisse chartarum usum, in palmarum foliis primo scriptitatum, deinde quarumdam arborum libris. Postea publica monumenta* PLUMBEIS *voluminibus, mox et privata linteis confici coepta (a).* Alter vero: *Et* PLUMBUM *mihi ostenderunt, ubi fons est, magnam partem tempore corruptum; scripta autem in eo fuerunt (Hesiodi) Opera (b).* Imo Arabas superioribus aetatibus usos libellis plumbeis fuisse constat (c). Libellus plumbeus graeca scriptione diversisque imaginibus exaratus visitur in musaeo kircheriano collegii nostri. Hac posita sententia integrum esset verba illa *stilo ferri et plumbo* iungere antecedenti verbo *exarabuntur* aut subsequenti *excidentur*; longe tamen aptius horum primo. Si ambos versiculos aliter interpunctos sic legas: *Quis dabit ergo, ut scribantur verba mea (quis dabit!) in libro! Ut exarentur stilo ferri in plumbo! In aeternum in saxo excidantur!* praeclara inde exsistet gradatio, unoquoque verbo unicuique rei opportunissime aptato, id est, *scribi in libro, exarari in plumbo, excidi in saxo.* Haec autem gradatio, quam Hieronymus servavit in translatione vulgata, non sine fenore rependeret damnum posterioris huius sententiae nimis fortasse Schultensio reformidatum, quod, inquam, *qui* PLUMBEUM VOLUMEN *maluere, hanc* MAGNITUDINEM ADFECTUS *attingere nequeunt*, qua *Iobus non tantum verba sua* SAXO INSCULPTA EXTARE *cupiat, sed etiam* PLUMBO ILLUMINATA EMINERE, IN OCULISQUE *non minus quam animis omnium seculorum defigi.* Nec, versiculis eo modo interpunctis, movere nos debent illa *quis dabit* inserta inter verbum *scribantur* et inter nomen *in libro*, vehementissimo quippe Iobi desiderio tribuenda foret repetitio haec ordinem verborum non sine magna animi valde commoti significatione perturbans; saltem non magis his ordo turbaretur, ac praepostero illo

---

(a) H. N. L. XIII. c. 11 al. 21.
(b) L. IX. c. 31.
(c) Vid. *Pined.* in h. l.

loquendi modo *in libro et exarabuntur*, quo peccat prima sententia. Graviora tamen sunt, quae contra alteram hanc ex grammatica depromuntur. Deesse ante nomen *plumbo* praepositionem *in*, hancque necessario mutuandam vel ex posteriore dictione *in saxo*, si verba *stilo ferri et plumbo* construantur cum verbo *excidentur*, vel ex priore *in stilo*, si ea construantur cum verbo *exarabuntur*; at, praeter illud incommodum, quod neutrum horum verborum talem ellipsim ferat, aliud insuper obesse, quod, si prius horum fieret, absona prorsus inde evaderet syntaxis, si posterius, immutandus quoque foret sensus praepositionis *in*, quae ante nomen *stilo* idem valet ac *per*, designatque, ut vocant, instrumentum, quum tamen ante nomen *plumbo* nil nisi *in* valere, nec nisi materiem aut locum designare queat.

16. Quod Hieronymus, tum Iobum transferens, tum agens contra Ioannem Hierosolymitanum (*a*), vertit *vel celte*, id hebraice est *in aeternum*. Quid Hieronymo occasionem dederit, ut ipse unus sic verteret, frustra est velle divinare, nisi forte pro לָעַד legerit תַּעַר, quod *scalpellum* significat, sed librarium. Lege, quae de hac re adnotavit Vallarsius (*b*).

17. Schultensius, cui oraculum mox a Iobo pronuntiandum *epitaphium* est, quod is sepulcro suo vellet inscribi, *saxum* hoc loco commemoratum autumat esse ipsum lapidem sepulcralem, idque confirmari adverbio illo *in aeternum*. Verum adverbium hoc a Iobo nequaquam dicitur saxo insculpendum, proinde nec verbum sepulcrale hoc loco esse potest.

18. *Et ego novi redemptorem meum viventem*. His oraculum Iob exorditur. De his ita Schultensius: *Expendatur hic adfectus*: Et ego, *ego ille nunc traductus pro improbo, quem humana ac divina tela iuxta configunt, conficiuntque*, et ego *tamen conscius mihi meae integritatis* pro certo novi redemptorem meum vivere, venturumque *tandem aliquando bonae causae et innocentiae oppressae* vindicem, *qui mihi* coronam iustitiae *publice et solemniter imponat. Eam vim* וַ אני ego *nunc addere*

(*a*) Cont. Ioann. Hierosol. §. 30.

in h. l.

(*b*) Opp. *Hieron.* T. IX. col. 1125

praesens Iobi conditio et calamitas iubent, quidquid tandem de praefixo ו *statuatur*; potuit quippe istud adhiberi vel ex more loquendi, qui scriptorum hebraeorum erat, ut sermones hac particula inchoarent, quemque produnt vel ipsa librorum sacrorum initia (a), vel etiam quo Iobus significaret sibi non minus, quam iis, quos alloquebatur, ea, quae dicturus erat, nota fuisse, imo, qualem demum cumque ipsum haberent socii, tamen certam sibi esse eam spem, quam mox erat professurus.

19. Quid hic sonet nomen *redemptor*, iuvat hominis protestantis iudicium referre, Schultensii, inquam, qui, post enumeratas expensasque alias sententias, hasque inter etiam eas, quae Protestantibus hodiernis sunt, concludit hanc esse VULGATISSIMAM SENTENTIAM, *quae nobilem huncce contextum applicat ad* FIDEM IN MESSIAM *et* SPEM BEATAE RESURRECTIONIS (b). Ceterum גֹּאֵל *redemptor* is potissimum dicebatur, qui, consanguinitatis nomine alicuius caedem ulcisci (c) iuraque vindicare (d) debebat; ideoque patet, quam apte haec appellatio Christo facta sit.

20. Hieronymus (e) et Gregorius Magnus (f) putant illud *viventem* pertinere ad Christum redivivum. Putarem *vivum* vocari a Iobo redemptorem vel respectu personae divinae, vel potius sermone vaticino, quodque tam certo crederet eum olim futurum, ac si iam ortus esset. Tum hebraicum חַי proprie est *vivens*, quod praesens tempus non necessario designat. Nec te praetereat hoc epithetum חַי *vivens* frequentissime Dei nomini adiungi (g), unde sollemnis illa formula iuris iurandi חַי־יְהוָה *vivit Dominus (h)* Israelitis usitata, illaque חַי־אָנִי *vivo ego (i)* usurpata ab ipso Deo.

21. *Et postremus super pulverem surget.* His Christum revicturum praedici quidam opinantur. Cui tamen rei praedicendae nunc

(a) Ex. I, 1; etc; Ios. I, 1; etc; I Sam. I, 1; etc; Ezech. I, 1; etc.
(b) Op. cit. p. 488. col. 1.
(c) Num. XXXV, 12. 19. 21; Deut. XIX, 6. 12.
(d) Lev. XXV, 25. 48. 49; Ruth. II, 20; III, 9. 12; IV, 14.
(e) Adv. Ioann. Hierosolym. §. 30.
(f) Moral. L. XIV. c. 54. §. 67.
(g) Gen. XVI, 14; Ios. III, 10; etc; Matth. XVI, 16; etc. Conf. Io. VI, 58.
(h) Iudic. VIII, 19; etc.
(i) Num. XIV, 28; etc.

nullus est locus, nec eam patitur orationis series; modo enim Iobus dixit redemptorem suum vivere, neque unum quidem verbum de eius morte protulit, protinus vero dicturus est, quid boni ab eo semper vivente tandem exspectet. Loqui autem Iobum de postrema visitatione, quam faciet Christus homines omnes in vitam revocaturus sententiamque dicturus, credere suadent in primis rerum adiuncta. *Etenim sic solent*, inquit Schultensius, *quibus spes omnis in hac vita decolavit, ac praesertim, qui sub calumniis iniustissimis hinc demigrare coguntur, cogitationes suas in vitam futuram immittere, atque ad magnum et illustrem illum diem iudicii provocare, in quo improbitas omnis confundetur, virtusque et probitas tandem coronabuntur.* Huc autem Iobum redactum tandem fuisse acri illa disceptatione cum amicis habita, plane ea demonstrant, quae de illa supra perstrinximus (6). Tum ipsa verba interpretationem magis appositam haud suggerent, quam quae nos ducit ad illud de verbis hisce sentiendum. Hanc rem ut evincamus sic esse, sicut dicimus, palmari argumento est ipse Ernestus Rosenmüllerus.

22. Is enim relata prius ac reiecta, quae olim auctore Salomone Iarchio ipsi placuerat, aliaque facta singulorum verborum interpretatione, qua potiorem nemo fortasse quaerat nisi morosius, et ex qua sensum illum, quem defendimus, ultro sese offerentem perquam apposite ipse collegisset, mox ἐπεξήγησιν subdit adeo mancam atque exsuccam, ut, non modo Iobi consilio vehementique affectui minimum respondeat, sed nil nisi ineptum quid insipidumque prae se ferat. Interpretatio verborum ab eo facta sic est. *Iam vero nobis videtur scopo Iobi melius convenire, ut* עָפָר *intelligamus de pulvere, in quem brevi redactum se iri Iobus exspectabat; nam de mortuorum pulvere nomen illud saepius in hoc libro dicitur (a). Verbum* קום *vero hoc loco cum* עַל *constructum cum Io. Frankio in Asylo veterum piorum p. 20 (laudato a I. H. Michaelis in Annotationibus uberioribus p. 264) eodem, quo Arabes et Syri hanc phrasim usurpant, sensu,* ADSTARE REI ET CURAM EIUS GERERE, *sumendum arbitramur. Quomo-*

(a) Vid. Iob. VII, 21; X, 9; XVII, 16; XX, 11; XXI, 26; XXXIV, 15; XL, 13 al. 8. Conf. IV, 19; VII, 5; XXX, 19.

do et Silv. De Sacy, in literis ad H. G. L. Kosegarten datis et ab eo publicatis in Commentatione exegetica critica in locum Iobi XIX, 25-27. Gryphiae 1815. p. 15, phrasin iobaeam hoc loco usurpatam comparat cum verbo arabico قام *sequente* على *significante* STARE PROPE ALIQUEM, APUD ILLUM CONSISTERE CUM QUADAM AUCTORITATE ET INSPICIENDI CAUSA. *Eodem aut simili saltem sensu phrasin* קום על *Frankius l. l. usurpari observat et Deut. XIX, 15; XXV, 6; II Sam. XII, 17; II Paral. XXI, 4 . . . .* אַחֲרוֹן *est*, QUI OMNIUM DIUTISSIME POST ME REMANEBIT, *ut* آخرون *in corano saepius absolute dicitur de iis, qui post aliquem erunt ad extremas usque aetates, ut sur. XXVI, 84; XXXVII, 79. 109. 119. 129. In vetere testamento ipsum hoc* אַחֲרוֹן *Deo tribuitur Is. XLVIII, 12 (a), notatque illum, qui vitae nullum habebit finem, uti nullum initium habuit.* Notabile in primis est illud Isaiae: *Sic dicit Dominus, rex Israel* וְגֹאֲלוֹ *et* REDEMPTOR *eius . . . Ego primus, et ego* אַחֲרוֹן *postremus (b).* Tali verborum notione cum Iobi consilio cumque ea, qua tunc erat, mente animoque composita, tota sententia liquido inde exsistens haec foret: Futurum ut *redemptor . . postremus super pulverem surgat*, id est, postremo auctoritate sua utatur, curamque exserat in Iobi cineres eos redimens, sane non aliunde quam ab interitu, quo tandem coram universis hominibus eum a criminationibus amicorum vindicatum innocentem pronuntiet. Haec quoque ἐπεξήγησις, imo haec longe magis, quam quae a Rosenmüllero subditur, *et hinc commendatur, quod ex ea* גֹּאֵל *et* יָקוּם עַל־עָפָר*, aeque ac* חַי *et* אַחֲרוֹן*, sibi mutuo respondeant (c)*, hanc verba, quae continuo sequuntur, plane confirmant, in hac nihil non cohaerens cum toto Iobi sermone, cum eius consilio, cum ea, qua erat, animi comparatione, imo nihil, quod ex his non necessario sequatur, nihil, quod salvis hisce omnibus demi ex ea possit. At Rosenmüllerus interpretationem suam mox perturbat inserta versiculi translatione, quam fecit I. Pareau (d),

---

(a) Vid. et Is. XLIV, 6. Conf. id. XLI, 4 et Apoc. I, 8; XXI, 6; XXII, 13.

(b) Is. XLIV, 6.

(c) *Rosenmüll.* in h. l.

(d) Comment. de immortalitatis et vitae futurae notitiis ab antiquissimo Iobi scriptore in suos usus adhibitis. Deventr. 1807. p. 163.

quae sic est : *Hoc nosse me (velim, ut in perenni monumento insculpatur), meum vindicem mori non posse, ac fore, ut mihi semper superstes ad meas adstet reliquias.* Tum suam hanc ἐπεξήγησιν subiungit : *Longe praestantissimum igitur sui vindicem sibi fore dicit, Deum ipsum, qui, quum aeternus sit, ius suum semper defendere poterit, etiam apud posteros.* Sed, quid, quaeso, ista sunt? An hic sistendum? prope Iobi reliquias? Ergo huc tandem redacta est tota gravissimae huius caussae dictio, huc efficacissima, quae promitti videbatur, acerbissimarum criminationum refutatio, huc afflictissimi miserrimique capitis solatium, huc grandia illa, quae is erat praefatus? ad poeticam, inquam, imaginem, quae Deum Iobi cineres protegentem exhiberet, quaque totum hoc negotium, tam acriter tantaque diversorum affectuum magis magisque efferventium vehementia disceptatum, conficeretur? Quid porro imago illa portenderet? Posse Deum, utpote aeternum, apud omnes futuras aetates Iobi innocentiam tueri. Verum non de eo agebatur, an Deus Iobum innocentem, siquidem talis is foret, pronuntiare posset, qua de re nemo ambigebat, sed an talis Iobus foret reapse; illudque fieri a Deo *posse*, non ἀστόχως modo, sed gelide prorsus opposuisset Iobus, qui iam tertio, non sine fidentioribus imo et audacioribus verbis, Deum innocentiae suae testem appellaverat (a); contra ea vero, postquam Deum ter fuerat antestatus, nihil aliud supererat, quo amicis nihilo secius, imo et saevius, ipsum obiurgare pergentibus obsisteret, quam ut praediceret tandem innocentiam suam a Deo re ipsa fore vindicandam. Insuper, non in Dei aeternitate, de qua ne una quidem hic vocula, spes Iobi sita erat, sed in redemptore, quem operiebatur, idque in verbis ipsis pervident vel lippi.

23. Vix porro oculis tuis credes haec adeo manca et frigida, ut sunt, Rosenmüllero excidere potuisse, ubi ventum erit ad ea, quae de altero hemistichio posterioris versiculi idem ipse commentatur, digna sane, quae a nobis, ubi locus erit, transcribantur (105).

24. Cum interpretatione nostra concinit chaldaica ex ea parte, quatenus expresse in ea dicitur ipsum *pulverem* esse, ad quem red-

---

(a) Iob. X, 2-7; XIII, 3. 18-24; XVI, 20-XVII, 3.

emptio spectaret ; sic enim ea est : *Et ego novi , quod redemptor meus stabilis (est) , et postea redemptio eius super pulverem surget.* In bibliis regiis quidem pro verbis *super pulverem* habetur *super me* , sed potior auctoritas est bibliorum venetorum, in quibus priore modo legimus.

25. *Et postea pelle mea circumdabuntur haec.* Mira in hoc versiculo explicando discrepantia eorum non minus, qui haec de corporibus revicturis dicta credunt , quam ceterorum. Quae usque ad annum MDCCXXXVII fuerunt de eo sententiae, eas collegit Schultensius (*a*). Ipse vero ita haec verba transtulit: *Et postquam cutem meam pertuderint ad hunc modum.* Gesenius ita : *Postquam destruxerunt hanc cutem meam , id est , quando destructum erit corpus meum (b).* Rosenmüllerus ita : *Et postquam corpus meum, hoc , inquam, consumtum fuerit ;* atque ita quoque : *Et (quamvis) post cutem meam . . . consumserint . . . hoc.* Sed quaedam horum nemini arbitror probatum iri.

26. Non equidem cavillabor verbum plurale נִקְּפוּ velut verbum activum et impersonale acceptum loco verbi passivi (*c*), hoc enim et alias fit (*d*) , praesertim in poesi (*e*) , frequenter vero in Iobo (*f*) ; tametsi aliter habere verbum hoc mox dicetur. Etiam עוֹר *pellem* hic pro toto corpore usurpari dabo tantisper , donec aliud statuemus.

27. Sed nullo pacto feram soloecismum, quem magno totius sententiae detrimento illi admiserunt , dum particulam אַחַר tamquam coniunctionem habentes verterunt *post quam.* Etenim id fieri vetat , nec patitur ullo modo, coniunctio *et* posterius hemistichium cum priore copulans , simulque docet particulam illam esse adverbium , quod probe animadverterat interpres vulgatus , vertendamque *postea ;* quo expresse atque perspicue significatur, ea, quae priore hoc hemistichio

---

(*a*) In Iob. XIX , 25. 26.

(*b*) Thesaur. philol. crit. ad v. אַחַר n.° 3.

(*c*) Vid. *Gesen.* Lehrg. §. 216 , 3 *b.*

(*d*) Is. XLVII , 1 ; LXIV, 3 al. 4 ; Os. II , 7 al. 10 ; Ioel. II , 17 ; Dan. IV , 13 ; V , 21 ; Luc. XII , 20.

(*e*) Ps. XXXI , 5 ; XLIX, 12 ; LXIII, 11 ; LXXV, 2 ; Prov. VI, 30 ; IX , 11 ; etc.

(*f*) Iob. IV , 19 ; VII , 3 ; XVII , 12 ; XVIII , 18 ; XXXIV , 20.

praedicuntur, futura fuisse *post illa*, quae leguntur in versiculo superiore, totaque proinde hemistichii huius interpretatio a tribus illis edita funditus subvertitur. Miraberis porro Gesenium, qui talem soloecismum veluti sanxerit eo in suum Thesaurum philologicum criticum recepto (*a*).

28. Neque unquam, quod attinet ad pronomen זאת, Schultensio concedam illud significare posse *ad hunc modum*, quod nullo exemplo aut auctoritate constat. Sed neque Gesenio, coniungendum illud cum nomine עורי, atque utrumque simul esse casum accusativum constructum cum verbo נקפו, quod nec generis discrepantia patitur, neque durissimum hyperbaton ac plane confragosum: *cutem meam destruxerint hanc.* Non denique Rosenmüllero, dictum id κατ' ἐπεξήγησιν seu appositum esse nomini עורי; etsi enim frequens apud poetas hebraeos appositorum usus, numquam tamen usum hunc habent pronomina, saltem diverso genere, sed et habere, praesertim verbo interiecto, vix possent, nisi invita ἐπεξηγήσεως natura, quae, non clarioribus obscuriora, ut eo modo fieret, sed obscurioribus clariora apponere iubet.

29. Illa vero *post cutem meam,* quae etiam reddidit Rosenmüllerus, et Pareau (*b*) ei auctor est, ut scribat, *haud dubitari posse hoc valere*: *Postquam corpus meum desposuero*, an re vera id valeant, adhuc sub iudice lis est; ratio enim ex lingua arabica ab iis petita ἄστοχος plane est.

30. Sed peccatum maximum, quod suis interpretationibus peccant tres illi μεγαλανδροι, in eo est, quod uniuscuiusque interpretatio neque cum prioribus cohaereat neque cum posterioribus. Quinam enim locus sive *pertundendae*, sive *consumendae*, sive *destruendae cuti* aut *corpori*, ubi Iobus, prout fert quoque interpretatio prioris versiculi tum a Schultensio tum a Rosenmüllero habita, sese iam resolutum in pulverem veluti descripserat (*c*)? imo ubi, sicut etiam idem ipse Schultensius sentit, vindicem suum induxerat ipsius reliquias iam iam suscitaturum; ubi denique ea subdit continuo,

---

(*a*) Sub. v. אחר n.º 3.

(*b*) L. c.

(*c*) Iob. XIX, 25.

quibus integra sententia foret huiusmodi : *Carne mea destructa in carne mea videbo Deum.*

31. Hisce explosis enarrationem nostram leviore negotio defendere erit et confirmare. Huic praeter Hieronymum in sua bibliorum translatione plane adstipulatur interpres graecus, qui sic hebraica vertit : *Novi enim, quod aeternus sit, qui me resoluturus est in terram ad resuscitandam pellem meam, quae pertulit haec*, vel, ut legimus in codice alexandrino : *Novi enim, quod aeternus sit, qui me resoluturus est in terram; resuscitabit meum corpus, quod pertulit haec.* Sed praestat audire Chrysostomum, aut quivis ille sit (104), qui translationem huius loci factam ab Alexandrinis ex translatione facta a Theodotione ita declarat : *Theodotio quidem reddens : Redemptor meus vivit, et postremo super tumulum surget, suadet coniungere duos hos versiculos, et sic legere : Novi enim, quod aeternus sit, qui me resoluturus est in terram ad resuscitandam pellem meam, quae pertulit haec (a).*

32. Insuper series sermonis interpretationem hanc, non solum comprobat, sed omnino flagitat. Modo enim praedixerat Iobus praesto esse, qui ipsius cineres resuscitaret. Nunc id praedicit, quod simul expresse adseverat *postea* eventurum, post illa, inquam, quae modo praedixerat. Protinus praedicturus est, quomodo cineribus iam suscitatis instauratoque corpore Deum ipse sit visurus. Cuinam porro rei inter primum postremumque medius veluti locus tribuatur, nisi ipsi *ἀναστασι*? Atqui hanc sonant verba illa Iobi, ut a nobis versa sunt.

33. Quae ex rationibus grammaticis contra proferri possunt, ea vel vera non sunt, vel alias quoque interpretationes attingunt. Nam, quod nostra interpretatione inter adverbium et verbum nomen interpositum foret, hoc praedictorum quoque interpretationibus commune est, ac bene defendit Gesenius scribens *(a)* : *Quidni statui possit inter coniunctionem* (dicere debuit, *inter adverbium*) *et verbum insertum esse obiectum?* Quod pro עורי reddamus *pelle mea*, tamqnam si esset בְּעוֹרִי, nemo carpet, qui noverit praepositionem ב

(a) In Catena patrum in Iob. l. c. collectore *Niceta*.

(b) Op. cit. ad v. נָקַף n.º 3.

a poetis praesertim non raro omitti (*a*). Accentuum ratio nullo modo a nobis negligitur, aut saltem longe minus, quam tres illi fecerint; minus quippe peccabis sic pro ratione accentuum interpungens sententiam: *Et postea pelle mea*, *circumdabuntur haec*, quam: *Et postquam pellem meam*, *consumpserint hanc.*

34. Verbo נקפו, a quo rei summa dependet, illam, quam ei tribuimus, non vero aliam, notionem subesse, multis possumus demonstrare. Ita enim sensit interpres vulgatus, ita syrus, tametsi totam sententiam alio modo expresserit, ita sensisse videtur chaldaeus, qui profecto nec *contusionem*, nec *consumptionem*, nec *destructionem*, hoc verbo significari credidit, reddidit enim: *Et post* דְאִתְפַּח *quam* CONVALUERIT *pellis mea*, sive, ut est in bibliis regiis: *Et post* דְאִתְפַּח *quam* CREVERIT *pellis mea*, ita enim posterius hoc latine vertendum, non vero *postquam* INFLATA FUERIT, sicut inepte versum est in illis iisdem bibliis, transcriptumque in londinensibus, etsi haec habeant prius illud verbum perperam tamen descriptum.

35. Sed ipsam radicem verbi hebraici consideremus. Olim praeter rationem duae radices distinguebantur יקף et נקף, priori *circumire*, *circumducere*, *circumdare*, posteriori *caedere*, subiecta notio ferebatur. Recentioribus vero unica radix נקף, quae utrumque significet, probatur, idque optima ratione, sicut discere est ex verbo יִנְקֹפוּ (*b*) et ex nomine נִקְפָּה (*c*), his enim prior notio restituta nunc est, in quam alterum horum acceperant interpretes graecus, syrus, et arabs, utrumque vero Hieronymus; quod sane prodit duplicem verbi vim probe huic perspectam fuisse, ideoque nostram interpretationem, quod Hieronymum auctorem ea habeat, aliquo veluti praeiudicio iuvari. Si itaque cum superiorum aetatum grammaticis notionem, quam verbo huic adserimus, uni radici יקף subesse contendas, negare tamen nequibis posse idem verbum forma niphal ex hac radice esse deductum. Sin autem unam radicem נקף cum recentioribus agnoscas, attendas primo notionem illam longe frequentius radici huic subesse, quam alteram, quae ter, non saepius, occurrit, nec nisi apud Isaiam, semel verbo subiecta (*d*), bis autem nomini

(*a*) Vid. *Gesen.* Lehrgeb. §. 227.
(*b*) Is. XXIX, 1.
(*c*) Id. III, 24.
(*d*) Id. X, 34.

נִקַּף (*a*); apud Iobum vero bis praeterea legi verbum istud, adeoque hoc ipso in capite (*b*), sed tantum priore significatu. Neque opponas verbum hoc forma niphal numquam alias in hunc sensum usurpari; reponam enim nec forma pihel sive in hunc sive in alium. Quod enim legitur apud Isaiam (*c*), licet notio *caedere* ei sit, non tamen est forma pihel, qua esse docent Rosenmüllerus et Gesenius (*d*), sed forma niphal, ut demonstrant tum puncta vocalia, tum contextus sermonis, tum duplex parallelismus poeticus cum primo ac postremo quatuor membrorum institutus, tum translatio, quam interpretes graeci et Hieronymus fecerunt; quod vero singulari numero ponatur, etsi nomen, quo cum construitur, plurale sit, id, ut alias quoque ob caussas fieri solet (*e*), in his tamen Isaiae verbis, quod caute attenderunt iidem interpretes et Hieronymus verbum plurale reddentes, ad exquisitiorem quamdam grammaticae regulam exactum est, quam ipse Gesenius tradit (*f*), qui tamen eam ab Isaia hic servatam non animadvertit. Neque illud te fugiat, quod in lingua aramaica, ex qua multa habet liber Iobi sicut et ceterae partes poeticae bibliorum, verbum נקף consonat cum verbo דבק *adhaesit, conglutinatus est.*

36. Neque graviorem affert difficultatem pronomen singulare foeminino genere זאת constructum cum verbo plurali. Syrus quidem interpres contra fecit vertens: *circumvolutum est hi.* Sed et haec enallage valde frequens in sermone hebraico, ut quaedam nomina singularia, non tamen praeter certas leges, cum verbo plurali iungantur (*g*), puta, quae collectiva sunt, ut est in hac Iobi sententia pronomen istud זאת, quod exprimit *membra omnia, omnes corporis partes,* id est, *omnia,* quae cute conteguntur, ac veluti clauduntur. Similes enallagas alibi quaeras, non oportet, quum in hoc ipso libro reperire possis (*h*), simillimam vero hoc ipso in capite, pronomen, inquam, singulare cum verbo plurali (*i*). Qua in re et illud

(*a*) Id. XVII, 6; XXIV, 13.
(*b*) Iob. I, 5; XIX, 6.
(*c*) Is. X, 34.
(*d*) L. c.
(*e*) Vid. *Gesen.* Lehrgeb. §. 184, n. 3; §. 186, 2.
(*f*) Ib. §. 187, 1.
(*g*) Vid. *Gesen.* ib. §. 184, 2; §. 186, 1.
(*h*) Iob. XVII, 15. 16; XXI, 30.
(*i*) Ib. XIX, 19.

meminisse iuvabit, pronomina singularia ad nomina pluralia subinde referri in lingua hebraica (*a*).

37. At enim, inquit Schultensius, *illud* cute mea circumdabuntur haec *membra, postquam computruere, tam durum, ut ferri nequeat*. Verum ubi tanta durities? Non enim in dictionibus, prout demonstravimus. Non in sermonis materie sane non alia, quam quae sit oportet, ut priora cum posterioribus connectantur, corporis ἀναστασιν dico, hanc quippe significant illa: *Et postea pelle mea circumdabuntur haec*, quum cutis obducta tamquam corporis resuscitandi complementum haberi soleat. Lege Ezechielem (*b*). Sed illud fortasse impedivit Schultensium, quod sibi ipse nexuit, additis verbis *postquam computruere*, veluti si adhuc de corruptione corporis ageretur. Ast hoc oppido durum, agi adhuc de corporis corruptione, quum iam, sicut ipse etiam Schultensius probe sentit, de corpore per redemptorem resuscitando agi coeptum est prioribus verbis. Illud enimvero durissimum, quod iam culpavimus (30), verba Iobi interprete Schultensio nulla ἀναστασεως mentione interiecta, hunc sensum exhibere: *carne mea destructa in carne mea videbo Deum.*

38. *Et de carne mea intuebor Deum.* Qui negant Iobum loqui de vita futura, mire sese torquent, ut horum verborum sensum exponant; quorum diversa interpretamenta referunt, ac refellunt, Schultensius et Rosenmüllerus (*c*), aliique ab his nominati. Iis vero, qui sentiunt, sicut ipsi sentimus, Iobum his verbis certam spem praemii benefactis suis debiti, ἀναστασεως, inquam, vitaeque futurae, professum esse, nulla in verbis istis difficultas apparet, neque haerent, quominus subscribant Augustino ita scribenti: *Illud etiam, quod ait... Iob, sicut in exemplaribus, quae ex hebraeo sunt, invenitur*: Et in carne mea videbo deum, *resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetavit*; *non tamen dixit*: per carnem meam, *quod quidem si dixisset, posset Deus Christus intelligi, qui per carnem in carne videbitur*; *nunc vero potest et sic accipi:* in carne mea videbo deum, *ac si dixisset*: *In carne mea ero, cum videbo Deum (d).*

(*a*) Ps. CXXXII, 12; Is. I, 12 coll. 11. Vid. *Gesen.* Lehrgeb. §. 184, 5.
(*b*) Ezech. XXXVII, 6.
(*c*) In Iob. XIX, 25. 26.
(*d*) De civ. Dei. L. XXII. c. 29. §. 4.

39. Schultensius, Rosenmüllerus, aliique, quum probe senserint, si pro אחר superioris hemistichii reddatur *postquam*, quod ipsi reddiderunt (25), simulque ו hemistichii huius posterioris initio transferatur in *et*, σολοικον fieri sermonem (27), vel istud ו neglexerunt, at prorsus ἀκρίτως, vel pro eo alias particulas reddiderunt, aliasque explicationum rationes excogitarunt. Sed frustra sunt. Fixum enim est atque exploratum id, quod scribit Handius de latino *et*, ac dici aeque potest de hebraico ו: *Grammatici . . . . duplici hoc errore duci solent, quod huic particulae multiplicem significationem, quae semper una est, tribuunt, et quod variam notionum compositarum formam et conditionem ad ipsam particulam transferunt . . . Quare, si quid est in hac re observandum, positum id est in vario notionum coniunctarum genere, et in singulari modo sententias coniungendi, qui quibusdam in partibus alius est apud veteres Latinos* et Hebraeos, *quam apud nos (a)*; adeoque hinc illud est, quod Hebraei, ut monet Gesenius, *saepe quidem sententias connectendas probe sentientes, sed, quomodo connectendae sint, non satis discernentes, pro prisci sermonis simplicitate et tenuitate in hac una copula acquiescebant, ubi cultiores linguae particulis adversativis, causalibus, finalibus, aliisque (quibus etiam hebraea lingua minime caret, sed parcius tamen utitur. V. Gramm. hebr. §. 152, 1) uti solent, atque adeo debent, et perfrequenti eius usui praecipue solutior quaedam orationis hebraeae indoles tribuenda est (b)*. Quamobrem, ubi ו nequit ullo pacto idem valere ac *et*, nullus ei locus esse potest, atque ideo neque in hoc hemistichio, si in priore pro אחר reddamus *postquam*. Haec fusius referenda esse duxi, quia maximi interest ad hoc oraculum recte explicandum veram germanamque harum particularum vim definire.

40. *Quem ego intuebor mihi, et oculi mei videbunt, et non alius*. Expolitionem in his habes profecto minime otiosam, sed affectu plenam laetitiaque a lobo inde concepta, quod iam, non *a-*

(a) Ad *Tursellin*. II. 468 et ap. *Gesen*. Thesaur. ad v. ו p. 398.

(b) Ib. p. 395.

liorum fidei, sed *suismet oculis* Dei notitiam debiturus sit; quam emphasim pronomini אֲנִי *ego* accedentem ab huius et verborum וְלֹא־זָר *et non alius* antithesi plane expressit Hieronymus addens pronomini *ego* pronomen *ipse*. Alia quoque esse posset horum verborum sententia, ut pronomini *ego* eadem emphasis sit, ac superius est in versiculo vicesimo quinto (18), illa vero ולא־זר de Deo dicta significent *et non alienum*, id est, *contrarium, adversantem*, qualem tunc Iob eum experiebatur. Sed forte in praesenti, dum is totus est in cogitanda vice beatissima, quae ipsum maneat, melius creditur, tantisper miseriarum suarum oblitus, laetitiae, quae eius mentem pertentat, unice indulgere. Hinc priorem sententiam praeferrem; quod illa quoque suadent: *et oculi mei videbunt*, quae, sicut posita sententia hac, quo solum de Deo videndo sermo est, aptissime inseruntur, ita alia illa posita, quo Iobi conditio, quae nunc est, cum futura eius beatitate compararetur, veluti otiarentur.

41. *Consumpti sunt renes mei in sinu meo.* Optime haec explicat Rosenmüllerus: Consumuntur renes mei in sinu meo *prae vehementi Deum videndi desiderio.* Refutatisque aliis commentationibus subdit: *Sed nostro loco extat verbum* כָּלָה, *quod saepius usurpatur de* vehementissimo desiderio, *quo quis consumitur quasi et deficit (a). Bene igitur Hieronymus verba nostra vertit*: Reposita est haec spes mea in sinu meo (*b*). Neque aliter haec explanavit Schultensius post relatas plures alias interpretationes, quas omnes refellit.

ARTICULUS III

De iis, quae circa vitam futuram traduntur in libro Iobi.

42. Priusquam alia promamus ad comprobandam nostram huius oraculi interpretationem, praestat illud diluere, quod quum positum quidam habeant, praeiudicium de illa factum iam putant, nondum *homines illo, quo hic liber scriptus est, tempore talem, quam*

(*a*) Vid. Ps. LXIX, 4; LXXIII, 26 coll. 25; LXXXIV, 3; CXIX, 81. 82 per parallelism. 123; CXLIII, 7.
(*b*) In h. l.

ex interpretatione a nobis adscita Iobi verba exprimunt, spem aluisse (a). Neque vero hanc quaestionem, quoad ea patet, attingam, sed solum capita illa huius libri, ut hebraice sunt, proponam, atque illustrabo, tum quae faciunt sive immortalitati animarum sive corporum ἀναστάσει adserendae, tum quae secus esse, etsi praeter rationem, creduntur. Qua tamen in re iniquius a nobis quis flagitaret argumenta perspicuiora, quam quae ad alia religionis nostrae dogmata comprobanda exspectare est ex vetere testamento, in quo, utpote conscripto prius, quam christianae doctrinae lux hominum mentibus affulgeret, nemo ignorat dogmata illa non ea perspicuitate proponi, qua in novo testamento proposita sunt. Ceterum quaestionem a nobis nunc habendam iam habuit I. Pareau edita Commentatione (22), quam tamen nondum videre potui.

SECTIO I

Argumenta vitae futurae ex libro Iobi deprompta.

43. Quae in hoc libro scripta ad vitam futuram pertinent, in communes veluti locos congeremus; hi autem sunt quaedam loquutiones, sedes animarum post mortem, postremum Dei iudicium, poenae improborum, spes rerum post mortem futurarum.

ARGUMENTUM I

Loquutiones quaedam.

44. Sicut Hebraei, quum dicere volunt *auferre alicui vitam,* dicunt quandoque *colligere aliquem (b)* sive *animam (c)* aut *spiritum (d) alicuius,* ita pro verbo *mori*, solummodo tamen ad piorum obitum significandum (e), solemnis est apud eos formula *colligi ad populos suos (f)* seu *ad patres suos (g)*, ipsaque haec ἐλλει-

(a) Ap. *Rosenmüll.* Schol. in Iob. XIX, 26.

(b) I Sam. XV, 6; Soph. I, 2. 3.

(c) Iudic. XVIII, 25; Ps. XXVI, 9.

(d) Ps. CIV, 29.

(e) Conf. Is. LVII, 1; IV Reg. XXII, 20 coll. 18 et 19.

(f) Gen. XXV, 8; etc.

(g) Iudic. II, 10; etc.

πῆς tunc etiam habetur, ubi iusti et pii *colligi* simpliciter dicuntur (*a*), cauteque distinguenda est ab illa prorsus diversa *colligi ad sepulcra (b)*, quae etiam ἐλλειπῆς occurrit (*c*). Hae ergo loquutiones et animam corpori superesse clare expriment, et solum ab iis usurpari potuerunt, qui hoc ipsum sentirent; *colligere* quippe *animam* eamque *in nihilum redigere*, non diversa modo, sed pugnantia sunt inter se; itemque loquendum de verbo passivo, de quo haec Gesenius: *Peculiaris locutio est . . . de introitu in orcum, ubi Hebraei maiores suos iam congregatos esse credebant*, sicut etiam Clericus (*d*) loquutiones huiusmodi interpretatur. *Distinguitur ista* ad patres *seu* ad populum congregatio *tam a morte (quae eam praecedit), quam a sepultura. Gen. XXV, 8; . . . XXXV, 29; IV Reg. XXII, 20 (e)*. Enimvero Deus Abrahamum, ei bonum quid veluti promittens, alloquebatur his verbis: *Ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona (f)*, Iacob vero iam iam moriturus ita filios postremo iubebat: *Congregor ad populum meum; sepelite me cum patribus meis (g)*. Perspicuum est utrobique duo distingui inter se, itum ad patres, quo animae exstinctio significari profecto nequit, et sepulturam, atque ita, ut pateat manifesto non in unam eamdemque rem utrumque convenire posse, ideoque sepulturam corpori, itum vero ad patres animae attribui. Neque enim Abraham quidquam solaminis cepisset ex pollicitatione illa, qua, nisi nostra obtineat sententia, illud ipsi in memoriam revocabatur, quod brevi in nihilum eius vitam redigi oporteret; neque alio, nisi eo sensu, quem defendimus, utpote qui procul a patria diem supremum obiturus procul etiam a patrum cineribus sepeliendus erat (*h*), dici potuisset Abraham ad patres suos esse rediturus. Idemque sensus Iacobi verbis inesse credendus est, quandoquidem et ipse procul a natali solo vitam claudens, filiis quidem curam corporis sui apud maiores sepeliendi demandabat, ita tamen expresse loquebatur, ut qui non ab iis foret in maiorum numerum aggregandus. Deus re-

---

(*a*) Num. XX, 26 coll. 24; Is. LVII, 1.
(*b*) IV Reg. XXII, 20.
(*c*) Ier. VIII, 2; XXV, 33.
(*d*) In Gen. XV, 15.
(*e*) Thes. philol. crit. ad v. אָסַף.
(*f*) Gen. XV, 15.
(*g*) Ib. XLIX, 29.
(*h*) Ib. XXV, 8. 9.

gis Iosiae pietatem remuneraturus sic eum alloquitur: *Pro eo, quod audisti verba voluminis, ... idcirco* COLLIGAM TE AD PATRES TUOS, *et colligeris ad sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quae inducturus sum super locum istum (a);* nisi vero *colligi ad patres* id sonaret, quod defendimus, huius remunerationis summa haec foret: *Citius te in nihilum redigam.*

45. Quae quum ita sint, iudicet quisque, quid sonent ea verba, quae in hebraico Iobi exemplari sic sunt: *Si* Deus *ponat ad eum*, ad hominem, inquam (*b*), *cor suum*, *spiritum eius et animam eius ad se colliget*, *exspirabit omnis caro simul*, *et homo super pulverem revertetur (c)*; in quibus vides hominem, id est, eius corpus spiritu destitutum in pulverem reverti, ipsum vero spiritum a Deo collectum, quo iam diversa utriusque rei sors post mortem futura aperte indicatur. Itemque alia haec: *Dives* factus homo impius (*d*) *cubabit* (46), *et non colligetur; oculos suos aperiet, et non ipse* est amplius (*e*). Dicitur autem *non colligendus*, non quidem *in sepulcrum*, quod falsum foret, nec responderet iis, quae de eius posteris paulo prius dicta sunt (*f*), sed *ad patres suos*, quod proborum solummodo proprium esse monuimus (44); nempe *non colligetur* idem est ac *proiicietur*. Antithesis inter *cubare* seu *mori* et inter *non colligi*, aliaque inter *aperire oculos*, nempe animae oculos, et inter *non esse (g)*, discrimen inter animam et corpus eamque huic superstitem futuram aperte produnt. Neque illud te praetereat, quod, si homines pii ac probi, dum vita excedunt, *colligi* dicuntur, impii vero atque improbi *non colligi*, iam ex utraque loquutione apparet discrimen esse oportere etiam inter utrorumque obitum; at nullum esse posse, si anima cum corpore intereat.

46. Mors in hoc libro *somnus* vocatur (*h*), pro verbo *mori* adhibetur verbum *dormire (i)*, saepe vero verbum שָׁכַב *cubare (k)*,

---

(*a*) IV Reg. XXII, 18. 20.
(*b*) Conf. Iob. VII, 17.
(*c*) Iob. XXXIV, 14. 15.
(*d*) Conf. Iob. XXVII, 8. 13.
(*e*) Iob. XXVII, 19.
(*f*) Ib. 15.
(*g*) Gen. XLII, 13. 32. 36; Iob. VII, 8. 21; XXIV, 24; Ps. XXXVII, 10. 36; XXXIX, 14; etc.; Prov. X, 25; etc.; Is. XVII, 14; etc.; Ier. XLIX, 10; etc.
(*h*) Iob. XIV, 12.
(*i*) Ib. III, 13.
(*k*) Ib. III, 13; VII, 21; XI, 18; XIV, 12; XX, 11; XXI, 26; XXVII, 19.

quod frequentissime in aliis bibliorum libris reperitur, et talem in his usum constanter habet, ex quo, sicut etiam ex omnibus nominibus ab illa eadem radice ortis, comperimus propriam ac primigeniam verbo notionem esse *cubare dormiendi gratia*. Quo autem pacto mors somno queat comparari, nisi in quantum anima post obitum adhuc vivere pergat, quin tamen corpore amplius utatur ad operandum, donec una cum corpore denuo victura veluti expergiscatur?

ARGUMENTUM II

Sedes animarum post mortem.

47. Locus alter, unde argumenta promamus, est sedes animis post mortem tributa a scriptoribus sacris, quam Latini *orcum*, Hebraei שְׁאוֹל seu אֲבַדּוֹן vocare solent. Hanc enim his hebraicis nominibus notionem subiectam esse, non autem *sepulcrum*, ideoque eorum usu, qui est in libro Iobi, animas corporibus superstites Iudaeis creditas demonstrari, facile vincimus. Attendas tamen posterius nomen extra librum Iobi, in quo ter legitur, non reperiri nisi semel in psalmis (*a*) et bis in Proverbiis (*b*).

§. I

Neque שאול *neque* אבדון *sunt sepulcrum.*

48. Hebraeis *sepulcrum* dicitur קֶבֶר, idque unum nomen semper usurpatum invenimus, ubi certo constat de sepulcro absque metaphora sermonem haberi, numquam vero nomen שאול aut אבדון. Contra vero illud, quod in praesenti quidem ad probationem adhibere nobis non licet, animadvertere tamen placet, Hebraeis, quos argumentis aliunde etiam quam ex hoc loco petitis constat vitae futurae atque animarum corporibus superstitum notitia haudquaquam destitutos (*c*), Hebraeis, inquam, nomen aliquod esse oportuisse,

(*a*) Ps. LXXXVIII, 12.
(*b*) Prov. XV, 11; XXVII, 20 cthib.

(*c*) Vid. *Michaelis* Adnotat. ad *Roberti Lowth* De sacra poesi Hebr. Prae-

quo ipsarum animarum sedem nominarent; at nomen huiusmodi nullum usquam comparet praeter שאול et אבדון.

49. Sunt plurima bibliorum capita, in quibus nomina haec nequeunt ullo modo significare *sepulcrum*, puta, illa Iacobi Iosephum filium lugentis, quem a fera peregre discerptum credebat: *Descendam ad filium meum lugens in* שאול INFERNUM (*a*), illa Moysis, qui sic Deum loquentem inducit: *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad* שאול INFERNI *novissima (b)*, illa psaltae: *Si ascendero in caelum, tu illic es, si descendero in* שאול *infernum, ades (c)*, illa Salomonis: *Semita vitae super eruditum, ut declinet de* שאול INFERNO *novissimo (d)*, illaque: *Tu virga percuties eum (puerum), et animam eius de* שאול INFERNO *liberabis (e)*, itemque illa: שאול *et* אבדון *coram Domino; quanto magis corda filiorum hominum (f)*, illa Isaiae: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum* שאול INFERNI *sive in excelsum supra (g)*, illaque ab eo relata: *Percussimus foedus cum morte, et cum* שאול INFERNO *fecimus pactum (h)*, illa Ezechiae: *In dimidio dierum meorum vadam ad portas* שאול INFERI *(i)*, et cetera (*k*).

50. Notabilis est loquutio illa *descendere ad* שאול (*l*). Cuius quidem origo repetenda est ex communi opinione, orcum in media intimaque telluris parte situm esse (*m*); quominus autem putemus ea significari descensum in sepulcrum, obstat illud, quod, ubi sepulcrum proprie dictum nominari certum est, ac nomen קבר usurpatur, dicunt He-

---

lect. VII, et Epimetra ad Praelect. IX et XXXII; *I. Chr. Gottberg Iohannsen* Veterum Hebraeor. notiones de reb. post mort. futur. Partic. I. §§. 12. 13. Havniae 1826.

(*a*) Gen. XXXVII, 35.

(*b*) Deut. XXXII, 22.

(*c*) Ps. CXXXIX, 8. Conf. Am. IX, 2.

(*d*) Prov. XV, 24.

(*e*) Ib. XXIII, 14.

(*f*) Ib. XV, 11.

(*g*) Is. VII, 11.

(*h*) Id. XXVIII, 15. 18.

(*i*) Id. XXXVIII, 10.

(*k*) Ps. XVIII, 6; XLIX, 15; Is. XIV, 9. 11. 15 coll. 19 et 20; LVII, 9; Ezech. XXXI, 17 coll. 18 et 16; XXXII, 21. 27 collatis 22. 24. 26. 29; Am. IX, 2.

(*l*) Gen. XXXVII, 35; etc.; Is. XIV, 11. 15; etc.; Ezech. XXXI, 15. 16. 17; etc.

(*m*) Conf. Eph. IV, 9.

braei *venire ad sepulcrum (a)*, *componi in sepulcro (b)*, *colligi ad sepulcrum (c)*, *duci ad sepulcrum (d)*, contemptim vero *proiici in sepulcrum (e)*, ferme tamen *sepeliri in sepulcro (f)*, at numquam dictum invenimus *descendere ad sepulcrum.*

51. Quid, quod Ezechiel, describens casum Pharaonis regnique Aegyptiorum (*g*) atque illius descensum cum suis in שאול (*h*), poetice fingit illic ordine disposita esse aliarum gentium קְבָרוֹת *sepulcra* circa proprios reges (*i*)? Quid, quod rex Babyloniorum ad שאול detractus narretur apud Isaiam (*k*), cui tamen *sepultura* negata fuisse simul dicitur (*l*)? Nonne haec plane evincunt aliud esse *sepulcrum* aliud שאול?

§. II

Tum שאול *tum* אבדון *sunt sedes animarum post mortem.*

52. Veterum interpretum auctoritas, alexandrinorum, inquam, et Hieronymi, ad adserendam nomini שאול significationem, quam defendimus, apprime facit. Non modo enim numquam pro hoc nomine reddiderunt *sepulcrum*, sed, ubi codex hebraicus illud habet, alexandrini interpretes scripserunt ᾅδην, Hieronymus *infernum* seu *inferos*; nisi quod hic semel scripserit *mortem (m)*, illi bis θανατον (*n*), atque insuper bis totam sententiam omiserint (*o*), semel ipsum tantummodo nomen (*p*), quod tamen neque Aquila, neque Symmachus, neque Theodotio, omiserunt, sed scripserunt et ipsi ᾅδην. Nomen autem אבדון Hieronymus semper vertit *perditionem*, interpretes alexandrini ἀπωλειαν, semel vero fortasse, verborum ordine immutato, ἀπωλεσεν (*q*), quia haec est propria huius nominis significatio. Lege apocalypsin (*r*).

(*a*) III Reg. XIII, 22; XIV, 13; Iob. V, 26.
(*b*) III Reg. XIII, 30.
(*c*) IV Reg. XXII, 20.
(*d*) Iob. X, 19; XXI, 32.
(*e*) IV Reg. XIII, 21; Ier. XXVI, 23.
(*f*) Gen. XLVII, 30; etc.; Iudic. VIII, 32; etc.
(*g*) Ezech. XXXII, 2-18.
(*h*) Id. 19. 21.
(*i*) Id. 22-26.
(*k*) Is. XIV, 9. 11. 15.
(*l*) Id. 19. 20.
(*m*) Os. XIII, 14 primo.
(*n*) II Reg. XXII, 6; Prov. XXIII, 14.
(*o*) Iob. XXIV, 19; Ezech. XXXII, 21.
(*p*) Is. VII, 11.
(*q*) Iob. XXXI, 12.
(*r*) Apoc. IX, 11.

53. Ipsum etymon nominis שאול huic rei suffragari videtur. Illud recte exposuit Winerus his verbis : *Multi sic dictum putant ab arabico* شال . . . . SIDIT, SUBSIDIT, *ut* שאול *sit* FUNDUS *terrae (V.* SCHEID. *in Cant. Hisk. p.* 25 *seqq.). At vero non opus est ad Arabes confugere.* ORCUS *haud inepte dici videtur a* שָׁאַל POSCERE , *quippe qui omnes sine discrimine homines insatiabili quadam cupiditate (Prov. XXVII* , 20 ; *XXX*, 16 ; *Hab. II* , 5*)* POSCAT *(unde* RAPAX *vocatur poetis latinis, cf.* CATULL. *II* , 28. 29, *graecis* ἁρπακτήρ CALLIM *ep. II* , 6*)* ; *ac Syri eodem vocabulo* ܫܝܘܠ *de* INFERNO *(nec non de* LIMBO PATRUM*) utuntur ; adde aethiopicum* ሲኦል : *Luc. X* , 15 *(a).*

54. Attendas quoque carere haec nomina forma plurali , adhiberi autem forma singulari etiam , ubi de integro populo loquuntur scriptores sacri (*b*) , imo ubi de pluribus gentibus (*c*) , deque magna humani generis parte (*d*).

55. Uno verbo , horum nominum usus is semper est , ut numquam non possint , saepe vero etiam nequeant non ipsis subesse vis ac notio, quas eis adserendas esse contendimus. Et re vera cur ea non sint sedes animarum vel in illis Iacobi verbis: *Deducetis canos meos cum dolore ad* שאול *inferos (e)*, vel in illis Annae : *Dominus . . . deducit ad* שאול *inferos, et reducit (f)*, vel in illis psaltae : *Convertantur peccatores in* שאול *infernum (g)* , *Erubescant impii* , *et deducantur in* שאול *infernum* (*h*) , *Auxilium eorum (impiorum) veterascet in* שאול *inferno a gloria eorum* , *verumtamen Deus redimet animam meam de manu* שאול *inferi* (*i*), *Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, et veritatem tuam in* אבדון *perditione (k),* vel in illis Salomonis :

(*a*) Lexic. manual. hebraic. et chald.

(*b*) Is. V , 14.

(*c*) Id. XIV, 9. 10 ; Ezech. XXXII, 21 coll. 19 et 20 el 22-32.

(*d*) Ps. XLIX , 15.

(*e*) Gen. XLII , 38. Conf. XLIV, 29. 31 ; III Reg. II , 6. 9.

(*f*) I Sam. II , 6.

(*g*) Ps. IX , 18.

(*h*) Ib. XXXI , 18.

(*i*) Ib. XLIX , 15. 16. Conf. *ib.* LXXXIX , 49.

(*k*) Ib. LXXXVIII, 12.

Nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud שאול *inferos, quo tu properas (a)*, inque illis: שאול *infernus et* אבדון *perditio numquam implentur (b).* Quid vero aliud, nisi sedem animarum post mortem, sonent illa nomina, quum manes illic degentes commemorantur (c), quo pertinet pulcherrima orci prosopopoeia, quae est apud Isaiam (d), eiusque descriptio apud Ezechielem (e); vel quum שאול tamquam animae habitatio expresse exhibetur, puta, illis verbis: *Quoniam non derelinques animam meam in* INFERNO *(f)*, *Domine, eduxisti ab* INFERNO *animam meam (g)*, *Eruisti animam meam ex* INFERNO *inferiori (h)*, quumque mortuorum in eum descensus narratur ita, ut nemo non videat de alio agi quam de corporum sepultura (i); vel denique quum peculiariter improbis vita defunctis locus illic datur (k), ignis (l), dolores (m), angustiae (n), ceteraque dura (o) ibidem toleranda, nominantur, idemque veluti meta peccatis statuta esse dicitur (p), quam sola virtus vitare potest (q). Neque alia desunt, quae ad praedictorum confirmationem afferri possent (r). Quod si, ubi usurpantur illa *descendere in* שאול, non agitur de sepulcro (60), de sede animarum tunc quoque agi manifestum est.

§. III

Expenduntur momenta in contrariam partem prolata.

66. Verba Iacobi superius (49) relata scribit Voltairius (s) tantumdem valere atque alia haec: *Ego moriar, sicut filius meus mortuus*

(a) Eccl. IX, 18.
(b) Prov. XXVII, 20.
(c) Ib. IX, 18.
(d) Is. XIV, 9-20.
(e) Ezech. XXXII, 19-31.
(f) Ps. XVI, 10.
(g) Ib. XXX, 4.
(h) Ib. LXXXVI, 13.
(i) Gen. XXXVII, 35; Is. V, 14; XXXVIII, 10 coll. Ruth IV, 1. 11 et Matth. XVI, 18; Ezech. XXXI, 15-17; Hab. II, 5.
(k) Ps. IX, 18; XXXI, 18; XLIX, 15; LV, 16; Prov. IX, 18.
(l) Deut. XXXII, 22.
(m) II Sam. XXII, 6 coll. Ps. XVIII, 6.
(n) Ps. CXVI, 3.
(o) Cant. VIII, 6.
(p) Prov. V, 5; VII, 27.
(q) Ib. XV, 24; XXIII, 14.
(r) Vid. Prov. I, 12; Is. LVII, 9; Os. XIII, 14; Am. IX, 2.
(s) Mélanges T. II. Opp. T. XV. pp. 399. 400. Genève 1768-1777.

est. Verum, licet id daremus, robur tamen argumenti, quod ex illa ratione loquendi deprompsimus, integrum atque inconcussum perstaret. Neque enim hominem gravi cura et dolore affectum novas sive peregrinas metaphoras ac poeticas loquutiones aucupari delectat. Usus itaque est Iacob loquutione vulgari ac trita, qua omnes in familiari sermone utebantur. Unde vero loquutio haec in vulgus ad mortem significandam inducta, ac metaphora petita? neque enim nisi ex rebus antea iam notis peti possunt metaphorae; unde ergo, nisi ex notitia loci alicuius, in quem quisque mortuus descenderet, qui tamen locus alius foret *sepulcro*, quum שאול id non significet, sed neque significare in illo Iacobi sermone possit?

57. At enim, quominus שאול *orcum* esse credamus, aiunt illud obstare, quod legimus in libro Numerorum, Dathanem et Abironem *descendisse vivos in* שאול *(a)*, illudque huic simile, quod adversariis suis psaltes imprecatur (*b*), illud denique improborum consilium in homines probos initum relatumque in librum Proverbiorum: *Deglutiamus eum sicut* שאול *viventem, et integrum quasi descendentem in lacum (c)*. Quum enim nemo in orcum vivus descendat, horum sensus non alius esse videtur, quam *vivum sepeliri*, ideoque שאול nil nisi sepulcrum significare. Attamen neque graecis interpretibus neque Hieronymo ita visum est, quorum primi ᾅδην, alter *infernum*, in his quoque tribus bibliorum capitibus nominari putarunt. Sic quoque putavit ipse Rosenmüllerus, etsi neque notionem hanc nomini huic primigeniam esse autumaret, nec nisi ineptissimam illius prodigii, quo Dathan et Abiron sublati sunt, interpretationem, auctore Eichhornio (*d*), suis paginis illeverit (*e*). Sensus autem praedictorum non utique est homines vivos, id est, animas simul cum corporibus, in orcum descendere, quem sensum, quin huic opitulentur, refellunt ipsa Davidis verba nobis opposita, quibus hostes suos prius leto sustollendos continuoque *vivos* in orcum descensuros praedicit. Quid vero in omnibus his valeat illud *viventes*, ipse Rosenmüllerus sic ex-

(*a*) Num. XVI, 30. 33.
(*b*) Ps. LV, 16.
(*c*) Prov. I, 12.
(*d*) Allgem. Biblioth. der bibl. Litteratur P. I. fasc. V. pp. 911. 912.
(*e*) Schol. in Num. XVI, 33.

plicat: Viventes, *hoc est, non sentientes se mori, sed bene sani et incolumes. Viventes igitur mori dicuntur, qui nullo praecedente morbo subito extinguuntur* (*a*), ut sententia sit illius gemina, quae est apud Iobum: *In puncto ad* שאול *inferna descendunt* (*b*); atque adnotat ille, explicationem hanc illustrari et confirmari ipsis Salomonis verbis postremo loco contra nos prolatis.

58. Psaltes haec canebat (*c*): *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, in* שאול *autem quis confitebitur tibi?* alias vero: *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes, qui descendunt in* שאול (*d*), hisque similia Ezechias: *Quia non* שאול *confitebitur tibi, neque mors laudabit te* (*e*); quis autem neget in animarum vita defunctarum sede laudes Deo tribui eiusque memoriam superesse? Haec tamen plane diluit Rosenmüllerus: *Est autem in hoc versu* (*f*), inquit, *ut Dathius observat, descriptio poetica status* animarum *post mortem* (*g*). Praeterea שְׁאוֹל orcus *et* מָוֶת mors *hic per metonymiam pro ipsis mortalibus, qui vita excesserunt, et* cum defunctis agunt, *sive potius pro integra defunctorum hominum multitudine et* quasi civitate *mortuorum usurpantur . . . . Verba* הוֹדָה *(confiteri, celebrare) et* הִלֵּל (ὑμνεῖν *cantu laudare*) *de* celebratione publica *et* solemni *adhiberi notum est. Vide I Chronicorum XVI, 4; II Chronicorum V, 12; XXXI, 2* (*h*). Eodem fere modo explicabis, si tamen quid difficultatis prae se ferre videatur, illud aliud ipsius psaltae (*i*): *Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, et veritatem tuam in* אבדון *perditione?*

59. Maiorem difficultatem creare videntur illa psaltae: *Dissipata sunt ossa nostra secus* שאול (*k*); ossa enim circa sepulcrum dissipari quidem possunt, non autem prope orcum. Cum primis tamen attendas, velim, ne haec in sensum proprium accipiamus, nos ipsa re moneri; vivebat enim, qui ita canebat. Tum, ut fert com-

(*a*) Schol. in Ps. LV, 16.
(*b*) Iob. XXI, 13.
(*c*) Ps. VI, 6.
(*d*) Ib. CXV, 17 hebr.
(*e*) Is. XXXVIII, 18.
(*f*) Ps. VI, 6.
(*g*) Schol. in Ps. VI, 5.
(*h*) Schol. in Is. XXXVIII, 18.
(*i*) Ps. LXXXVIII, 12.
(*k*) Ib. CXLI, 7.

munior opinio, ad quam inter ceteros et Rosenmüllerus accedit, psalmum hunc Davidem habere auctorem, compositumque ab eo fuisse, quum Saulis insidiis peteretur (a); ideoque neque de sociis suis haec a Davide dici proprio sensu potuisse, quorum neminem novimus a Saule peremptum, multoque minus tam magnum eorum numerum, quantum proderet proprius horum verborum sensus. Denique per ossa compertum est vigorem ac robur non raro significari in scripturis (b); hinc פִּזֵּר עֲצָמִים *dissipare ossa* idem valere ac *robur auferre*, *debilem* vel *infirmum facere*, quod ex alia quoque psaltae sententia (c) discere est. Sensus igitur praedictorum verborum est: *Tali premimur virium ac roboris defectu, quo iam* לְפִי שְׁאוֹל *ad* ORCI FAUCES *adigamur.*

§. IV

Locus iste in libro Iobi patet luculenter.

60. His praecognitis iam leviore negotio notitiam vitae futurae Iobo eiusque aetati argumentis ex hoc quoque loco depromptis vindicare est. Primo enim pluries in hoc carmine nominantur שאול et אבדון, quae quid sint, iam exposuimus; sed et carminis huius scriptori nihil aliud ea esse, quam quod diximus, iuvat comprobare. Etenim ea neque in libro Iobi esse *sepulcrum* vel ex eo apparet, quod ad Dei potentiam sapientiamque extollendam dicantur eius aspectui patere (d), quod שאול caelo opponatur (e), quod denique usurpetur loquutio illa (50) *descendere in* שאול (f).

61. Neque modo nomina illa numquam in hoc libro nequeunt significare locum datum animis post obitum (g), sed illum subinde si-

(a) Conf. ib. 6. 9. 10.

(b) Vid. Iob. XXI, 23 coll. interpr. vulg.; XXXIII, 19; Ps. VI, 3; XXII, 15; XXXII, 3; Prov. III, 8; XV, 30; Is. XXXVIII, 13; LVIII, 11; LXVI, 14; Thr. III, 4; Ezech. XXXVII, 11. Vid. etiam Ps. XXXIV, 21; XLII, 11; LI, 10.

(c) Ps. LIII, 6.

(d) Iob. XXVI, 6.

(e) Ib. XI, 8.

(f) Ib. VII, 9; XVII, 16; XXI, 13.

(g) Ib. ll. cc.; XIV, 13; XVII, 13; XXIV, 19; XXVIII, 22; XXXI, 12.

gnificant procul dubio. Id enim contingit, exempli caussa, ubi habentur illa *descendere in* שאול (55), ubi שאול dicitur rapere peccantes, sicut *ariditas et aestus rapient aquas nivis* (a). Sed et graviora fortasse momenta praesto sunt.

62. Postquam Balaad tertio verba fecerat (b), ut scribit Bouillier (c), ab illo *adumbratam divinae excellentiae* ὑποτυπωσιν *peritiori penicillo Iobus persequitur* (d) . . . . . *Eam Dei maiestatem esse, quae non coelos tantum et sidera impleat, sed quae mundi universitatem a summo ad imum complectatur, ut prorsus nihil sit, quod eius oculos fugiat, potestati non subsit, vimque omnipotentem et per abditissima penetrabilem non persentiscat. Hinc* . . . ORCUM *et* TARTARA (*quae vulgaris opinio in ipso telluris meditullio infra oceanum collocat*) MANIUM *et* ANIMARUM SEDEM *oculo numinis pervestigari et ad eius praesentiam contremiscere* (e). Hanc esse ipsissimam Iobi sententiam, paulo attentius legentibus fit manifestum. Verba Iobi ex hebraico sic vertas: הָרְפָאִים *manes contremiscent, de sub aquis et habitatores earum; nudus* שאול *infernus coram eo*, id est, coram Deo, *et non* est *operimentum* לאבדון *perditioni* (f). Nomen רפאים, pro quo in hoc versiculo Alexandrini et Hieronymus *gigantes*, sicut et alias (g), reddiderunt, proprium quandoque est gentis cuiusdam a Moyse aliisque commemoratae (h); eodem tamen hoc nomine, utrum metaphora petita ab ea gente, an aliquam aliam ob caussam, disputant Rosenmüllerus (i) et Pareau (k), eodem, inquam, hoc nomine vocari *manes* certo comperimus aliis quoque bibliorum locis simul collatis (l), idemque ipse Hieronymus semel il-

(a) Ib. XXIV, 19.
(b) Ib. XXV.
(c) Observation. miscellan. p. 239 seqq.
(d) Iob. XXVI.
(e) Ap. *Rosenmüll.* Schol. in Iob. XXVI, 5.
(f) Iob. XXVI, 5. 6.
(g) Prov. IX, 18; XXI, 16; Is. XIV, 9; XXVI, 14. 19.
(h) Gen. XIV, 5; etc.
(i) Schol. in Is. XIV, 9.
(k) Commentat. de immortalit. notit. etc. p. 126 not.
(l) Ps. LXXXVIII, 11; Prov. II, 18; IX, 18; XXI, 16; Is. XIV, 9; XXVI, 14. 19.

lud transtulit *inferos*, Alexandrini vero τῷ ᾅδῃ μετὰ τῶν γηγενῶν (*a*). Considera insuper ea, quae duobus praedictis versiculis Iob protulit, ita inter se connexa esse, ut, quamvis utraque ad Dei potentiam sapientiamque demonstrandam pertineant, posteriora tamen priorum caussam rationemque prodere. In prioribus enim, quibus demonstrationem illam Iobus exorditur, nulla Dei mentio est, nulla caussa vel obiter indicata, cur manes contremiscere dicantur. Indicari eam oportebat. Indicat autem iis, quae continuo subdit, quia, inquit, *nudus est infernus coram illo*. Hoc ergo, sicut quisque intelligit manes ideo contremiscere, quia ipsorum veluti latibulum patet divino obtutui, ita certior fit שאול et אבדון hic non aliud nisi *orcum* posse significare.

63. Iobus secundo sermonem conferens cum Eliphazo ita concludit: *Ad vectes* seu, ut alii hebraica vertunt, *ad solitudines* שאול *descendent* (*b*). Quaenam autem illuc descensura dicat, ex prioribus intelliges esse omnes eius spes, quibus frustratum se aiebat (*c*). Si ergo attendas spes animis inesse, non corporibus, *vectes* שאול idem valere ac apud Isaiam שַׁעֲרֵי שְׁאוֹל (*d*), nempe quae apud Matthaeum vocantur *portae inferi* (*e*), quisque enim sentit ne poetice quidem ea appellatione *sepulcrum* apte designari, si item consideres *solitudines* esse tractus regionum, regioni autem *orcum* recte assimilari, non vero *sepulcrum*, facile deprehendes, quid sit שאול in hoc Iobi sermone. Neque obstabunt ea, quae continuo sequuntur, si, missis Schultensii, Rosenmülleri, aliorumque interpretationibus, quas neglecto sensu magis obvio, nec sine vi verbis verborumque etymis illata, illi excogitarunt, Hieronymum sequaris, qui huius aeque ac priorum versiculorum, etsi non verba, sensum tamen plane expressit. Praedixerat enim Iobus, quid tandem spem suam maneret (*f*). Exin interrogat, quorsum ea sit evasura (*g*). Reponit ipse fore, ut ea secum ad orcum descendat (*h*). Sermonem denique ita concludit: אִם־יַחַד עַל־עָפָר נָחַת, quae ad verbum sic vertere oportet: *Si pariter su-*

(*a*) Prov. II, 18.
(*b*) Iob. XVII, 16 hebr.
(*c*) Ib. 15 coll. 13 hebr.
(*d*) Is. XXXVIII, 10.
(*e*) Matth. XVI, 18.
(*f*) Iob. XVII, 13. 14.
(*g*) Ib. 15.
(*h*) Ib. 16.

per pulverem requies. Schultensius, Rosenmüllerus, aliique, putarunt haec quoque dicta esse de spe Iobi cum ipso ad שאול descensura. Profecto, si sic haberet, ideoque sensus foret Iobi spes omnes una cum ipso ad שאול descensuras simulque in pulvere, id est, in sepulcro requieturas, difficilius foret nomini שאול *orcum* notionem adserere. Verum non sic habere vel ex eo inferre est, quod, ut talem sensum illi colligerent, necesse habuerint verba torquere, ac ne sic quidem satis sese ex hac difficultate extricaverint. E contrario nihil in postrema hac sermonis parte non expeditum ac sponte veluti fluens, si dicatur Iobus his verbis professus esse piam religiosamque dubitationem, quaenam ipsi sors post obitum foret obventura. Sunt autem haec βραχυλογως ab eo enuntiata, particula אם *si* idem hic valet ac *num* (a), יחד idem ac *pariter* (b), *pulvis* sunt corporis reliquiae, ut saepe in hoc carmine (22), quarum propriam dicere mos est pacem et quietem animis verius attribuendam, sicut nos sepulcris inscribere solemus: heic *quiescit in pace*, totus denique versiculus eam exhibet constructionem, quam grammatici recentiores *praegnantem* vocant (c), sensus autem est: *In orcum spe mea frustratus descendam, et videbo, num meis reliquiis requies obtingat par eius, quae mihi nunc est*; εἰρωνικως videlicet.

64. Ubi Iobus ita precatur: *Quis mihi hoc tribuat, ut in* שאול *protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus* (d), שאול esse *sepulcrum* neque ii accipere possunt, qui notitiam alterius vitae post mortem futurae Iobo fuisse negant. Quid enim? Optabat ne Iobus se viventem adhuc in sepulcro abscondi, an e vita sublatum? Si prius, quam inepte quamque insipienter perfugium ab ira numinis in sepulcro sibi quaesivisset! Si alterum, sibi caveant adversarii, ne suo se gladio ipsi iugulent, quandoquidem, hoc altero semel posito, illa *et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei*, quae Iobus continuo subiungit, non aliud sonabunt nisi vitam ab eo tandem recuperandam. Quare hic quoque שאול *orcus*

(a) Conf. Is. XXIX, 16.
(b) Conf. Ps. XLIX, 11; Iob. XXXIV, 29.
(c) Vid. Lib. I. n.° 230.
(d) Iob. XIV, 13.

sit, oportet, quoniam ex tota hac disputatione iam quisque certo inferat nomine isto, si *sepulcrum* non significat, nihil aliud nisi orcum posse significari.

65. Huc quaedam quoque alia pertinent huius libri capita, quibus, etsi neutrum illorum nominum in iis habeatur, de sede tamen animarum agi perspicuum est. Etenim Iobus dolens se fato functum non esse, priusquam in lucem ederetur, haec subdit: *Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem* CUM *regibus et consulibus, . . . aut* CUM *principibus . . .* IBI *impii cessaverunt a tumultu, et* IBI *requieverunt fessi robore, et quondam vincti* PARITER *sine molestia non audierunt vocem exactoris; parvus et magnus* IBI *sunt, et servus liber a domino suo (a).* Vides mentionem his fieri *certi* cuiusdam *loci*, inque eo homines diversis conditionibus ac statibus *una pariterque* post mortem degentes recenseri. Regionem illam, in quam se brevi ex hac vita migraturum praesagiebat, ita idem Iobus veluti depingit: *Vadam . . . . ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat (b)*; quae quidem ab exemplari hebraico aliquid discrepant, de qua tamen regione Iobus loquatur, produnt vel sola illa *ubi . . . nullus ordo* ex illo ipso exemplari fideliter translata. Quid denique sunt haec: *Etenim novi; ad mortem reduces me et ad domum conventus indicti omni viventi (c)? Domum* hanc sepulcrum esse scribit Io. Bernardus de Rossi (*d*). Verum num homines omnes in unum sepulcrum inferuntur? Quodque gravius est, nonne hominibus bene multis sepultura negatur, puta, quum vel a feris devorantur, vel ab igne consumuntur, vel ab aquis absorbentur?

ARGUMENTUM III

Postremum Dei iudicium.

66. Tertium locum, iam adeamus. Est autem ille, in quo non obscure praedicitur, aut indicatur, iudicium, quod de cunctis hominibus

(a) Iob. III, 13 - 19.
(b) Ib. X, 21. 22.
(c) Ib. XXX, 23 hebr.
(d) Var. lection. V. T. ad h. l.

sub finem omnium aetatum Deus facturus creditur. Quae ex eo loco peti possent, ordine hic damus.

67. Sophar enumerans adversa impiis hominibus impendentia ita concludit: *Patefacient caeli iniquitatem eius, et terra insurgens in eum. Revelabit* Deus *proventum domus eius. Tracta* haec *in die furoris eius*, id est, Dei (*a*). Aio haec ad postremum Dei iudicium spectare, idque, nisi pertinacius, negare neminem posse, qui ordinem ac seriem orationis habitae a Sopharo non omnino aliud agens consideraverit. Initio quippe argumentum proponitur, *quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritae ad instar puncti (b)*, tum aliquantum uberius expolitur (*c*), demum per partes demonstratur. Ac primo enarrantur adversa, quibus homines impii, dum vivunt, premi solent (*d*). Eorum exitus deinceps describitur, quam descriptionem exhibere iuvat, attamen sicut a Rosenmüllero, utique parum latine, versa est, quo certius suspicio omnis procul amandetur, ne forte eam ad sententiam nostram accommodaverimus. *Votorum omnium compos factus, angustiae ei erunt, omnisque dolorum vis eum invadet. Sed erit, quo venter eius impleatur. Emittet in eum Deus irae suae ardorem, et pluet super eum, quo vescatur. Effugerit arma ferrea, traiicet eum arcus aeneus. Educitur, qui corpus eius penetrabat, gladius, et acies fulgurans e felle eius. Perit (e).* Aptissime istud *perit* redditum est pro ילך (*f*). Sequuntur continuo, quae impios homines maneant, postquam perierint (*g*), eaque, ubi locus erit (76), referemus. Ultimo denique habentur illa: *Revelabunt caeli iniquitatem eius, et cetera.*

68. Attendere autem oportet Sopharum potissimum ob res male partas crimen iis, in quos invehitur, inferre (*h*), quo non modo minime videbuntur extra suum locum, sed maxime in loco, posita, quae invenimus in fine sive argumenti uberius propositi (*i*), sive supplicio-

(*a*) Iob. XX, 28 hebr.
(*b*) Ib. 5.
(*c*) Ib. 6-10.
(*d*) Ib. 11-21.
(*e*) Ib. 22-25.
(*f*) Conf. Gen. XV, 2; Ps. XXXIX, 14; II Par. XXI, 20; Iob. XIV, 20; XIX, 10. Vid. *Gesen.* Thes. ad h. v.
(*g*) Iob. XX, 26.
(*h*) Ib. 10. 15. 18. 19. 21. 26. 28.
(*i*) Ib. 10.

rum descriptorum (*a*), sive eorum, quibus postremum Dei iudicium praedici contendimus (*b*).

69. Sunt, qui ultimum versiculum ex hebraico sermone sic vertunt: *Migrabit proventus domus eius*; *fluentia*, id est, *defluent*, quae ex proventu congesta sunt, *in die furoris Dei.* Sed quam frigide, post descriptum vivis adeo coloribus, ut in hac Sophari oratione fit, hominum impiorum exitum, supplicium ab his ferendum, caelum eos accusantem, terram in eos insurgentem, quam frigide, inquam, quam praeter rem, ex improviso proventuum deperditorum commemoratio huc foret inserta, praesertim quum prius iam suo loco habita fuerit (*c*). Contra vero, quam apte nos verba יִגֶל et נִגָּרוֹת in eum sensum acceperimus, in quem et vulgatus interpres, et syrus, et arabs, acceperunt, apparet ex iis, quae in orationis argumento attendenda esse modo monuimus (68). Neque, quod attinet ad יגל, quidquam dubitationis esse potest, quominus illud valere idem putemus ac *revelabit, reteget.* Verbum vero נגרות forma ipsa proditur esse participium passivum verbi נגר, cui notionem subiectam esse etiam *trahere* disces plane ex consonantia radicum imperfectarum linguae hebraicae, et ex iis, quae de hoc verbo scripsit Gesenius (*d*).

70. Eliu Iobum redarguens atque admonens sic sermonem concludit: *Iudicium coram eo*, id est, coram Deo, *exspecta illud; nunc enim non inquirit ira eius*, *neque cognoscit de delicto valde (e).* Nomen פַּשׁ vertimus *delictum* ita flagitante orationis serie et contextu, nec non auctoritate alexandrinorum interpretum et Hieronymi, pro qua strenue propugnat Gesenius (*f*). Haec itaque verba indicant manifesto iudicium aliquod de nobis a Deo habendum, non tamen *nunc*, id est, dum vitam hanc vivimus. Caussam enim, cur hoc iudicium olim habendum sit, statuit Eliu, *quia* NUNC *non inquirit ira eius*, *neque cognoscit de delicto valde.* Eam vero ita edicit, ut quae universale aliquod principium sit, non autem veluti

(*a*) Ib. 26.
(*b*) Ib. 28.
(*c*) Ib. 15. 18. 21.
(*d*) Thes. ad h. v.
(*e*) Iob. XXXV, 14. 15.
(*f*) Thes. ad h. v.

si adversam tantummodo Iobi sortem ex illa repeteret ; quid enim id foret, nisi poenas Iobo inferendas metiri gravitate scelerum, quorum eum socii insimulabant? quum tamen e contrario ea, quae a Iobo admissa credebant, horumque numerum ac pondus ex poenis dumtaxat Iobo in praesenti inflictis arguerent, ac metirentur. Quamobrem illud *nunc* nequit aliud significare, nisi vitam, quam vivimus.

71. Addi fortasse possent ea, quae circa Dei iudicium Iobus amicos suos monuit (*a*), quaeque sibi veluti comminabatur, si servis suis atque ancillis ius abnegasset (*b*). Sed, quum haec ad postremum iudicium Dei pertinere nobis exploratum non sit, ea securi praeterimus.

ARGUMENTUM IV

Poenae improborum post mortem.

72. Satis etiam patet quartus locus, ubi poenae improbis post mortem infligendae commemorantur, aut indicantur. Ac primo illa ipsa modo relata (70), quae Eliu loquebatur, hanc exhibent sententiam : Fore, ut Deus, facto iudicio de hominibus improbis iam vita functis, graviores his inferat poenas, quam viventibus adhuc solet inferre.

73. Nomen שאול *orcum*, non modo sedi animarum in universum, sed veluti proprium factum esse loco illi, ad quem animae improborum damnantur, iam diximus (55) ; ex quo etiam intelligimus eumdem hunc esse atque illum, quem Christus vocavit *locum tormentorum (c)*. Proinde, quod iam per se apparet, clarius quoque per hoc fit, de poenis, quas impii post mortem daturi sunt, dicta a Iobo esse illa : *Ariditas et aestus rapiunt aquas nivis, orcus eos, qui peccaverunt (d)*.

74. Quid porro, nisi hoc ipsum, sibi volunt ea Balaadi verba, quibus horribilem hominum malorum interitum enarrabat, quaeque ex Rosenmülleri et Wineri (*e*) sententia sic forent transferenda : *Comedet*

(*a*) Iob. XIX, 29.
(*b*) Ib. XXXI, 14.
(*c*) Luc. XVI, 28.
(*d*) Iob. XXIV, 19.
(*e*) Lex. man. ad v. בַּלָּהָה.

artus cutis eius, comedet artus eius primogenitus mortis, ... *et facies eum incedere ad regem terrorum (a).* Negat tamen Gesenius particulam ל positam in hoc versiculo ante מֶלֶךְ *regem* valere *ad*, sed idem esse ac כ *sicut*, vertitque: *Persequentur eum instar regis .... terrores (b).* Priori interpretationi favent accentus et interpres chaldaeus, posteriori Hieronymus.

75. Poenas impiis post mortem constitutas perstringit Iobus illis quoque verbis: *Cubabit*, id est, morietur (46), impius, *et non colligetur* anima eius inter maiores suos (44), id est, proiicietur (45). *Oculos suos aperuit, et non ipse* est amplius. *Invadent eum*, scilicet postquam mortuus fuerit, *sicut aqua terrores* (c). Haec eadem continuo per expolitionem diversasque verborum immutationes repetit: *Noctu furata est eum tempestas, sustollet eum ventus urens, et peribit. Et* Deus *turbine deiiciet eum de loco suo, et proiiciet contra eum, et non parcet; de manu eius fugiendo fugiet (d)*, id est, fugere conabitur, ut adnotavit Rosenmüllerus, *a manu Dei fugiet perimente, quam tamen non effugere potest.* Quae quidem omnia explicatione non indigent.

76. Apertiora etiam sunt haec verba Sophari, quae referimus, sicut ea latina fecit Rosenmüllerus: *Perit* impius. *Super eum terrores. Omne tenebrarum genus pro thesauris ei repositum. Consumet eum ignis non sufflandus (e).* His postremi iudicii, cui impius sistetur, descriptio statim succedit. Quem ordinem rerum aeque ac totius orationis materiem si denuo consideres, sicut superius (67) fecimus, iam dubius non haerebis, quanam de re Sophar loquatur.

ARGUMENTUM V

Spes atque exspectatio rerum post mortem futurarum.

77. Quintus quoque locus non levia nobis praebet argumenta probationum petita ex spe, quae ultra tumulum sese protendens proditur

(a) Iob. XVIII, 13. 14.
(b) Thes. ad v. בלהה et ad lit. ל A) n.° 13. p. 732.
(c) Iob. XXVII, 19. 20.
(d) Ib. 20-22.
(e) Ib. XX, 25. 26.

in hoc carmine, modo implicite ac veluti abscondite, modo patenter et expedite. Huc autem quoque pertinent quaedam illorum, ex quibus argumenta etiam ad alia demonstranda hactenus deprompsimus.

78. Habes enim in primis sententias ex parte iam superius relatas (45), quibus et diversa sors tum animis tum corporibus post obitum obventura (*a*), et anima ipsa e corpore egressa adhuc vivere pergens (*b*), expresse commemoratur.

79. Ea quoque Iobi verba retulimus (63), quibus quietem sibi vita defuncto sperare profitetur. Ne vero quis suspicetur quietem hanc aliam non esse nisi eam, quam sepulcrum cuique praebet, finem, inquam, miseriarum et aerumnarum, quibus, dum vivimus, premi solemus, obstat pia illa ac religiosa dubitatio, quam veluti comitem spei suae Iobus verbis illis prae se ferebat, quaeque circa quietem in sepulcro inveniendam versari profecto nequibat (*c*).

80. Spem eamdem praefert quoque hoc Iobi votum: *Quis dabit, ut veniat petitio mea, et exspectationem meam det Deus? et velit Deus, et conterat me, solvat manum suam, et succidat me? Et erit* TUNC QUOQUE *consolatio mea, et exsultabo in dolore meo, qui non parcet, quoniam non contradixi sermonibus Sancti (d).* Vis particulae עוֹד *tunc quoque*, velis, nolis, ea est, quae hanc parit sententiam: Fore, ut Iobo, post vitam ipsi a Deo ademptam, cruciatuum, quos vivus pertulerat, illud ipsum solatio esse pergeret, quod tunc erat, dum eos perferebat, se divinis legibus numquam non obtemperasse.

81. Illum ipsum sermonem Iobus concludit his verbis: *Ecquid non tolles peccatum meum, et auferes iniquitatem meam?* QUONIAM *nunc in pulvere cubabo, et mane me quaeres, et non ego* amplius ero (*e*). Itaque sibi sua peccata remitti *ideo* optabat, *quia* se mox diem supremum victurum credebat. Ast ecquid momenti ratio haec habuisset, cur illud optaret, nisi unumquemque nostrum, quae factis ac studiis suis in vita sua meritus est, ea post mortem manerent, idque ipsum Iobus haud dubius sperasset?

(*a*) Iob. XIV, 22 coll. 19-21; XXXIV, 14. 15.
(*b*) Ib. XXVII, 19.
(*c*) Ib. XVII, 16.
(*d*) Ib. VI, 8-10.
(*e*) Ib. VII, 21.

82. Denique, quum Iobus expresse neget impio ex hac vita decedenti spem ullam esse posse, hoc ipso ponit esse, quae nobis post decessum futura speremus. En verba ipsa Iobi *(a)*, prout ea vertit Gesenius *(b)* : *Quaenam spes est impio, ubi rapuit, si Deus extrahit, vel postulat, animam eius?*

SECTIO II

Quid valeant ea, quae ex Iobo in contrarium proferuntur.

83. Quum tot tamque gravia liber iste suppeditet, quae fidem faciunt Iobo eiusque aetati, quantum satis est, cognita fuisse, quaecumque post mortem futura credimus, et speramus, actum agere dicendi sunt christianarum doctrinarum hostes, dum argumenta ex hoc ipso libro corradere atque extricare adnituntur, quibus in contrariam sententiam Iobum veluti discedere compellant. Quae tamen proferunt, nostrum est officium diluere ac refutare; quod nunc iam praestamus.

84. Aiunt igitur Iobum infitiatum esse credere se animas corporibus fore superstites, idque ubi haec loquebatur: *Sicut abortivum absconditum* NON SUBSISTEREM, id est, לֹא אֶהְיֶה *non essem (c)*, vel haec alia: *Fuissem, quasi* NON ESSEM, *de utero translatus ad tumulum (d)*, vel denique haec: *Dives, cum dormierit*, id est, quum mortuus fuerit (46), ... *aperiet oculos suos*, וְאֵינֶנּוּ ET NON IPSE, videlicet *non est (e)*. Sed ista omnia prorsus explodit Rosenmüllerus sic disserens: NON ESSEM *in rerum natura, non viverem.* ESSE *dicitur qui vivit, et contra* NON ESSE, *qui mortuus est, ut Ierem, XXXI,* 15: *Rachel plorans filios suos* כִּי אֵינֶנּוּ QUIA NON SUNT, *non sunt in vivis. Genes. XLII*, 13: וְהָאֶחָד אֵינֶנּוּ ET UNUS NON IPSE, *id est,* מֵת MORTUUS EST, *ut ipsi fratres* Iosephi *loquuntur XLIV,* 20. *Conf. Ps. CIII,* 16 *(f)*. Haec confirmare aut illustrare saltem poteris aliis nonnullis ipsius Iobi ser-

---

(a) Iob. XXVII, 8.
(b) Thes. ad v. בָּצַע.
(c) Ib. III, 16.
(d) Ib. X, 19.
(e) Ib. XXVII, 19.
(f) Schol. in Iob. III, 16.

monibus (*a*), praesertim ubi de Deo sic loquitur: *Ecce ad orientem ibo*, ואננו et non ipse (*b*), quibus nemo putabit negari Deum esse. Insuper, quod ad primum trium illorum testimoniorum (*c*), eius sensum esse, quem diximus, docet nos addita ἐπεξήγησις: *vel, qui concepti, non viderunt lucem (d)*. Alterum vim omnem, si quam haberet, amitteret propter particulam *quasi*; tum hebraica sic sonant: *Quasi non fuissem, essem*. Quod ad tertium, interrogamus, quomodo is, qui *nullo modo est*, qui *nihil est*, animadvertere possit se non esse? quod tamen fieri dicitur. Sed de eo iam egimus (45. 75). His praecognitis facile dilues alia huiusmodi (*e*).

85. Infitiari tamen videtur Iobus expressis verbis spem sibi ullam esse, quae ultra vitae terminum protendatur; ait enim: *Dies mei . . . . transierunt, ... et consumpti sunt absque ulla spe (f)*. Sed alius omnino est sensus horum verborum, *id est, ut nulla sit spes revocatum iri tempus praeteritum*, sicut ea explicat Rosenmüllerus, videlicet profitetur Iobus desperare se sanitatem reciperandam; huncque sensum verbis illis subesse demonstrant simul, et postulant ea, quae prioribus versiculis praedicta sunt (*g*).

86. At enim nonne Iobus continuo ea subiungit, quae nimis manifeste produnt eum nullo modo credidisse se aliquando revicturum? sic enim loquitur: *Ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus, ut videat bona . . . Qui descenderit ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus eius (h)*. Horum similia alias quoque pronuntiat: *Vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam (i), Semitam, per quam non revertar, ambulo (k)*. Verum nonne aeque manifestum est, alio prorsus verba Iobi pertinere, quam quo ea trahere adversarii nostri conniuntur? Nonne ipsa palam tibi exhibent, quo intelligas agi de vita denuo in orbe ducenda, non secus ac nunc

(*a*) Vid. Iob. III, 9. 21.
(*b*) Iob. XXIII, 8.
(*c*) Ib. III, 16.
(*d*) Conf. ib. 20; XXXIII, 28. 30; Ps. XXXV, 10; XLVIII, 20; LV. 13.
(*e*) Iob. VII, 8. 21; XXIV, 24.
(*f*) Ib. VII, 6.
(*g*) Ib. 4. 5.
(*h*) Ib. VII, 7. 9. 10.
(*i*) Ib. X, 21.
(*k*) Ib. XVI, 23.

ducimus, minime vero de vita illa sempiterna, ad quam post finem mundi vivendam nos omnes resuscitandos esse certissime credimus? Ait Iobus: *Nec revertetur oculus meus, ut videat bona*, id est, inquit Rosenmüllerus, *ut primum excesserit ex hac vita homo, nusquam ad illa revertetur bona, quae semel amisit*; sic alias quoque loquutus est ipse Iobus: *Dies mei ..... fugerunt, et non viderunt bonum (a)*. Quid significent ea, quae is deinceps addit: *Qui descenderit ad inferos, non ascendet*, mox ipse enarrat postremis illis: *nec revertetur ultra in* DOMUM SUAM, *neque cognoscet eum amplius* LOCUS EIUS, id est, non eo redibit, *ut rem familiarem et solita negotia administret, et procuret*, in eum, inquam, locum, *in quo antea fuerat, dum viveret*; ita Rosenmüllerus. Nec aliter explicari possunt, quae secundum haec allata sunt (*b*); his enim caussam rationemque Iobus edicebat, cur Deum rogaret, ut, quandoquidem brevi ad plures sibi recedendum hinc erat, sineret Deus exiguo illo vitae spatio, quod adhuc supererat, quiete se atque hilare frui, quum ad hoc denuo fruendum numquam esset reversurus. At quid istud, inquies, optasset Iobus, cui potioris vitae spem fuisse contendimus? Sed enim nonne nos etiam iam senescentes illud ipsum illamque ipsam ob caussam nobis subinde optamus, precamurque, quin adeo religio nos incessat, ne forte ea re videamur futuram vitam aut hominum ἀνάστασιν in dubium revocare, et christianum nomen eiurare? Fac insuper, memineris Iobum tota hac disceptatione id unice sollicitum fuisse, ut innocentiam suam tutam praestaret ab accusationibus sociorum. Quum vero isti hominem sontem arguerent ob adversa, quae in eum ingruerant, κατ' ἄνθρωπον, ut aiunt, is refelli eos avebat, extrema illa vitae parte, quam adhuc victurus erat, bene beateque, ut olim, peracta; quod nullo sane pacto post obitum suum fieri posse sperabat. Eiusdemmodi ratio est ac modus, quo explanes verba Iobi producta postremo loco (*c*); Deum quippe ipsum citabat, quem sociis eum accusantibus, adeoque non alibi quam in hoc mundo (*d*), innocentiae suae testem opponeret (*e*).

(*a*) Ib. IX, 25.
(*b*) Ib. X, 21.
(*c*) Ib. XVI, 23.
(*d*) Ib. 19.
(*e*) Ib. 18-22.

87. Graviora tamen praedictis cuiquam fortasse videantur haec, quae leguntur in capite decimoquarto huius libri (a): *Lignum habet spem, si praecisum fuerit, rursum virescit;.... homo vero, cum mortuus fuerit, et nudatus, atque consumptus, ubi quaeso est? Quomodo si recedant aquae de mari, et fluvius vacuefactus arescat, sic homo, cum dormierit, non resurget, donec atteratur caelum, non evigilabit, nec consurget de somno suo..... Putasne, mortuus homo rursum vivat?* Quae si difficilem explicatum habere videntur, praestabit hominem rationalistam ea edisserentem audire, Rosenmüllerum, inquam, qui ita scripsit: *Negat Iobus et hoc loco, et similibus, supra VII,* 7-10; *X*, 21, *et infra XVI,* 22, *huius, quam in terris degimus, vitae iterationem; unde tamen haud colligere est, illum nec aliquam vitae, hac scilicet terrestri praestantioris, restitutionem credidisse, non nisi post praesentis rerum humanarum ordinis interitum exspectandam...... Vere observat Pareau, in Commentatione de immortalitatis notitiis etc. p.* 144 (22), *non aliam vitae instaurandae spem a Iobo reiectam fuisse, nisi qualem et nos quoque, qui traditam a Christo de reditu ex morte tenemus, reiicere decet. Tenuisse enim ea, qua* Iobus *floruit, aetate plures Orientis gentes, praesertim vicinos illi Arabes et Aegyptios, hanc spem, fore, ut post longam seculorum seriem anima, quae ex corpore egressa esset ad inferos, ex inferis ad corpus reverteretur, utque tum redirent ad eandem hanc vitam terrestrem, ut in pristinum adeo statum, sed longe feliciorem, restituerentur, et cum amicis, consortibus, consanguineisque, denuo versarentur sicut antea. Similem quandam spem rudiorem haud paucis gentibus recens detectis communem repertam fuisse notavit Pareau l. l. p.* 14. 15. *not.*, *conf. p.* 21. 71 *seqq. Hanc igitur rudiorem ac falsam spem fuisse, quam... reiiciendam esse merito iudicaverit* Iobus. *Unde apparet, cur ad idem hoc argumentum saepius reversus sit, ac tam studiose omnem talis a morte resurrectionis fidem a se removerit (b).* Nimirum in hunc quoque Iobi sermonem quadrat illud,

(a) Ib. XIV, 7. 10-12. 14.

(b) Schol. in Iob. XIV, 12.

quod in aliis modo (86) relatis animadvertimus, optare Iobum, ut vitae suae residuum tranquille agere sibi liceat; id quippe precatus (a) continuo illa protulit, quae nunc quaestionem nobis praebent, eaque proinde dicta esse de vita, quam nunc vivimus, putanda sunt.

88. Quid vero quod Iobus minime dicat hominem *numquam* revicturum, sed *donec atteratur caelum*, sive, ut hebraica sonant, *donec non sit caelum*. Aiunt quidem haec idem valere ac *numquam*, sed hoc probare nobis non poterunt, nisi prius evicerint, Iobi aetate creditum fuisse, numquam fore, ut caelum esse desineret. Contra vero ratio non deest, cur putemus rem secus habuisse (b); quo semel posito iam perspicuum fiet sensum illorum verborum esse, homines ante finem mundi non revicturos.

89. Neque illud praetereundum est, quod versiculum decimum quartum sic quoque vertere liceat, imo fortasse etiam oporteat: *Si mortuus fuerit vir, nonne vivet? Cunctis diebus militiae meae sperans exspectabo, usque dum veniat immutatio mea*; sensum vero eumdem ipsum esse ac illorum verborum, quae sunt in symbolo constantinopolitano: *Exspecto resurrectionem mortuorum*. Etenim hunc sensum suggerit interpunctio exemplaris hebraici; in hunc si verba Iobi accipiantur, iam iis rationem afferri sentimus illius voti, quod is conceperat, atque enuntiaverat versiculo antecedente (c); huic apprime ea respondent, quae Iobus subdit versiculo subsequente: *Vocabis me, respondebo tibi; opus manuum tuarum desiderabis (d)*; hic denique nihil coactum praefert, nihil non obvium, nihil non sponte ex ipsis verbis enascens, nihil non ad unguem cohaerens cum iis, quae antecedunt, et quae consequuntur, eaque simul coniungens. Quorum omnium contraria Rosenmüllerus interpretatione sua mirifice peccat; sic enim ea est: *Quum mortuus fuerit homo, fieri ne potest, ut reviviscat? (Si posset) equidem totum militiae meae spatium patienter ferrem, donec mei mutatio veniat*. Particulam vero ה ante verbum יִחְיֶה *vivet* transtulimus *nonne*, utpote qua, sicut recte monet Gesenius (e), non sem-

(a) Iob. XIV, 5. 6.

(b) Conf. Matth. V, 18; XXIV, 35 coll. 29; II Pet. III, 7. 10. 12.

(c) Iob. XIV, 13.

(d) Ib. 15.

(e) Thesaur. ad ה adv. interrog. n.° 1. p. 362.

per *ita interrogatur, ut responsionem negativam exspectes, et ipsa interrogatio vim negativam habeat, ubi proprius locus latino* num; verum *alibi interrogatio vim affirmativam habere videtur, . . . ita latinum* ne *pro* nonne *(a)*, idque etiam apud Iobum *(b)*. Sed, quo interpretationem nostram comprobemus, argumentum suppeditat ipsa sententia. Quid enim illud est, quod Iobus sperare se atque exspectare ait? Si quid video, non aliud nisi alterutrum horum; vel id, quod significatur illa interrogatione, vel immutatio, quam Iobus nominat. Quid porro est immutatio ista? Nempe, nisi sit ipsa instauratio vitae olim futura et corporis ἀνάστασις, quam a Iobo exspectatam illaque etiam interrogatione significatam fuisse defendimus, aliud esse nequit, quam vel restitutio ipsius Iobi in pristinum sanitatis et fortunarum statum, vel decessus ex hac vita. Si prius praeferas, vellem, ediceres, quid huic restitutioni cum iis, quae a Iobo vel proxime interrogatione illa sunt expressa, vel continuo subduntur? quam restitutionem insuper non semel is fassus est desperassse *(c)*. Sin autem posterius mavis, iam neque immutatio haec illud esse poterat, quod Iobus sperare se atque exspectare aiebat; quam enim inepte, quam insipide dictum id foret: *Toto vitae tempore spero, atque exspecto, me moriturum.* Num alio quam vitae tempore, num non tempore hoc toto, mors exspectatur? Ergo, nisi immutatio ista significet ipsam vitae olim amissae instaurationem, quam futuram speramus, nequit ea illud esse, in quod Iobus spe atque exspectatione se ferri profitebatur. Proinde alterutra ratione verba illa Iobi intelligere oportet, ut vel ipse dicatur exspectasse *immutationem* hanc, quo ea alia non est nisi instauratio sub finem mundi futura, ideoque et prioris interrogationis sensus is est, quem contendimus; vel hoc, quod Iobus se toto vitae tempore usque ad illam immutationem, id est, usque ad mortem, se exspectare aiebat, nil aliud re ipsa fuisse nisi id, quod expressit illa interrogatione, et sic quoque interrogationi huic sensus, quem diximus, subsit, necesse est.

(a) Vid. I Sam. II, 27; Ezech. XX, 30.

(b) Iob. XX, 4; XL, 33 al. XLI, 1.

(c) Ib. VII, 6. 16; XVII, 1. 13. 15. 16; XIX, 10.

ARTICULUS IV

Oraculi interpretatio proponitur, et confirmatur.

90. Quae nostram interpretationem oraculi a Iobo editi impedire poterant, de medio sublatis, definitaque prius vi ac notione singulorum verborum, atque argumentis non paucis nec levibus productis, quibus haec confirmarentur, arbitror me praestitisse, quantum satis est, quo de interpretationis huius veritate, non praeiudicium, sed plane iudicium iam factum putetur, ideoque licere iam integram illam proponere. Sic autem ea est.

91. *Quis dabit ergo, et scribentur verba mea? quis dabit, in libro et exarabuntur? stilo ferri et plumbo in aeternum in saxo excidentur? Et ego novi redemptorem meum viventem*; *et postremus super pulverem surget. Et postea pelle mea circumdabuntur haec, et de carne mea intuebor Deum, quem ego intuebor mihi, et oculi mei videbunt, et non alius. Consumpti sunt renes mei in sinu meo.*

92. Est tamen operae pretium hanc interpretationem magis ac magis comprobare reliquis argumentis, quae praesto sunt, ut peculiari ratione evincamus non de alia re Iobum esse loquutum, nisi de vita, ad quam aeternam vivendam humanum genus a Deo sub finem mundi revocabitur.

93. Quicumque in diversa abeunt a proposita interpretatione, ad alterutrum horum ultimo omnes deveniunt aut etiam ad utrumque simul; Iobum his verbis sibi polliceri vel se in integrum restitutum iri, vel Deum ipsi in hac vita adhuc degenti visitationem facturum. Quare, si neutrum horum accipi posse demonstraverimus, simul interpretatio nostra indubitata evadet ac talis, quae cordato cuique se probet, necesse sit. Qui alias interpretationes ampliore ratione refutatas videre cupiunt, habent, quo satis sibi faciant, in Commentariis Schultensii.

94. Itaque, si diligenter consideres totam disceptationem huc usque habitam inter Iobum interque eius amicos, animumque advertas ad affectus, quibus hactenus ille concaluit, ad horum ratio-

nem et modum, ad continua eorum incrementa, ad eum aestus gradum, quo iam pertigerunt, quae omnia superius (6) tibi posuimus ob oculos, iam nullus exspectes fore, ut Iobus eo loci redactus certiorem se de sanitate una cum ceteris bonis sibi ademptis reciperanda factum esse narret, nec possis, quin sentias, quam narratio haec post illa frigeret, quamque vere ita scripserit Schultensius: *Hanc spem in explicationes suas admittere et admiscere, est totum libri pathos minuere, subnervare, et magna ex parte delere (a)*; etenim, sicut ille sapienter monet, *tam grandia* πάθη *nec concipit, nec effert, nisi qui de* SALUTE, *de iure* FOEDERIS GRATIAE, *de* PRAEMIO *sinceros Dei cultores post hanc vitam manente, deque* CORONA IUSTITIAE *pugnat*, SUAMQUE PARTEM IN HAEREDITATE SANCTORUM IN LUCE *omni animi contentione et ardore tutandam suscepit (b)*.

95. Multo autem magis, ea re posita, omnia ex improviso conglaciare sentias, ubi videris narratiunculam illam, talis enim ea foret, haberi statim, ac Iobus animi sui commotione eo adactus esset, ut dolori atque angori, quo crudeles atque iniquae sociorum castigationes eum affecerant, ferendo impar animosiorem refutationem in tenerrimas preces converteret, pietatemque et commiserationem imploraret eorum, qui tanta, ut illi, immanitate in ipsum saeviebant, ac ferociebant, et contra quos magno atque alacri ad id animo caussam dixerat (c).

96. Age vero, grandibus illis verbis, quae Iob praefatus est (d), ipsam illius narratiunculae sententiam subiungamus, totumque sermonem inde exstantem ausculta: *Quis ergo det, ut scribantur verba mea! quis det, ut in libro exarentur, ut stilo ferri et plumbo aeternum duratura in saxo excidantur! Ego certo novi me pristinae sanitati vitaeque conditioni esse restituendum.* Nonne huc aptum esset illud Horatii: *Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? et cetera?* Quid porro si *redemptoris* mentionem, quam omisimus, si redemptorem ipsum auctoritatem suam

(a) Praef. in Iob. p. 15.
(b) Ib. p. 22.
(c) Iob. XIX, 12.
(d) Ib. 23. 24.

potentiamque in Iobi cineres exserentem (21. 22) suo loco inseras, ac reponas?

97. Praeterea, ut calumnias a se repelleret, pluribus iam argumentis Iobus curaverat. Etenim se innocentem atque integrum iterum atque iterum professus ac testificatus fuerat. Demonstraverat aerumnas, quas patimur, nequaquam indicio esse posse, quo prave nos vitam agere arguamur; falsum quippe esse, quod socii vincere contendebant, impios solummodo, hosque numquam non aerumnis illiusmodi premi, quum saepissime videamus impiis prospere omnia cedere, contra ea vero in homines probos omnia ingruere adversa. Precatus fuerat, ut sibi iam liceret vitae residuum recte ac feliciter vivere, quo iniqua amicorum opinio, quam de eius agendi ratione animo imbiberant, res ipsa refutaret. Deum ipsum sibi integritatis suae testem iam tertio citaverat. Quum vero his rationibus pervincere non posset, ut socii ab incepto desisterent, aut quominus criminationibus iugiter acerbioribus in ipsum inveherentur, quid agendum Iobo tandem supererat? quid ultra ab eo erat exspectandum? Num ut certo pronuntiaret se restitutum iri in pristinum statum, quasi hoc uno tota lis dirimi posset, tametsi, non modo nulla ei nec esset, nec esse posset, huius rei certitudo, sed neque spes ulla foret, sed omnino illam desperaret (89)? Ergone hoc unum agendum tunc Iobo supererat, hoc unum ab ipso tunc erat exspectandum? non autem unice illud, ut, refutationibus vehementioribus in teneriores querelas supplicis more mutatis, postremum Dei iudicium speraret, redemptoremque appellaret, quem opperiebatur, quique de eius innocentia esset pronuntiaturus, eamque praemiis aeternis persolutis comprobaturus; ut sensus verborum, quibus Iobus amicos alloquutus est, talis foret: *Itane vero nullo argumento nulla ratione adduci poteritis, ut noxarum, quas mihi affingitis, me expertem credatis? Quis* ERGO (8) *mihi hoc tribuat, ut, quod certissimum habeo, perenni monumento consignatum omnibus omnium aetatum hominibus innotescat! meum mihi redemptorem non defuturum, qui olim, me e meis cineribus excitatum aeterna beatitate remunerans, meam integritatem proferet, ac patefaciet* (21). Neque putes rationem hanc nostram totam ex quadam rerum, ut vocant, convenientia petitam esse, sed ipsa res, ipsa disceptationis illius series

atque natura, ipse locus, quo Iobum tunc fuisse comperimus, ad id tandem eum necessario redactum esse, nos credere cogunt.

98. Qui autumant Iobum his verbis sanitatem fortunamque suam integrandam sibi polliceri, utrum dicent, Iobum ea de re certum fuisse, an incertum? Si enim incerta solum integrationis huius spe tenebatur, ecquid tam asseveranter, quam fecit, praefatus est illud *Et ego novi*, tantoque verborum apparatu eam sibi certo futuram veluti est vaticinatus? Quod si certo id noverat, scilicet, prout Clericus (*a*) aliique comminiscuntur, quia a Deo ipso id didicerat, neque enim aliter poterat id certo nosse, qui factum est, ut saepius integrationem istam desperare se professus aperte sit (89)? quod nec ipsum Clericum (*b*) praeteriit, de cuius commento Schultensius ita scripsit: *Hoc enimvero est totam tentationem Iobi quodammodo eludere atque libri huius universam oeconomiam ita conturbare, ut, quid sibi voluerit Iobus cum amarissimis suis querimoniis, nemo mortalium expedire possit, nisi simul impatientissimum eum atque adeo ineptissimum facere velit disputatorem, quem nulla virtus, constantia, et magnanimitas, in adversis commendet (c).*

99. Levi quoque negotio revincuntur Calvinus, Crinsozius, aliique post hos, putantes praedicere Iobum fore, ut Deus ipsi in terris etiam num versanti se praeberet conspiciendum, quod re ipsa factum esse narratur in hoc libro (*d*). Faciunt enim contra hanc eadem ferme argumenta, quae contra priorem interpretationem facere modo vidimus. Neque enim spes visitationis huius a Deo faciendae res eiusmodi erat, quae monumentis aetatem laturis foret committenda. Neque momentum ullum spei illi poterat inesse ad refellendas calumnias sociorum Iobi, qui vaticina hac ratione ad Iobi innocentiam agnoscendam non magis induci potuisse credendi sunt, quam rationibus aliis iam ab ipso prolatis. Neque demum rem illam potuisset Iobus sibi polliceri, nisi prius eam Deus ipsi fuisset pollicitus; cuius tamen pollicitationis nec vola nec vestigium apparet in hoc libro, quaeque Crinso-

---

(*a*) In Iob. XIX, 26. 27.
(*b*) Ib. 27.
(*c*) Praef. in Ioh. p. 22.
(*d*) Iob. XLII, 5.

zius (a) ex eo deprompsit (b), quibus sententiam suam comprobaret, ea nihil valere pro comperto est.

100. Sunt denique, qui nobis illud regerant, quod, *si de resurrectione futura hic loqueretur Iobus, non erant haud dubie id praetermissuri Hebraei, qui et ipsi resurrectionem credunt; at ne unum quidem ex sex septemve Hebraeorum commentatoribus invenies, qui eo referat (c).* Item, *fuisse plures veteris ecclesiae doctores, qui, ubi de resurrectione agunt, vel nostri loci nullam plane mentionem fecerint, vel illum interpretati sint de restitutione Iobi in pristinum felicem statum (d).*

101. Verum ex Iudaeis, qui Iobi librum explicaverint, neminem reperias ante saeculum undecimum; quo posito miraberis adversarios nostros in huius oraculi interpretatione priscorum patrum testimonium testimonio recentiorum Iudaeorum posthabere, veluti si πατροπαράδοτος oraculi intelligentia a sua origine ad longissimam aetatem purior penes hos servata fuisset, quam penes illos, qui tamen apostolis aetate fere suppares fuerant aut etiam aequales.

102. Nam, quod attinet ad patres, non equidem negavero esse, qui, dum libros, sive librorum partes, aut sermones, de resurrectione conscriberent, oraculi huius neque meminerint, imo eorum unus Ephraemus hoc amplius Iobi librum enarrans hoc ipsum oraculum fere praeteriit, Chrysostomus vero Iobo futuram ἀνάστασιν notam fuisse etiam negavit, idque non semel (e). Nihil tamen haec interpretationi nostrae officere, nulloque modo suspicionem cuiquam praebere posse, ne forte priscis aetatibus alia foret de oraculo hoc sententia, pro comperto habemus.

103. Primum enim ab illorum patrum plerisque de resurrectione, non tam disceptando decertatum, quam secundum Christianorum

---

(a) Ap. *Schultens.* In Iob. XIX, 25. p. 487.

(b) Iob. XIV, 14. 15; XXIII, 10.

(c) *Mercerus* et post hunc *Grot.*, *Cleric.*, aliique, ap. *Schult.* in Iob. XIX, 25. p. 485.

(d) *H. P. C. Henke* Narrat. crit. de interpretat. loci Iob. XIX, 25-27 in antiqua ecclesia. Helmstad. 1783 4° ap. *Rosenmüll.* in Iob. XIX, 26.

(e) In Matth. hom. XXXIII al. XXXIV. §. 6; ad Olympiad. ep. II. §. 8. Opp. T. II. p. 545 ed. *Montfauc.*

doctrinas philosophatum est, aut etiam religiosae commentationes sunt habitae ; atque huiusmodi esse videas, quae scripserunt Cyprianus (*a*), Eusebius Caesariensis (*b*), Gregorius Nyssenus (*c*), Ephraemus (*d*), Ioannes Chrysostomus (*e*). Quidam alii ab argumentis ex scripturarum auctoritate petendis consulto abstinuerunt, quod contra eos agerent, quibus auctoritas haec nullius esset momenti, sicque se gessit Athenagoras, ac se gessisse videtur Lactantius, quorum prior in toto opere (*f*), alter in ea operis parte, qua de resurrectione disserit (*g*), vix unum aut alterum scripturarum testimonium attulerunt. Cur Iobi verba non produxerit Tertullianus scribens de resurrectione carnis, discere est ex his, quae ipse nos monet: *Evolverem prophetias, si Dominus ipse tacuisset ; nisi quod et prophetiae vox erant Domini. Sed plus est, quod illas suo ore consignat (h).* Methodii liber de Resurrectione, dimidia sui parte mutilus, et liber Hippolyti, cuius pauca tantum verba (*i*) nobis servavit Anastasius Sinaita (*k*), an Iobi testimonium exhibuerint nec ne, incertum est. Alios autem patres, ex vetustioribus saltem, quos nobis opponant, nescio, an adversarii nostri sint reperturi.

104. E contrario, quos illis opponamus, praesto nobis sunt Augustinus (38), Hieronymus (1), Marcus Diadochus (*l*), Cyrillus Hierosolymitanus (*m*), Origenes (*n*), Clemens Romanus (*o*); hi enim omnes, dempto fortasse Marco Diadocho, qui, non corpora olim revictura, sed vitam aeternam nominat, ceteri ex verbis Iobi, quae interpretati sumus, argumentum ad corporum ἀνάστασιν defendendam deprompserunt. Hos inter Chrysostomum numerarem, cuius verba exhibet *Catena patrum graecorum* composita a Niceta, nisi,

(*a*) De mortalitate.

(*b*) Ap. *Sirmond.* T. I. p. 31 seqq.

(*c*) Opp. T. II. pp. 613 seqq. Paris. 1615.

(*d*) Opp. graec. lat. T. III. pp. 119. 127. Romae 1746.

(*e*) Opp. T. II. hom. XLIII. p. 422 ed. *Montfauc.*

(*f*) Vid. *Galland.* Biblioth veter. patr. T II. Prolegom. c. 1. §. 5

(*g*) Divinar. instit. L. VII. cc. 20. 22. 23. ; Epitom. c. 72.

(*h*) De resurrect. carn. c. 22.

(*i*) Opp. T. I. p. 244 ed. *Fabric.*

(*k*) Hodeg. p. 350.

(*l*) Cont. Arian. §. 1 ap. *Galland.* op. cit. T. V. p. 242.

(*m*) Catech. XVIII. §. 15.

(*n*) In Matth. T. XVII. §. 29.

(*o*) Ad Corinth. ep. I. §. 26.

quominus Chrysostomi ea esse credam, illud me deterreret, quod Chrysostomum de Iobo sensisse modo (102) referebam.

105. Ne vero quis suspicetur me in huius oraculi interpretatione habenda partium studio ductum fuisse, nostrisque doctrinis voluisse velificari, iuvat totam quaestionem verbis hominis rationalistae concludere, Rosenmülleri, inquam, qui haec scripsit: *Non est, cur negemus Iobum spem illam*, QUAM SIMPLEX VERBORUM SUORUM SENSUS PRODIT, *apud se aluisse, mortis suae somnum non aeternum fore, sed ab ipso Deo se aliquando expergefactum iri, et futurum esse, ut Deus mortuo ipsi advigilare non desinat, ipsum olim in vitam revocatum ut amicum amice recepturus. Cf. not. sup. ad XIV*, 12. *Recte monet Pareau l. l. p.* 166, *Iobum morti, ut opinabatur, proximum duplicem hoc loco spem testari voluisse, alteram de vindicta Dei in censores iniquos aliquando post suam mortem exercenda, alteram de favore Dei sibi una cum meliore vita restituendo . . . . Sunt praeterea alia, quae nos admonent, ut ad celsiorem illum conspectum. Iobum oculos attollere statuamus. Primum enim eximium quid et singulare esse, quod hic profitetur Iobus, prooemii illius, quo praefatur, evincit solennitas . . . . . Restitutio autem fortunae et sanitatis non utique tanti momenti erat, ut illa ratione memoriam eius ad posteros transferri optare debuisset. Deinde sublimiori illi spei, quae vitae huius terminos excedit, connexio cum iis, quae praecedunt, egregie favet. In eo enim erat Iobus, ut innocentiam suam adversus criminationes amicorum vindicaret, qui eum traduxerant ut iniquum et talem, qui Deum fortem non agnoscat, XVIII*, 21. *Tantum itaque abest, inquit, ut talis sim, qualem me esse dicitis, ut contra spe piorum plenus et Deum noverim, et redemtorem meum, et maiora ab ipso bona exspectem, quam quae vitae huius ambitu contineantur. Accedit, quod huc plurimum momenti addit, Iobum tam longe a fortunae sanitatisque restituendae spe abfuisse, ut potius mortem a se ardenter exoptatam certissime exspectaverit, et nihil prorsus habuerit, quod huic vitae speraret. Id quod pluribus clarisque sermonum suorum locis* (89)... *evicit I. A. Voigtländer in Isagoge ad interpretationem Iobi*

cap. XIX, 23 - 27. *Dresdae* 1809 *in octon.*, *quam sequuta est Interpretatio ipsa huius loci. Ibid.* 1810 *in oct. Iam, quum hoc de Goele oraculum spem certissimam et inconcussam fiduciam prae se ferat, inde sic arguitur: Quando Iobus aerumnarum finem et requiem in his terris non exspectavit, et nihilominus spem omnimodae liberationis Goelis ope fovit indubiam, eum oportet de venturo iudicio, corporum resurrectione ultima, et rerum omnium instauratione, cogitasse (a).*

(*a*) Schol. in Iob. XIX, 26.

A. M. D. G.



In Quaestione X. n.° 32 rescribe ἀναστάσει

INDEX

LIBRI II



NIHIL OBSTAT
Ioannes Baptista Palma Censor Theologus

IMPRIMATUR
Fr. Domin. Buttaoni O. P. S. P. A. M.

IMPRIMATUR
Ios. Canali Archiep. Coloss. Vicesg.



